
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epistolaepraepos0002vari

EPISTOLAE

PRAEPOSITORUM

GENERALIUM

II

EPISTOLAE

PRAEPOSITORUM

GENERALIUM

AD PATRES ET FRATRES

SOCIETATIS IESU

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS

EPISTOLAS AB ANNO 1650 AD ANNUM 1847.

EDITIO ALTERA

ALMA COLLEGE
060.2
LIBRARY
J499
Alma, California

ROLLARII
TYPIS IULII DE MEESTER
VIA DICTA S^i ALPHONSI, 7 & 9.
1909.

6472

INDEX

IN EPISTOLAS TOMI SECUNDI

R. P. N. FRANCISCI PICCOLOMINI

24. *De utilitate et necessitate exsecutionis.* Pag. 1

R. P. N. GOSWINI NICKEL

25. *De amore et studio perfectae paupertatis* . 49
26. *De nationali, provincialique pernicioso spiritu in Societate vitando* 102

R. P. N. IOANNIS PAULI OLIVAE

29. *De informationibus, seu exhortatoria ad veram solidamque virtutem* 128

R. P. N. MICHAELIS ANGELI TAMBURINI

28. *De desiderio ac studio rerum spiritualium promovendo* 158
29. *De promovenda observatione Instituti.* . . 165

R. P. N. ALOYSII CENTURIONI

30. *De spiritu nostrae vocationis.* 226

R. P. N. LAURENTII RICCI

31. *De precibus iterandis ob calamitates Societatem prementes eique minantes.* . . . 257

32. *De constantia in oratione ob eiusdem tribulationes* 261
33. *De causis solacii, deque recursu ad Deum in eiusdem calamitatibus* 267
34. *De ferventi in orationibus perseverantia in calamitatibus eiusdem* 277
35. *De confirmatione nostri Instituti facta a SS. D. N. Clemente XIII.* 292
36. *De precibus ferventius praestandis pro gravioribus eiusdem periculis* 294
37. *De novo ad preces incitamento in summo Societatis discrimine.* 300

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN.

38. *De amore Societatis et Instituti nostri* . . 307
39. *De tribulationibus et persecutionibus.* . . 332
40. *De Missionum exterarum desiderio excitando et fovendo* , ... 347
41. *De spiritualium Exercitiorum S. P. N. studio et usu.* 365
42. *In annum saecularem* 385
Quae praestanda omnibus commendantur hoc anno saeculari 415
43. *De Societatis progressu et periculis.* . . . 421
44. *De praesenti calamitate.* 443
45. *De temporum nostrorum acerbitate et studio perfectionis.* 457

EPISTOLA

R. P. N. FRANCISCI PICCOLOMINI

AD PATRES FRATRESQUE SOCIETATIS

DE UTILITATE ET NECESSITATE EXSECUTIONIS

1. In qualibet structura perfecti aedificii tria sunt architecto praecipue excogitanda : delineatio formae, quae membra operis interiora distinguat ; areae positus cum delectu, unde opportune nascatur ad loca exteriora vicinitas ; sed haec duo molem non satis absolvunt, nisi tertium adiungatur, nempe cura lucis ac caeli, cuius commercio iucunde aspectabilis, commodeque habitabilis tota domus exsistat. Huius exemplum statuit S. Ambrosius ipsum mundi opificium, architecturam Dei ; qui prima eius fundamenta non ante substruxit, quam illi ex immenso splendoris sui thesauro idoneam lucis copiam provideret. Ex quo Sanctus idem illustre proferens documentum : *Qui aedificium*, inquit, *aliquod struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde ei lucem*

In structura aedificii tria sunt architecto curanda : delineatio, positura, et lux.

Lib. I. Hexam. c. 9.

infundat, explorat. Ea prima est gratia, quae si desit, tota domus deformi horret incultu. Haec porro sunt architecti munera, sed necessaria magis, quam ut ad perfectionem operis sola sufficiant. Suffecere quidem illa machinatori divino, universitatis fabricam, quam supra laudavimus, excitanti ; quippe cui velle idem sit atque perficere ; neque opus sit ullius opera fabri, praeterquam omnipotentiae molitricis suae ; cum contra ad exprimendas, quas homines adumbravere, formas, et operarii multi, et ipsis praefecti operariis requirantur : quorum sine studio ac sedulitate ars ipsa, si viveret ageretque, ad moliendum quicquam plane inutilis redderetur.

Illa tria in Societatis aedificio delineando abunde suffecit Deus :

2. Quod igitur materiatis hisce aedificiis usuvenit, idem et spiritualibus pro quadam portione contingit. Et nostrae quidem Societati (quod singulare Dei beneficium est) abunde suffecit architectus, quicquid ab arte excogitari aut desiderari amplius potest : Descriptionem, in proportione inter sese partium statuenda, sua cuique laborum, munerum graduumque ratione convenienter attributa ; Positum, ad pedes eam Summi Pontificis collocando, infra ceteros religiosorum hominum coetus abiectam, dignitatum exteriorum omnium non modo inambitiosam et non competitricem, sed etiam incapacem; filios suos haud certo loco fixos habentem, sed, instar errantium stellarum, promptos ad sedem cotidie permutandam, in id unice

destinatos, ut orbem assidue non tam terrarum quam industriae propriae conficiant, nullo reciproco emolumento suo, sed aliis dumtaxat commodando, ac bene de omnibus promerendo. Denique, quod Lucem spectat, quot apertae undique veluti fenestrae meditationum, studiorum, explicationum conscientiae, ad excipiendos ab oriente atque meridie influentes radios caelestium notionum. Id totum plane describitur, cum in prima Societatis idea, quam noster egregius architectus Ignatius conformavit, tum in additamento, quod successores eius generalesque conventus, post longa temporis ac rerum experimenta consultationesque gravissimas, apponendum per Decreta, Ordinationes, Industrias censuerunt. Unum est, quod in tanta rerum affluentia desiderari posset, strenuorum copia praefectorum, qui, quod alii prudenter excogitarunt, ipsi diligenter ad effectum adducant. Parum nobis prodesset Institutum tam apte formatum, *si ea nostris actibus conferentes, quae de nobis audimus, non inveniamus in nobis*, ut Sanctus Paulinus loquitur ; *quo magis scilicet exprobretur nobis condemnandae torpor ignaviae, sterilium ieiunitas animarum, et in operibus bonis aridae manus.* Non omnium, quorum architectus aedificiorum est Deus, vult idem simul esse molitor. Id illi sane convenit in prima mundi molitione ; in cuius quippe structuram, praeter ipsum nihilum, intervenire et conspirare

Sed architecturæ exsecutionem nobis commisit;

Ep. 5. ad Sever.

nil aliud poterat. In ceteris quamquam sapientiae suae ingenio delineatis operibus, res ipsas creatas effectricesque rerum voluit in partem venire laudis et meritorum. Idem observavit in fabrica tabernaculi, quod veluti legis suae repositorium scriniumque formabat, cum ad eius absolvendum ornatum iussit Israëliticum populum suam et ipsum industriam studiumque conferre, *qui cum instarent operi, cotidie mane vota populus offerebat.* Videamus quid egerit Salomon in Ierosolymitano illo templo magnificentissime exstruendo. Vestigium huius apte descriptum a patre suo David acceperat ; idea caelesti ea officina descenderat ; non eam tamen ipse fiduciam artis habuit, ut speraret tantam posse molem ad fastigium culmenque produci, sine ministerio experientium praefectorum structorumque ac diligentium operarum, quos magno numero e regionibus externis accivit. Excellentissima exempla rerum, eadem effectu difficillima sunt ; quo exquisitiores operis exsecutores exposcunt, qui ea et mente facile complectantur, et labore assiduo, quae sese obiciunt, impedimenta perrumpant. Id vero si sensili formae cuiuspiam inanimi mutique templi contingit, quanto conveniet magis templo viventi spirantique, in quo ratione quadam sublimiore Altissimus habitat, ponitque sedem ac solium gloriae suae ? Haec ipsa Cassiani in re non absimili sententia est : *sapientissimum Salomonem, post*

Quem ad modum Israelitis fabricam tabernaculi,

Exod. c 36.

Et templi Salomonis.

Praef. ad Castor.

acceptam divinitus sapientiam, illud magnificum Domini templum exstruere cupientem, legimus alienigenae regis auxilium poposcisse : qui, misso ab se Hirano filio mulieris viduae, quicquid divina sapientia suggerente praeclarum in templo Domini vel in vasis sacris moliebatur, ministerio eius ac dispositione perfecit. Tanti Salomon fecit rectam operis exsecutionem, magisterium praefectorum sedulitatemque operarum, ut sine his fere pro nihilo habuerit architecturam Dei ac templi formam e caelo delapsam. *Recte etiam tu,* subicit Cassianus ad Castorem recentium monachorum patrem, *verum ac ratio-* Ibidem.
nabile Deo templum, non lapidibus insensibilibus, sed sanctorum virorum congregatione, nec temporale et corruptibile, sed aeternum aedificare disponens, vasa etiam pretiosissima Domini cupiens consecrare, non multo auri metallo argentive conflata, sed animabus sanctis, quae innocentiae, iustitiae et castitatis integritate fulgentes, regem Christum in semet ipsis circumferant commorantem, egenum me, omnique ex parte pauperrimum, ad communionem tanti operis dignaris asciscere. Quanto equidem iustius dicam Ignatio, immo ipsi potius Christo, cuius praecipue inventum Societas est : *tu me egenum, omnique ex parte pauperrimum, ad communionem tanti operis dignaris asciscere,* non aliam sane ob causam, nisi ut labori praesim,

eiusque exsecutioni sedulo ac diligenter insistam ?

Urgenda igitur superioribus Constitutionum exsecutio.

Huiusce muneris in partem veniunt mecum praesides Societatis omnes, quibus, tamquam praefectis operum, exsecutio plane omnis innititur. Quare existimo, dum mihi Deus una cum munere volumen Constitutionum impertit, hoc est, ipsam Societatis ideam, simul mihi et omnibus aliis eiusdem superioribus illud edicere, quod Moysi quondam, dum illi formam tabernaculi dedit ad manum : *Inspice, et fac secundum exemplar* ; idem nobis iniungit, ut numquam ab hoc Constitutionum modulo oculos animumque tollamus, ut eum exacte exprimamus in nobis ipsis et in aliis curae nostrae concreditis, ut munus exigit superiorum tanto operi praefectorum.

Exod. 25. 40.

In candidatis examinandis et admittendis quae cura adhibenda.

3. Et ut ab ipsis incipiam huius aedificii fundamentis atque a primis in ea lapidibus iaciendis : nihil illa proficerent prudentissima praecepta, in Examine generali a Sancto nostro Parente tradita, de condicionibus illorum qui ad Societatem allegendi sunt, si deinde, qui vocationes consilio regunt, qui examine discutiunt, qui iudicio probant, ea ipsa neglegerent ; si duci quacumque animi perturbatione se sinerent, sive illa sit in aliquibus inconsiderantia praeposterae caritatis, qua in cooptandis corpori membris horum magis quam illius utilitati servirent ; neque pensi haberent commune bonum, quippe quod, cum res sit multo divinior, prima quoque est regula hones-

tatis ; sive sit in quibusdam spes inanis et fluxa, facile futurum ut religio lilia educeret et procrearet ex luto, nullo habito ad caelum respectu, quod nihil aut stirpium generosarum, aut animantium perfectorum gignit atque educat, nisi conveniens in materia ipsa semen inveniat ; sive sit in aliis immoderatae vis amicitiae, quae desiderio sane intempestivo perpetuandae cum aliquo consuetudinis et convictus, non omitteret onus haud satis accommodatum amico in collum inicere, et sibi simul in oculos materiam assiduae verecundiae, ob infortunium mali successus, nec raro periculum peioris abscessus ; sive denique sit in non nullis vanae cuiusdam gloriolae surdus ac prope insensibilis sensus, eo quod Societatem sociis multis impleverint ; cum minime recogitent, non omne complementum simul et nutrimentum esse corporibus, atque in multa ciborum copia, constitutioni valetudinis adversantium, quos forte praesumpseris, optimum illud accidere, ut eos nullo stomachi turbamento quam primum eicias. Duxit in Examine Ignatius prima suae huius ideae lineamenta, ac fila direxit, nostrique huius templi exterius atrium apte descripsit : hoc est, mensuram modumque constituit, quo sint examinandae vocationes eorum qui se ad Societatem a saeculo transferunt. Inquiri iussit in animam totumque hominis habitum sedulitate tanta, quantam in lege veteri adhibebant, cum victimas, quae Deo offerebantur

in templo, ab imis unguibus ad summum usque verticem explorabant. *Tanta cautela utuntur in hoc negotio,* inquit Philo, *et qui offerunt victimas, et ipsi sacrifici, ut probatissimi sacerdotum peritissimique, ab extremis pedibus exorsi, per totum corpus inquirant ne celetur vel minima labecula.* Quod si Philonem interroges, quonam in victimis inspiciendis diligentia haec tanta spectaret : *non propter victimas,* ait, *adhibetur haec cura, sed ut sine omni culpa sint, qui eas offerunt. Submonentur enim his symbolis nuncupaturi vota vel reddituri, ut nullum vitium nullumque morbum offerant in anima, sed conentur omnino nitidam et immaculatam in conspectu Dei producere, ne visam aversetur.* Una vel tenuis macula, naevulus dumtaxat unus in eius anima qui Deo consecratur, abunde est, ut purissimum illum offendat oculum, atque alio indignabundum avertat. Quare qui victimas aut explorant, aut admittunt, quibus Altissimo in Societate sacrificent, ita se gerant necesse est, ut illis merito possit manus imponere, illudque pulcherrimum denuntiare innocentiae testimonium, quod olim sacerdos solitus est, ut Philo concludit : *quod manus imponantur victimae, evidens indicium est innocentiae, vitaeque sine culpa exactae. Postulat enim Deus a sacrificante primum bonam mentem, sanctam et exercitam in pietate : deinde vitam benefactis ornatam, ut, dum*

Lib. de Victimis.

Ibidem.

manus imponit, possit libera conscientia dicere: manus hae nec innocenti sanguine pollutae sunt, nec iniuriam intulerunt, nulli turpi rei praebuerunt ministerium, sed rebus honestis. Non equidem id requiro, ut in primo ipso ad Societatem aditu ab ingressuris absoluta quaedam perfectio exigatur. Neque enim spes est, hoc tantum boni posse ex Adami limo obtineri, ex quo denique cogimur vasa fingere, quae religiosa inter saepta splendeant *in honorem.* Quod si vere contingeret, non esset sane religio perfectionis iter ac schola, sed ipsa perfectio, cuiusmodi Pontificalis est gradus. Hoc illud beneficii est, quod religiosi Ordines conferunt in genus humanum, ut ex saeculi salo aquas plane salsas attollant, easque dulces efficiant, condiantque sensim in rores, qui mox eodem in mari pretiosas virtutum margaritas informent. Non ea igitur mens est, ut materia nobis in manus absoluta proveniat, priusquam sua in eam species inducatur et forma ; sed in huius delectu illud curae sit, non omnem materiam omnis esse formae capacem : necesse est, ut in pomis, ita in hominibus, defectus aetatis ac naturae distinguere, quorum haec firma ac stabilis, incerta illa et mutabilis est. Si quis torvitate quadam inflexibilis voluntatis, aut proprii opinione vasta iudicii, restitantem se moderatoribus difficilemque praeberet ; si profunditate mentis obscurus, ac sui ubique obtegens, non introspiciendum se, quibus

Distinguendi defectus aetatis et naturae.

oportet, facile daret ; si studio intemperantis ambitus praecipuos honores appeteret, atque aliquem sibi praelatum aegre patiens, prærogativam alienam, iniuriam suam faceret ; si cupiditatibus indulgentior necessarium impetu quodam dominantis affectus id duceret, quod vere supervacaneum est condicione naturae : hic sane non esset appositus lapis, qui nostro huic aedificio inseratur.

Ingenium et valetudo quatenus spectanda

4. Licet vero ingenium ac valetudo sint pura naturae munera, non virtutes effectrices meritorum, atque adeo ad absolutionem spiritus aspirare sine illis universe quis possit ; sunt tamen necessaria instrumenta atque subsidia exercendorum operum, quibus merita annascuntur, comparandaeque peculiaris perfectionis eius, quam proprie Societas profitetur. Idque praesertim habet valetudo, sine qua nec suscipi labores ingenii, nec vitae communis incommoda tolerari possunt : quo fit, ut qui male viribus affectus est, in Religiosorum coetu non aliter degat atque in corpore os male luxatum, aut sede sua motum, quod nec operari ipsum rei cuipiam valet, et membris quoque reliquis turbamento est.

Ingenii defectum quandoque compensare potest humilitas.

5. At ingenii excellentia non est usque adeo in omnibus requirenda, ut defectus eius compensari cordis humilitate non possit, quae nihil est aliud, quam facilitas atque alacritas quaedam in imo semper haerendi, idque amore et gratia illius Dei, qui deiectionem extremam ad supremam

celsitudinem gradum fecit. Cum hac demissione animi quidam interdum admitti poterunt in numerum eorum qui litteris daturi sunt operam ; licet afferant mediocritatem ingenii, modo virtutum aliarum opportunitate non careant ; nam, ut corporis alimentum non abire vertique totum debet in cor aut in oculos, sed eo ceterae quoque corporis partes non ita praecipuae instaurandae sunt, quarum absque ope cor ipsum oculique muneribus suis fungi non possent ; ita in Societatem non omnes idcirco recipiendi sunt, ut magistri scriptoresque disciplinarum evadant ; sed aliqui etiam admiscendi in supplementum officiorum eiusmodi, quorum sine praesidio magistri scriptoresque ipsi necessario studiis suis otio non fruerentur.

Sed quia plerumque successus spe destinatisque nostris inferior est, ideo in excipiendis ad Societatem candidatis, semper erunt oculi figendi altius. Nam experimento docemur, multos exspectationi respondere minus ad fidem : ea plane ratione, qua vicia, cum esset in semente paucissima, in ipsa tamen messe, proportione, plurima reperitur.

Noviciorum institutio qualis.

6. Iam vero gradum ex atrio exteriore ad interiorem faciamus, et in prima Constitutionum parte ideam nostri tirocinii, formamque tironum inspiciamus. Non equidem existimarem, a me consilium nostri fundatoris supra verum extolli, si dicerem, ipsum in suis Constitutionibus voluisse tot

angelos, quot filios instituere. Sane non unis earundem Constitutionum locis egit adversus illos haud aliter, quam S. Apostolus Ioannes per litteras egit cum septem episcopis Asiae, quos commodum Angelos nuncupavit. Verum cum hi, quamvis angeli, non nisi tamen in carne versentur, et quod inde consequitur, obnoxii defectibus, neque instar spirituum Angelorum in via semel coepta immutabiles sint ; opus est et malo praevertentibus, et idem procurantibus documentis, quae traduntur egregiis iis epistolis in Apocalypsi a Ioanne descriptis, atque inde ab Ignatio in suas Constitutiones prope transcriptis.

Noviciorum probanda vocatio. Apoc. 3. 7.

7. In prima igitur parte bonus Novicius informatur : cui religionis ostium aperuit is qui clavem extrinsecus gerit. *Angelo Philadelphiae scribe : haec dicit qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit : ecce dedi coram te ostium apertum.* En prius tirocinii omniumque firmissimum fundamentum, ut fores Novicio recludantur caelestibus vocationis divinae clavibus, non falsis atque fallacibus terrestrium rationum, cuiusmodi sunt aut angustiae molestiaeve domesticae, aut humana quaedam cupiditas in litteris excellendi. Similes hisce respectus esse quidem interdum occasiones possunt, numquam tamen causae et momenta vocationum. Et adulterinae quidem hae claves, si quando vim habent aperiendi quibusdam ingressus, non ha-

bent tamen virtutem claudendi iisdem firmiter et constanter egressus : fores enim adapertiles ita relinquunt, ut ad quemlibet levem impulsum pateant, et Novicius foras erumpat. Nec verus pater familias domus illud ei denuntiat : *quia ego dilexi te, et ego servabo te ab hora tentationis.* Et haec posterior est condicio, quae tironibus ex priore subnascitur : nimirum fiducia in Deum, cuius potenti dextera futurum sperent, ut ibi perpetuo contineantur, quo, in obsequium supernae vocationis eius, ultro se contulere. Huius deinde fructus est, postremum, quod illis Ioannes mire commendat, perseverantia inceptorum. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam : qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* Sed in eo, quod coeptum aliquando non est, insisti non potest : neque Deus opem ferre solet, ut facile id peragatur, quod quis umquam aggressus eius causa non est. Igitur a prima condicione duae reliquae pendent : et huc illa stimulatrix assidua spectat interrogatio, qua se Novicius in singula fere momenta lacessit : *Ad quid venisti ?* Quod sane dictum ipsa B. P. nostri verba in Constitutionibus egregie et ad sententiae fidem interpretantur : *ut liberius secum et cum Deo perpendat vocationem suam, ac propositum divinae et summae maiestati in hac Societate serviendi.*

Ibid. 9, 10.

Ibid. 11, 12.

C. 4.

8. Iam in conspectu est vera Novicii nostri spe-

Novicii a Magistro lacte alantur,

cies et forma perfectior, sed opus est facto : totum in eo negotium et difficultas vertitur, ut exprimatur exemplum, et in huius ideae similitudinem caro ipsa subigatur. Non est per se ipse Novicius, nuper egressus e saeculo, et adhuc a saeculi flamma praefervidus, non est, inquam, suopte ingenio capax doctrinae ac sapientiae singularis, quam illi de suimet contemptu Christus exponit : ut neque ortus recenter infans ad vitam, qui captus est huius aetatis, duriorem deglutire panem haud potest. Matris officium est, cibum eiusmodi frangere ac tenerum mandendo facere, eique concoctum, inquit Augustinus, in lacte porrigere.

In Psal. 33. *Quod manducat mater, hoc manducat infans ; sed, quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humilitatem mammillae et lactis succum, de*

In Psal. 130. *ipso pane pascit infantem. Ipse est panis quo infans pascitur, quo et mater ejus pascitur ; sed ad mensam infans minus idoneus est, ad mamillam idoneus est. Panis ergo de mensa traicitur per matris mamillam, ut sic perveniat idem alimentum ad parvum infantem.* Superior, Magisterque Noviciorum, est ipsorum pater, mater et nutrix : munus eius est, panem rumpere solidiorem, molereque rursum dentibus, in lac deinde vertere ac praebere tironi. Nec satis est Magistro vox, qua Novicium instituat doceatque : opus est

Ep. 1. lib. 6. illi manu, qua, quod dicit, exerceat. *Necesse est,*

inquit Sidonius Apollinaris, *manum linguae porrigat, ut possit primum lingua pascere monitis animam frugalitate ieiunam, ac manu deinde de apotheca dilectionis sectandae nobis humilitatis propinare mensuram.* Hoc si lacte Novicius alatur, ac a suo superiore liberalius saginetur, licebit ex illo polliceri nobis virtutem, quae in religiosis iam provectis ac perfectis exigitur. Nam, si S. Bernardus auroram spem solis, et florem spem fructus elegantissime nuncupavit, eadem ratione nos optimum perfectumque Novicium optimi absolutique Professi appellare spem possumus. Verum si Magister aliquis Noviciorum, sive pertaesus officium nutricis, licet filiorum Christi ; sive aliis sacrorum studiorum, contionum, atque alienae provehendae salutis, spiritualibus illis quidem, sed muneri suo minus conducentibus avocamentis abductus ; sive quia non audet exigere perfectionem ab aliis, quam minus ipse reposcit ab se : hic, inquam, spiritus Magister, si Novicios non aleret diligenter, id est, si cibum illis in propriis venis non permutaret in lac, hi sane non possent Christi pane pinguescere, atque ad vitam spiritus vegetari. Aut idem certe, si quodam immoderato studio teneretur cavendi, ne quid in suis manibus Societati depereat, et ut, quantum sibi concreditum assignatumque Noviciorum est, tantumdem numerato sine ulla cuiusquam iactura restituat ; necesse profecto hic

Idque sedulo et assidue.

Qui non sunt idonei, dimittantur.

haberet, multa palpare aut occulere Novicii ulcera, quae et illi privatim letalia, et publico contagiosa demum evaderent. Ecquid sibi Societas ab huiusmodi Novicio polliceri posset in posterum, nisi ut insanabile membrum serius ocius, ne virus in corpus inserpat, misera sectione scindatur; ac totus ei praeteritae vitae cursus praecipitem illum infelicemque, ac miseriis et rubore plenissimum excedat in lapsum, *de excelso in abyssum, de caelo in caenum, de claustro in saeculum, de paradiso in infernum* ? Meminerit Magister, viventem hanc Societatis frugem dici oportere uberem, non copiae ratione, sed pretii. Gravissima sunt ad hanc ipsam rem Sancti Patris verba: *Multitudo magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, ut ordinem non fert, ita nec unionem.* Colonus ille, qui lolium excrevit a tritico, plus Domino reddit, dum reddere videtur minus. Et huiusmodi selectionem tritici a lolio Sanctus Pater in secunda Constitutionum parte commendat: quo loco prudentissima caritate praescribitur ratio dimittendi eos, qui, ceteris adiuncti, non essent emolumento maiori, quam sint humores in corpore abundantes, et in excrementa digerendi; qui et valetudinem onerant, et materiam morbis appositam facilemque suppeditant. Qui vana verecundia laboraret, videndi in suamet disciplina decrescentem numerum alumnorum, is attollat oculos ad magnum religionis supremae magistrum

Bern. serm. 63. in Cant.

Con. P. 8. c. 1. §. 2.

ac Deum, qui Novicios principio delegit indolis optimae et vocationis excelsae ; cumque eos in ipsa sanctitatis continuisset officina, et intra caeli claustrum illis haud multo ante huic magisterio fabrefactum, non veritus est, neque habuit pro sui defectus argumento, quod tertiam eorum partem caelestis vitae habitu spoliaverit. Quid, quod eius aeterna carnemque induta Sapientia, cum ex genere humano universo duodecim sibi Novicios selegisset eosque assidue divinitus verbi atque exempli rore pavisset, non tamen erubuit, cognitum posteritati facere, a pluribus eorum se foede desertum, a ceterorum principe se negatum, ab uno, et tum volente, nec facti umquam paenitente se proditum.

Ratio dimittendi Novicios.

9. Haec inter nos dimittendi facultas, cuilibet, praeterquam Professorum gradui, communis illa quidem est ; exercenda tamen facilitate non pari, sed attemperata vinculo, quo aut artiore aut laxiore unusquisque graduum Societati conectitur. Neque vero ipsis cum tironibus usurpari eam caritas aequitasve sine cura et circumspectione permittit. Hic tamen contrarii se scopuli duo periculose nobis obiciunt : prior est supervacanea commiseratio, aut certe infirmitas animi, qua quis retardatus, ac diu deliberabundus, sero statuit et numquam aggreditur partem abscindere quae ceteras inficit ; posterior vero est impatientia curandi, et praepropera festinatio, qua

quis incitatus moras praecipitat morbo opportunas, et sectionem intempestive praevertit. Quilibet medicus, etiam inexpertus, scientiam habet praecipiendi ut pars putrida corporis recidatur : quicumque vel imperitus agricola potest tuto praescribere ut arbor infecunda ficulnea exstirpetur. Excellentia tamen est artis, ut internoscat in singulis quaenam sit spes aut salutis aut fructus, et accommodata remedia constanti animo malis curaturam ferentibus patienter adhibeat. Tu quidem aquilino Ioannis oculo pervides, Angelum Laodiceae a primo suo fervore tepescere ; cur vero non illum admones, non inflammas et cum eodem Ioanne non terres ? *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Cur ante oculos illi non statuis statum, aut casum verius animae suae miserabilem, et, quod longe miserabilius est, ipsi eidem ignotum ? *Dicis, quod dives sum et locupletatus : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus.* Cur non illi thesauros ostentas atque aperis divinae benevolentiae ac caritatis, quibus abunde ditescat, suisque tandem e sordibus totus emergat ? *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum ; ut locuples fias, et non appareat confusio nuditatis tuae.* Cur, si satis haec vis tanta non est, non illi recludis atque in conspectu ponis longe diversos

Remedia prius adhibenda.

Apoc. 3. 15.

alios irae divinae thesauros? *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas : ego quos amo, arguo et castigo.* Denique, si non sufficit operi magisterium linguae, manum adhibeat chirurgia: abstine iam mollibus lenimentis, utere mordacibus asperisque remediis, igne, ferro. Iacturam temporis ne facito, ad exsecutionem ipsam aggredere ; et siquidem vides, non carnem modo miseri illius aegri, sed animam quoque infelici suppuratione corrumpi, appone medicamenta, inquit Clemens Romanus, quibus curantur abscessus. Incipit paulatim Religiosi cuiuspiam caro simul et anima verminare? tu primum cultello putredinem illam abradito; *si sordes collegerit, novacula perpurgato.* Foeda non multo post animalcula repullulascunt, nidos instruunt, ac tumorem attollunt? tu contra unguentum admove, quod corrodendi vim habeat: *si intumuerit, acri collyrio complanato.* Rursus crescit inflatio, et sanie abscedente marcescit? candente tu ferro, quod est turgidum et purulentum inurito : *cauterio cohibeto.* Progreditur lues, et gangraenam minatur? tu vero *tabem exscindito*, et, ut totum corpus praestes incolume, partem male infectam amittito. Sed simul in memoriam revocato, quam insolabiliter illacrimatus olim sit S. Bernardus egressui et iacturae religiosi illius fratris filiique Roberti, quamvis eiusmodi fugae conscius ipse non esset; de qua innocentiae idem suae Deum testem appellat : *Tu nosti, quibus ei*

Const. Apost. l. 2. c. 45.

Epist. 1.

visceribus in cunctis tentationibus suis semper affuerim, quantis pro eo gemitibus aures pietatis tuae pulsaverim, qualiter ad illius scandala, perturbationes, molestias ego urebar, torquebar, affligebar ; et tamen hunc sua reum caritas faciebat, quem veritas absolvebat. *Fuerit meae culpae quod discessisti : delicatulo quippe adulescentulo austerus exstiterim, et tenerum durus nimis inhumane tractavi. Fuerit, ut dixi, meae culpae quod discessisti : mutatus mutatum invenies ; et quem ante metuebas magistrum, comitem amplectere securus.*

Fervor Noviciorum fovendus et promovendus.

10. Dimissis domo privignis ac filiis in ea relictis, pulso Ismaële atque Isaaco haerede instituto, totus in eo est S. Pater, tertia Constitutionum parte, ut veram hanc germanamque prolem conservet ac provehat. Non enim recte incepisse sat est, nisi se quis in recto semel incepto stabiliat atque confirmet : ut neque sat est, novellam stirpem vitemque florescere, nisi flos ipse solidetur et teneat ; et in tenacitate aut dissolutione floris sita spes est aut periculum fructus. Flores sunt recta illa proposita mente concepta in tirociniis, inquit Bernardus : *ubi botrus boni operis ? Flos novella conversatio est, flos formula recens vitae emendatioris est : placent, fateor, quae in facie sunt, neglegentior corporum cultus et vestium, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior.* Sunt,

Serm. 63. in Cant.

inquam, hi novelli flores et praecoces, qui suavissimum odorem exhalant speciemque pulcherrimam praebent in hortis Noviciatuum reductis et clausis. *Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censendi sunt, et spes fructuum magis quam fructus ; ustionem timeo floribus, aquilo mihi suspectus est et frigora matutina : hoc frigus si semel animam spiritu dormitante pervaserit, subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, defervescit novicius fervor, ingravescit tepor.* Ibidem. Idcirco S. Pater, tertia Constitutionum parte, rationem et instrumenta praescribit, quibus conservari augerique possit in collegiis ac domibus primitivus ille Noviciorum fervor, *ut sic proficiant in via Dei, spiritu et virtutibus,* quem ad modum is primo capite loquitur. P. 3. c. 1. §. 1. Nec sane ab re. Quamvis enim in hoc religionis quasi caelo religiosi omnes angeli sint, exceptis iis qui sese ipsi praecipitant *de medio lapidum ignitorum ;* tamen etiam angeli, nondum in Dei gratia confirmati, mutationibus sunt obnoxii et ruinae. Ezech. 28. 16. Angelus erat magnus ille Ephesi episcopus Timotheus ; peculiari tamen epistola ab Ioanne imminuti tantisper eius, quo primum incaluerat, fervoris arguitur. Quam ob rem instituit eum Ioannes, ac variis incitamentis ad recuperandum fervorem pristinum reprehendit. Primum enim proponit illi ob oculos divinae celsitudinem vocationis, quae scilicet eum quasi gem- Corrigendi errantes :

mam in anulo Christi, et veluti stellam eiusdem
Apoc. 2. 1. in dextera collocavit. *Haec dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua.* Deinde memoriam illi renovat antiqui fervoris, operumque tum bonorum quae cum laude patravit, tum vero malorum quae Christi causa sustinuit. *Sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Denique periculi metum inculcat, si forte a primo fervore defecerit.
Quomodo ? *Movebo candelabrum tuum de loco suo.* Hoc exemplo S. Pater tres itidem nobis in coarguendis
P. 3. c. 1. N. errantibus gradus insinuat: *Primo in caritate et dulcedine, qui peccant, sunt admonendi. Secundo in caritate quidem, sed eo tamen modo, ut iis rubor iniciatur. Tertio amori ea quae timorem incutiant, adiciantur.* Hanc harmoniam, ex mixtura suavis asperique concentus, docuit Ber-
Ep. 4. ad Fulcon. nardus Ignatium dulcissimis illis verbis: *O bona mater caritas, quae, sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, sicut filios diligit universos ! cum te arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est; pie solet saevire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.* Suavius medicamentum et haustu facilius est, et amabiliorem aegro medicum facit. Omnia tamen medicamenta, quae malis natura inevitabilibus medeantur, suavia sunt et iucunda. Huius generis censentur cibus potusque et somnus, qui naturalibus hominum morbis medicinam faciunt. Sed, quia pleraeque aegrotatio-

num ex intemperantia nostra proveniunt; et qui semel in morbum incidit, si medicamenta iucunde illi saperent, ab eo iterum non caveret; propterea adversum huiusmodi mala molestos amarosque succos natura providit. Et huius notae medicamentis opus habent aegrotationes recidivae, quae semel admonitionibus *in caritate et dulcedine* castigatae regerminant: et amarities huiusce remedii ipse est pudor ruborque, qui ea molestia, quam inferunt, voluptatem nequiter ex praevaricatione captatam abunde compensant. Sunt tamen non nulli, qui, ut oblectatione praesenti, quam habet intemperantia, perfruantur, malunt se ipsi subicere futuro labori ex medicina. Quorum temeritati frenum inicit natura timorem mortis insanabiliumque morborum. Haud absimili metu iubet S. Pater efficacitatem ac vim addi medicamento, quo mala nostrorum recidiva curantur, quibus secundi generis leniora remedia non suffecere.

In reprehendendo duo extrema cavenda.

11. Verum extrema haec duo superior in arguendis suis omnium diligentissime caveat: alterum, ne prae se debilitatem animi ac pectoris ferat; quae illi, conicienti oculos in singulares naturae dotes, quibus praevaricator aliquis forte praepolleat, vel in beneficia caducarum rerum, quae in Societatem ex ipso proveniant, omnem plane vim vigoremque adimat ad experienda fortiora consilia, cum haec divinae gloriae causa reposceret: tunc enim superioris admonita idem efficerent, quod

canis cuiuspiam latratus, qui eodem tempore quo se morsurum minatur, os edentulum ostentaret. Alterum, ne speciem praebeat animi aut desperantis a subdito mutationem in melius, aut minime proclivis ad indulgendum, si se ille correxerit; tunc enim velut a carnifice vulnus reprehensionis excipitur, non tamquam a chirurgo, qui non excruciat aegrotantem, cuius salutem in perditis habeat. Meminisse oportet, Deum non commiseratione solum erga peccantes, sed etiam publico humanae consuetudinis bono, providisse ne cui mortalium, dum inter homines vivit, ob cuiuscumque gravitatem delicti venia desperanda sit. Idcirco Apostolus, cum Ephesios ad caritatem, tolerantiam mutuumque inter se vinculum hortaretur, potentissimo illo utebatur illicio, *in una spe vocationis vestrae*; addebatque, non nullos Ethnicorum *desperantes* sese ipsos in barathrum malorum omnium coniecisse.

Cap. 4. 4.

In Scholasticis, ardor in studiis fovendus;

12. Verum, ut ex ordine Scholasticorum omnia violandae disciplinae semina utili remedio eneccentur, illud est optimum, quod S. Pater in quarta Constitutionum parte commendat, nimirum, ut ardor in studio litterarum a superioribus foveatur, tamquam expulsor otii, silentii custos, cupiditatum nimiaeque licentiae domitor. Praeterquam quod haec eadem ratio efficacissima est, qua socii ad ministeria Societatis idonei aptique reddantur, et, quod inde consequens est, ad eandem amandam

observandamque pronius allectentur, cum unusquisque libentius vitam in eo hominum conventu traducat, in quo fieri se haud difficulter posse membrum utile atque opportunum intellegit; vicissim vero nullus aequo animo in ea regione versetur et degat, ubi moneta, qua ipse caret, in pretio sit. Sed, quod hoc ipsum spectat, contingere facili negotio potest, ut exsecutio superiorum a recto, tam per defectum quam per excessum aberret. Et illi quidem omnino deficerent, si satis ab Scholasticis factum arbitrarentur, cum hi, necessaria quae sunt ad muneris sui functionem, utcumque conficiunt; neque eos ad operis excellentiam incitarent: sive quia eorum operam ad aliena distraherent, quorum est fructus praesentior spectatque ad tempus administrationis suae, obliti S. Patrem id Scholasticis nostris inculcare, ut *sibi persuadeant, nihil gratius se Deo facturos in collegiis, quam si cum ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant*, illudque subiungere, ut omnia huiusce unius curae avocamenta, etiam pia, submoveant: sive quod vereantur ne sciendi praestantia humilitati repugnet, cuius causae respectu, si vera esset, deberet quicquid est ubique pretiosum excludi; sive forsitan quia huius ipsi eminentiae immunes, defectu vel temporis, vel genii, vel alterius cuiuscumque rei, caeca quadam animi proclivitate ducantur, ut eam quoque aspernentur in ceteris. Qui sane, si quisquam alius,

In quo errari potest per defectum,

P. 4. c. 6. §. 1.

maxime detrimentosus est error ; nam qui litteris praestant, ii demum sunt, quorum opera praebere possit Ecclesiae magnum in magnis rebus obsequium, quale per Dei misericordiam a multis e Societate collatum explorato didicimus. Praeterea excellentes qui sunt, iidem mediocrium copiam alunt ; et vero doctrinae, ut humanarum omnium rerum, inclinationes fierent, nisi divina identidem providentia viros eximiae litteraturae destinaret, qui eam ingenio restaurarent.

Et per excessum.

13. Peccari quoque hac in re posset a superioribus excessu ultra ius et aequum : si aut mediocres suorum labores forte despicerent, neque cum animo ipsi suo reputarent, medias quasque in omni rerum genere perfectiones esse, quae mundum conservant ; et quamlibet scientiae mediocritatem, cum virtute et recta voluntate coniunctam, multa perquam utiliter posse magnoque cum emolumento moliri ; aut si in praeclaris ingeniis errata quaelibet dissimulatione transmitterent. Quid enim aliud hoc esset, quam hominem, peracuto ancipitique gladio valenter armatum, iracundiae ac furori suo permittere ? Ad hunc locum ipsa Sancti Patris verba pensentur in prooemio quartae partis : *Postquam in iis, qui admissi sunt ad probationem, iactum esse videbitur abnegationis propriae, et profectus in virtutibus necessarii conveniens fundamentum, de litterarum aedificio, et modo iis utendi agendum erit, quo iuvare possint ad*

Virtus in magnis ingeniis curanda,

magis cognoscendum, magisque serviendum Deo. Iam vero quem ad modum sine fundamento parietes non alium usum habent, nisi ut opprimant aut oneri sint, ita aedificium litterarum sine fundamento virtutis, eius praesertim, quae more prorsus ac genio fundamenti ad ima sidit, haec est humilitas. Sane laus haec ingeniis omnibus aeque necessaria est; et mediocribus quidem, ut libenti animo tolerent mediocritatem suam; eminentioribus vero, ne sua illis eminentia fiat ad praecipitium gradus. Si gemma sapientia est, commissura eius humilitas sit oportet, sine qua plane dissutus atque exemptilis pretiosus quisque lapis amittitur. Testes appello angelos, (quandoquidem in perpetua ad illos comparatione versamur,) qui in magno illo caeli naufragio, cum huius gemmae iacturam principio fecissent, mox ipsi se penitus in profundum malorum miserabili casu merserunt. Quomodo cecidisti Lucifer? *tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* Quid responsi datum accipite: *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo:* hoc est, ut interpretatur apte Bernardus, amittendo prius humilitatem, vanamque de tua sapientia superbiam praesumendo. *Perdidit eam, cum fecit suam: sic enim habere, perdere est. Nolo decorem, qui tollat mihi sapientiam.* Quin et illud observate, primum angelum, qui lapsus e caelo est, vulgo Luciferum nuncupatum, eundem

Potissimum humilitas.

Ezech. 28.

Serm. 74. in Cant.

saepius ab Ezechiele Cherubim appellari: *Perdidi*
Ezech. 28. *te, o Cherub, de medio lapidum ignitorum.* Itane vero, Cherub? An non ille Seraphim, isque ex principe ceterorum choro, immo forsan ipse princeps omnium Seraphim fuit, cunctis unus virtutibus Angelorum, qui per novem digesti sunt
Ibidem. ordines, coronatus? *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius et iaspis, chrysolithus et onyx et berillus, sapphirus et carbunculus et smaragdus:* quae commodum gemmae sunt virtutesque novem ipsorum Angelorum, ex quibus Lucifero diadema compactum est. Cur igitur inter cadendum e caelo Cherub nominatur? Quia ruinae occasionem non praebuit caritas Seraphinis propria, sed Cherubinorum peculiaris sapientia. Atque haec ipsa forsan est causa, cur in censu gemmarum, quae coronam Luciferi ornaverunt, postremo loco non carbunculus, caritatis symbolum, addictaque Seraphinis gemma, sed smaragdus, sapientiae nota, et Cherubinorum propria collocetur.

Superiores intersint litterariis exercitationibus;

14. Scholasticorum diligentiam illud valde provocabit, ut superiores ex una parte litterariis exercitationibus, alacritate et voluntate magna semper intersint; nam si forte illis paucarum horarum labor, qui audiendo insumitur, inutilis videretur et perditus, multo perditiorem subditus operam suam duceret, qua se ad functiones illas cum laude obeundas per menses atque annos instrue-

ret ; ex altera vero parte, ut promptos ipsi se praebeant facilesque ad eos, qui studia neglegunt, a studiis amovendos ; illudque secum animo reputent, hac in re abuti commiseratione, nihil esse aliud quam alere et fovere desidiam, annuosque domorum proventus, contra quam decrevere fundatores, absumere.

Neglegentes a studiis amoveant ;

15. Sed, quoniam hoc loco fundatorum incidit mentio, temperare mihi non potui, quin tanto efficacius quanto brevius inculcarem adversum illos ac ceteros bene de nobis meritos eam referendae gratiae voluntatem et curam, quam tanto cum pondere Beatus nobis Pater iniungit. Puderet equidem me, fateor, vehementer, si forte non nemo superiorum pluris faceret coleretque vel unicum ex uno aliquo speratum beneficium, quam ex aliis multa suscepta. Illud tamen omnibus in memoriam revoco, in reddenda grati animi vice, ad verum unice bonum, non ad praeposteram bene merentis voluntatem, habendum esse respectum : quare futurum potius ingratum superiorem, qui, beneficia compensaturus ab aliquo nostrum collata, licentiam illi permitteret statui dissentaneam, eo plane modo, quo medicus merito dicendus esset ingratus, qui, ad referendam copiosi stipendii gratiam, aegroto nocitura concederet.

Erga fundatores grati sint.

16. Quia vero in collegiis Scholastici nostri munus quoque praeceptoris exercent, formam ipsam inspiciamus, qua sanctus noster architectus

Magistri quales esse debeant.

columnas tanti momenti describit. Poscit ipse ma-
P. 4. c. 7. §. 1. gistros eiusmodi, ex quibus discipuli *cum litteris etiam mores dignos hauriant.* Ædificatio ac species nostrae illius molis plurimum pendet ab exsecutione huiusce partis, ut plane ad praescriptum ipsi modum exigatur. Civitates, quae Societatem sibi postulant, atque collegia sumptibus sane non modicis erigunt, eo id consilio praecipue faciunt, ut publicas totidem pueritiae nutrices mercede conducant, quae disciplinis ingenia, moribus animos moderentur et lactent. Ex recta tenerae huius aetatis educatione tota paene rei publicae constat utilitas. Opinio, quam tot annorum assidua consuetudine de nobis haec imbibit, ea demum est, quae radices altius figit in animis, et late per totum christianum orbem fama et existimatione diffunditur.

Magistrorum delectus habendus,

17. Quoniam vero de scholis agimus, visum est opportunum, uno semel loco depromere quicquid in mentem venit, quod eas universe complectitur, quamquam superiores disciplinae non ab ordine Scholasticorum, sed a gradu Professorum tradi plerumque solent. In grammatices ergo gymnasiis procurandis, exquisitissimus magistrorum delectus, quod quidem scientiam spectat, neque est admodum necessarius, neque haberi utique potest, cum illa maiorem horum copiam quam dotem exquirant. Sed in altiorum disciplinarum professoribus providendis ingenti superiorum

Praecipue professorum pro altioribus studiis.

culpa fieret, nisi, eminentissimi qui sunt, illos ceteris praehaberent, sed, aut taedio fugaque molestae inquisitionis, aut metu inertium querelarum, receptum in primis facerent atque refugerent ad discrimen et praerogativam aetatis ; quae, sicut in omnibus plane ministeriis, ita in iis quae tractantur ingenio indignior est, cuius praecipua ratio habeatur, nisi in ipsa aequalitate laudum, quae magis proprie requiruntur. Porro in his apte deligendis plurimum expedit in id curam intendere, quod est apprime praecipuum : nempe huiusmodi litteraria munera neque nomine remunerationis ob merita, neque respectu ad privata cuiusquam solacia impertiri ; sed talenti quo quisque praevaleat insumendi, communisque procurandi beneficii causa semper imponi. Id enim grati vis animi a nobis requirit ac debita rei publicae fides, ob fiduciam qua Societati delectus huiusce arbitrium ordinemque illa permittit. Quare non qui diutius docuit, sed qui magis ad docendum idoneus, praeferendus est. Verumtamen, cum nostra haec studia in Dei gloriam atque Ecclesiae intendantur obsequium, ii qui conantur vera docendo tradere, praeoptandi sunt iis qui nova procudunt ; quae, dum veteribus adversantur, omnino sunt a nobis, tamquam turbulenti quippiam, evitanda. In quo id praecipue cum Sancto nostro Parente commendatum omnibus velim, ut diligenti affectoque animo studere conentur geminis terrarum

magistris, Aristoteli in philosophicis, ac Sancto Thomae Aquinati in theologicis disciplinis ; quippe, quod nostrum aliquis a praecipuis horum fundamentis opinando discedat, indicium sane praebet aut incapacis, aut certe contumacis ingenii. Neque minor rhetorices humanarumque litterarum habenda ratio est, ut Sancti Patris maiorumque nostrorum scita et instituta serventur : has enim merces omnium potissimas a nobis civitates exquirunt, suntque idoneum instrumentum ad haereticorum stilum, artificiose pugnacem ac vere ancipitem, retundendum. Quare superiores egregia atque apta maioribus quoque disciplinis ingenia perdi ac pessum a se dari non putent, si quidem ea litteris hisce humanioribus perdocendis addicant.

In vòtorum observatione Angeli imitandi.

18. Pergit S. Pater in quinta Constitutionum parte ac deinde sequentibus, digerere in ordines, officia, gradus ac ministeria prorsus angelica suam hanc habilem caelestemque militiam ; immo delineare in hoc templo divinae gloriae quattuor veluti partes magnae Crucis, hoc est quatuor vota solliemnia, quae Professi nostri concipiunt, eorumque sedulam accuratamque custodiam, quorum unumquodque, vel omnino vel ex parte, fit alteri quoque commune gradui. Et in singulis quidem quattuor exigit proprie suos Angelis similes. Nam

P. 6. c. 1. § 1.

Puritatem requirit, *enitendo angelicam imitari et mentis et corporis nostri munditia* ; Pauper-

tatem, quae etiam in commune procul a se ius omne atque dominium terrestrium rerum excutiat, purosque nos, Angelorum instar, nudosque constituat ; quin et more Angelorum, cum se totam commodis hominum indesinenter impenderit, nullam prorsus humanam ab iis mercedem accipiat : oboedientiam intellectus, operis, voluntatis, qualem Angeli adversus divinum praesidem suum exercent ; alas, alacritatem, studium Angelorum in missionibus solo animarum beneficio obeundis. O formam egregiam, cuius ad perfectionem humana umquam pictura nulla pervasit ! Immo haec Angelos ipsos effigie hominum exprimit ; at nostra vicissim homines fingit imagine Angelorum. Sed qui fabrum praefectus idoneus erit ad praeparandam operi materiam, quod oporteret expers esse materiae ? Universe magno id erit emolumento, ut, qui Dei vices gerit ad Angelos suos stimulandos atque animandos, utatur his formulis, quas Ioannes Apostolus in idem officium adhibebat ad suos. Quod puritatem spectat ; exponat iis illa duo Christi mandata, quondam angelo denuntiata Sardensi, alterum timoris : *Veniam ad te tamquam* Apoc. 3. 3. *fur, et nescies qua hora veniam ad te ;* alterum spei : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae, et confitebor nomen eius coram Patre meo, et coram Angelis eius.* Cultoribus paupertatis ac propriae abnegationis illud referat, quod dictum est angelo

Apoc. 2. 9. Smyrnae : *Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es.* Promptis ad oboedientiam inculcet, quod Beato Carpo, angelo et
Ibid. 18. episcopo Thyatirae Ioannes : *Haec dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, et pedes eius similes aurichalco : Novi opera tua, et fidem, et caritatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus.* Ad eos, qui vitam inter assidua rerum incommoda atque discrimina transigunt in missionibus ad infideles, ut eos Christo lucrentur, scribat quae Christi nomine significavit
Ibid. 48. Ioannes angelo Pergami : *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam.*

Duo praesidia castitatis: 19. Verum, praeter universale hoc incitamentum atque solacium, quod in eo situm est, ut superior prae se cognitionem meritorum ferat, eorumque remunerationem tamquam divinae rei procurator promittat ; mandanda insuper erunt exsecutioni peculiaria quaedam instrumenta, quae Sanctus noster fundator in absolutissima Constitutionum idea non omisit. Et quidem, ad puritatem quod attinet, videretur id in Societate usurpandum, quod quidam olim legislator de parricidio decrevit, cui nullam poenam imponendam putavit, ne patrari illud posse declararet. Tamen, cum palam faciat Deus, eiusmodi virtutem naturae viribus superiorem esse, cumque alia ex parte

nobis exploratum sit, quamcumque vel tenuem in hoc lucidissimo Societatis adamante labeculam supra omnem modum suo illum pretio fraudaturam; duo praecipue commendata faciam, quae fidei nostrae S. Pater ad eius conservationem opportuna commisit.

20. Primum est, ut suaviter alatur in subditis humilis quidam eius amittendae metus, quod solet haberi certissimum pretiosarum mercium tutamentum. Neque vero est, cur timoris huiusce nos pudeat; immo potius eo gloriandum nobis, imitantibus hoc uno sanctissimos in Ecclesia viros, nec ignorantibus fortissimos ethnicorum heroas a profanis scriptoribus hoc nomine celebratos, quod huius iacturae metum ostentarint, ceteroqui perturbationem ipsorum animis prorsus ignotam. Hic unus efficiet, ut labendi occasiones diligentissime caveantur, utque leges modestiae, velut fida custodia aestimentur; neve offensioni atque iniuriae, sed defensioni potius atque honori tribuatur, quod Societas in quemlibet suorum, quantumvis eximium, curam intendat, eumque semper in oculis habeat, veluti in theatro conspicuum, atque ideo circumspectum. Quod si quis idcirco secum iniquius agi putaret, idem plane faceret atque febricitans, qui medico tamquam iniurioso indignaretur, quod sibi ad manum calicem potionis noxiae non permitteret. Primum, timor labendi;

21. Posterior modus est, ut animus addatur

Secundum : redditio rationis conscientiae.

subditis atque fiducia ad reddendam sincere conscientiae rationem. Qui modus adeo peculiaris ac proprius nobis est, ut quinta Congregatio generalis ipsum inter ea posuerit, in quibus Instituti nostri summa ac natura consistit. Verum, ut haec sui revelandi fiducia obtineatur in subditis, necesse est quattuor in superiore dotes emineant : amor, qui suaviter ad communicanda arcana cum alio impellit ; quippe ad communicandum cum amico quippiam tanto est unusquisque proclivior, quanto morosior ad fidendum credendumque se iudici ; patientia audiendi, nam qui loquenti cupiditatem prae se fert finiendi sermonis, etiamsi dicere iubeat, ad tacendum invitat ; auxilium, cum in propriis imperfectionibus declarandis tanta sit amarities medicinae, ut non hauriatur, nisi certo praesumpto lenimento per spem recuperandae salutis ; secreti fides, quod suapte natura usque adeo necessarium est, et cum ipsa suimet aperiendi obligatione coniunctum, ut praeceptum de sigillo confessionis haud pure positivum esse, sed etiam naturale, theologorum non pauci pronuntient. Haud ignotum est, quod Collatione secunda apud Cassianum legitur, difficultatem omnem communicandi sui, quam boni illi monachi experiebantur, ortum duxisse ex imprudentia cuiusdam superioris, qui culpam sibi ab ipsomet peccante detectam eidem turpiter exprobravit. Equidem hac super re semel edico, ac mentem diserte meam

Decr. 58.

Ad eam obtinendam quattuor sunt dotes in superiore necessariae.

Cap. 26.

aperio : si forte resciverim violatam a superiorum aliquo fidem, vel aperiendo secretum, vel in aliquem alium usum, praeterquam privatum subditi revelantis bonum, cognitione eiusmodi abutendo, diversa plane ratione quam qua medicus plagam sibi nudatam ab aegroto tractaret ; semel, inquam, edico, muneris mei praecipuas ducturum me partes, ut, inflicta memorabili poena, documentum eiusmodi palam statuerem, ex quo subditi magis alliciantur ad confidentiam exemplo supplicii, quam violati secreti memoria terreantur. Idem plane dictum volo de materia litterarum, quae ex Regularum praescripto a superioribus inspiciendae sunt. Nec super huiusmodi praevaricationibus, tamquam fidei publicae perniciosis, quisquam se mihi quocumque vel imprudentiae vel rei levioris nomine ita probabit, ut excusationem admittam.

Puritas paupertatis curanda.

22. Puritati paupertatem attexam : quae in eo posita est, ut privatim ac proprie habeamus nihil, utque in ipso concessarum rerum usu contenti simus ac laeti condicione pauperibus consueta. Prius difficile minus est, quippe quod magnam partem in praecisione quadam intellectus et probabili interpretatione consistit ; magis arduum toleratu posterius est, quod habet molestiam incommoditatemque naturae. Sed ut pronius idem fiat ac mitius, duo sunt efficaciora instrumenta : alterum superiorum aliorumque, qui magis conspicui sunt, patrum exemplum ; in memoriam apud se revocando,

Davidem, reiecto aquae vasculo privatim oblato, magnam bibendi voluntatem siticulosi totius exercitus exstinxisse ; alterum, providentia diligens, ut, quoad fieri poterit, necessaria et convenientia cuique non desint ; nam qui necessariis minime carent, negari facilius sibi supervacanea patiuntur. Quam ob rem observandus semper erit ille sanctus accuratae circumspectionis modus, quem nobis Beatus Pater exhibuit : *Quisque iis, quae de communi data fuerit ad usum suum necessarium aut convenientem, resecatis superfluis, sit contentus.* Scio amorem sui privatum praestigias interdum animo facere, ut, superfluum quod est, necessarium videatur : sed quantum in rebus humanis caveri potest, ea quae sequuntur, in Regulis nostris tradita, opportuna erunt, ut vel tenui pauperum victu cultuque satis superque factum sibi putet ipsa communitas. Primo, ut illi provideatur rebus condicione sinceris, caritate praeparatis et valetudini commodis. Prava superiorum oeconomia diceretur atque esset, qui, pro eo ac deberent curare bonorum temporalium incrementum studio atque industria posita in cultu agrorum et opportunitate providendarum rerum, parsimoniam ipsi omnem in eo collocarent, ut, quod subditis religio decrevit et natura poscit, id carperent, et praeparca manu subducerent. Non ea fundatoris sancti mens est ; sed magis, ut victus, ac rerum omnium necessariarum et con-

Necessaria non subtrahantur.

P. 6. c. 2. n. 11.

venientium ratio *non sit diversa ab eo, quod medicus illius loci, in quo vivitur, iudicabit.* P. 6. c. 2. n. 16.

Senibus aliquid indulgendum.

Secundo indulgere aliquid necesse est indigentiae quorundam senum, bene praesertim de Societate merentium, cuius obsequio aetatem ac valetudinem cum laude consumpserint, eamque adhuc promoveant et valde iuvent exemplo atque consilio, neque sensui iucunda aut statui dissentanea petant. Quare defectus ingens caritatis gratique animi, et par ad ceteros avocamentum laboris esset, qui forte intellegerent a superioribus, aut parvae molestiae eximendae exsecutoribus sibi subiectis, aut minutae cuiusdam impensae declinandae causa, bonis huiusmodi senibus pro cuiusque indigentia non provideri. Neque est, cur superiores iidem eo nomine se mihi purgent, quasi haec, quae singillatim uni praecipue extra ceterorum ordinem tribuuntur, excitent opinionem necessitatis in multis. Hoc periculum non retardavit Sanctum Patrem quin ita praescriberet : *In particularibus, si magis vel minus necessarium erit, iuxta circumstantias personarum, relinquetur discretioni eorum qui ipsis praesunt, ut, quem ad modum iis conveniet, provideant.* P. 6. c. 2. Enimvero facili negotio internoscuntur, qui, procul ab omni specie deliciarum, ea tantummodo petunt quae praecise postulat valetudo, ab iis qui, maius commodum consectando, salubriora respuerunt, nisi eadem iucundius acciderent, saperentque gustatui, in

ceteris vero sibi ab immoderatione noxia non temperarent. Neque frigide minus iidem superiores paupertatem collegiorum excusarent, cum facile possint impensis potius aliis minime necessariis abstinere. Quapropter eo reprehendendi magis essent, si, ut nova sacella aut novas aedes exstruerent, omitterent praebere alimentum iis, quibus dici cum Apostolo potest : *Templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis.*

1. Cor. 3. 16.

Oboedientiae praestantia.

23. Maius omnino, quam corporis bonorumque externorum, holocaustum est propriae libertatis ; non solum quia haec multo nobilior est, sed etiam quia in hac una, tamquam omnium domina rerum, continetur quicquid eminet et donatur in singulis. Quare Sanctus Thomas, dum vota in se comparat religiosorum, primum detulit oboedientiae locum, maioremque religiosi cuiuspiam Ordinis praerogativam putavit excellentiam virtutis huius, quam reliquarum : quippe quae instrumentum sit efficacius, propiusque tendat in universalem vitae religiosae finem. Idcirco Sanctus nostrum omnium Parens, perfectionis supremae percupidus, praecipuum in eo studium collocavit, ut eminentiam virtutis huius in Societatem induceret, cum conscientiae securitatem vinculumque concordiae pariat, viresque omnes in unum idemque propositum intendens in eoque coniungens, cunctos efficiat ad ardua quaeque in Dei gloriam perpetranda facinora operosos. Nulla prorsus oboedientiae forma

22 q. 186. q. 188. art. 2. ad 1.

delineari perfectior ea potest, quam Sanctus nobis Pater expressam reliquit. Exsecutio ipsa difficilis et quidem omnibus accidit, sed superioribus praesertim, qui, dum virtutis huius promovent integritatem, videntur viris haud exquisiti iudicii studere potius, auctoritatis propriae existimationisque privatae compendium facere. Pauci sunt, qui perspicaci simul et puro perturbationibus intellectu dignoscant, ab iis potissimum superioribus obsequium virtutis huius urgeri, qui animo a praefecturis abhorrent, et oboedientiae semper obnoxii, quam eiusdem moderatores esse mallent ; amplius, quae ab iis imperantur, plane in nullum ipsorum privatim redire compendium, sed unice illuc evadere, ut Communitatis bono deserviant, hoc est, iis ipsis qui imperata perficiunt ; denique naturam vitae communis in eo sitam, ut aliqui statuantur identidem, quibus ceteri vi legum adacti obsequenter obtemperent ; propterea, ubi accuratior oboedientia, ibi felicius vitae commercium reperiri. Sed ad multitudinis captum haec argumenta non faciunt. Duae sunt, et quidem potentissimae res, quibus, si comparentur, haec virtus facile in omnium animis nutriatur.

Eiusdem exsecutio difficilis, praesertim superioribus.

24. Prior, ut Superiores, praebendo se medios nullique privatim addictos, caritatis apprime studiosos, dictis factisque moderatos et cautos, palam ubique faciant, nihil sibi propositum esse praeter commodum subditorum ; quae omnia in his ipsis

Duo adiumenta oboedientiae.

amorem atque fiduciam superioris creant, inclinantque horum animos, ut in eo prudentiam esse sibi persuadeant. Quod si de hac ipsa eius prudentia forsan ambigerent, ex altera tamen parte conscii sibi ipsi sunt, se prudenter parere etiam imprudenter imperanti ; ex altera vero parte libenter eius voluntati, quem diligunt, sese subiciunt et obsequuntur. Posterior vero res est, ut experimento compertum superior faciat, oboedientes qui sunt, eos benignius leniusque tractari ; quod si brevi aliquo temporis spatio necesse illis sit durius aliquid supra ceteros tolerare, non tamen longe compensationem afuturam. Verum quidem fateor, huiusmodi spem supervacaneam esse perfectioribus, qui non nisi a Deo mercedem factorum exspectant ; sed non omnes hunc apicem virtutis attingunt, et haec ipsa inter nos agendi ratio plurimum fovet atque auget exemplum. Quare in omnes hominum, licet sanctissimos, conventus, sua sunt invecta supplicia ac praemia meritorum ; sed illa, instar medicamenti, valetudinem cum perturbatione conferunt ; haec vero cibos imitantur, qui suaviter nutrimento sunt, atque ideo aptiora existimantur ad alendam una cum legum observatione concordiam.

Votum sollemne de missionibus.

25. Postremo, proprium Societatis est sollemne de missionibus obeundis votum, quod a ceteris ita separatur atque eminet, ut virtus speciei propagatrix, quae viventium peculiaris est, ab individui

conservatrice, quae cum rebus quoque inanimis communicatur, atque idcirco munus huiusmodi Angelis in caelo, in terris Apostolis nomen imposuit, immo ex tribus Divinis Personis ad duas quoque pertingit ; huc deinde reducitur studium omne animarum in contionando, in rudimentis christianae doctrinae tradendis, in congregationibus pie moderandis, aliisque similibus ministeriis exercendis. Haec porro pars tam apte a nostro architecto describitur, ut in ea comprehendi videatur huiusce templi velut basis et caput, cuius obsequio cetera, ut uni obsecundarent, delineata sint. Verum ut praestantissimae rerum formae sunt eaedem difficillimae, quae ab influentibus caeli sideribus, motuque assistentium iis mentium inducantur, ita hoc nobilissimum quidem facinus est, sed omnium maxime negotiosum, quae superiores aggrediantur ac prae manibus habeant. Ingens in his studium exigitur : quo minime satis habeant, ut subditi a malis abstineant, quod plerisque mortalium abunde est ; sed eo enitantur, viresque omnes insumant, ut maius ipsum bonum in suis ubique praeoptent. Ad summam, praesides requiruntur, qui ex animo seduloque militent sub iis insignibus, quibus dictum appositum : *Ad maiorem Dei gloriam.* Nec declinandae molestiae causa, quam habet aut nova distributio subditorum per collegia, aut viatici iisdem necessarii provisio, neglegant frequentiam missionum ; neque, ut privatorum

Curandum, ut recte obeantur missiones.

cupiditatibus obsecundent, congregationes eorum curae destituant, qui parum idonei sint, fructuosi minus ; neque impotentia, praeterquam infirmioribus, imperandi, in traditionem doctrinae christianae, exercitationesque consimiles, occupatam habeant eam quae addicta sit studiis iuventutem, et non potius viros in gradu iam constitutos, qui ad haec ipsa voti religione coguntur ; neque, abalienatione animi a rebus post longe futuris, successorumque tempore maturandis, incultam deserant, efferentem sese iam tum in adulescentibus, contionandi facultatem, quae tantae est in Ecclesia excellentiae atque momenti. Huius enim culturae defectu fieri posset, ut vel eam laudem ingeniosissimi quique despicerent, vel iidem, a recto tramite in caeca veluti diverticula aberrantes, persuaderent sibi, eminentiam huius artis totam esse in vana quadam ostentatione eruditionis atque facundiae ; non autem in eo, ut intellectui auditorum per rationes atque argumenta, voluntati vero per motum impulsumque vim faciant. *Discat a vero David*, inquit S. Hieronymus de contionatore christiano, *extorquere de manibus hostium gladium, et Goliae superbissimum caput proprio mucrone truncare.* Avertat Deus a Societate sua, ut per eam contaminari sublime hoc ministerium patiatur, Ecclesiam profanari, aliosque, praeterquam Apostolos, apostolica in pulpita introduci. Quod si modo quis cum eodem Sancto Hieronymo

Contionandi facultas in iuvenibus excitanda et excolenda.

Ep. 70. ad Magnum.

putet, profanae sapientiae non interdictum plane sacris, neque omnino templorum Christi fores occlusas; saltem hoc caveat, ut, priusquam illuc Ammonitidem hanc, aut Moabitidem (quam idem Sanctus appellat) intromittat, praecidat illi capillum, ungues resecet ac vestem immutet. *Sin autem adamaveris captivam mulierem, id est, sapientiam saecularem*, inquit Sanctus Hieronymus, *decalva eam, et illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis unguibus seca.* Ep. 66, ad Pammach.

26. Finem huius Epistolae faciam, si documentum et mihi, et ceteris, quos a Deo huius ferendi oneris adiutores accepi, opportunum adiecero. Hoc est, tales Societatem filios, quales nos esse voluerimus atque fecerimus, habituram; quod si nos in eorum virtute, qui nunc nobiscum agunt, fruimur superiorum laboribus praeteritorum, non esse sane committendum nobis, ut successores nostri messem minus sinceram, nostrae culpa culturae, suo ipsi tempore experiantur. Conclusio.

27. Redeo iam ad eam lucem, unde principium duximus, quae, ut Sanctus Ambrosius putat, primum est atque praecipuum cuiuslibet fabricae ornamentum: *Lux est, quae reliquos domus commendat ornatus.* Duplicem ego lucem in hac ipsa universitatis aedificatione reperio, alteram primo mundi die a magno illo patre luminum procreatam; quarto auctam alteram, et in plura lumi- Lux duplex aedificii spiritualis:

naria distributam. In hac quoque nostra spirituali fabrica, utrique quod apte comparetur, apparet. Nam priori quidem luci accommodata lux est primae Societatis ideae, quam in eadem Societate formanda Sancto Parenti Deus afflavit; posteriori vero totidem luminaria proportione respondent, quot sunt virtutes, opera, exempla primorum patrum maiorumque nostrorum, qui, vel exsecutione vel usu, clariorem nobis magisque conspicuam reddidere primam primae ipsius ideae nostrarumque Constitutionum lucem; ut vere hoc usurpare possimus elogium: per absolutissimam rerum exsecutionem prima divinitus affusa lux *processit, et crevit usque ad perfectam diem.* Auctorem huiusce dicti, non me, sed Origenem praefero, qui luces has geminas separavit et geminos dies: *Illum sane beatum*, inquit, *qui verbo Iesu et sapientia eius illuminatur, qui ex eius doctrina accipit lumen; sed ille post hunc beatus, qui in diebus seniorum Domino servit. Seniores qui sunt, nisi qui et ipsi illuminant corda nostra, et faciunt dies quosdam in nobis ex illa luce, quam ipsi ex vera luce participarunt?* Perinde atque dixisset, doctrinam et institutionem Iesu, hoc est, adumbratam traditae ab Iesu nostro doctrinae atque institutionis imaginem, veluti lucem nobis, primumque lucis diem fecisse: sed exemplum, usum, exsecutionemque disciplinae huius, a nostris maioribus tot veluti lumina-

1.° Prima idea Societatis.

2.° Exempla maiorum et seniorum.

Homil. 5. in c. 2. Iudic.

ribus derivatam, alterum nobis diem sane clariorem ac puriorem creasse. Apteque idem observat Origenes, exactioris erga legem observantiae causam *in diebus seniorum* (inquit ille, dicamus nos, aetate maiorum nostrorum) fuisse vivum ipsorum exemplum atque virtutem. *Praetereundum non est, quod dicitur, servivit populus Domino omnibus diebus Iesu, et omnibus diebus seniorum.* Quod si illum interroges, quinam, et quot isti sint dies ? respondebit : *Dies unus est iustitia, alius prudentia, alius misericordia ; et sic per singula dona virtutum, omne, quod ad virtutem pertinet, Iesu dicito diem.* Quaelibet virtus suamet luce, atque usu sui, verum disciplinae diem in Societate format. Dicendum igitur vere est, tam diu Societatem diebusque totidem in statu suo perfectaque Regularum observantia duraturam, quam diuturna in senioribus erunt ac praecipue in superioribus exempla virtutum, et quam diu ex his ad iuniores ea lux vivida transfundetur. Ibidem.

28. O utinam postrema hujus epistolae dicta cordi meo Apostolus Paulus imprimeret, eique vim talem spiritus impertiret, ut exprimere ego possem in vestro sententiam, verbis ab ipso gravissimis in suprema sua ad Hebraeos epistola ponderatam, dum loquitur de vetere tabernaculo quod renovatum in nobis, tantoque maiore magnificentia et divinae incremento gloriae reformatum Superiores omnia agant ad ideam a S. P. N. relictam.

est. Expendit ibi diligenter Apostolus verba Moysi
Ad Hebr. 8. 5. dicta *cum consummaret tabernaculum* : *Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est.* Eaque occasione praesumpta, architecturam formamque novi tabernaculi a Christo non manufacti confert ac praefert ideae atque operi illius antiqui : *Nunc melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti Mediator est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Locus ac positus secundi huius tabernaculi non alius sane quam cor nostrum est. Praeterea luci illius tabernaculi umbram huius anteponit ; quia lux illa ac modus antiqui, *exemplari et umbrae deserviunt caelestium.* Ex tota hac ratiocinatione quid arguit demum Apostolus ? Primo, qua debeant ratione superiores novo huic operi curam impendere ac praeesse, vivosque Christi lapides expolire : *Dando leges meas*, inquit Dominus, *in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas* : deinde, quam sanctam ac Dei spiritu plenum esse oporteat virum huic operi praesidentem, cum destinatus a Deo sit tamquam *Sanctorum minister, et Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo :* denique, quid cavere potissimum debeant fabricae huiusce praefecti, hoc est, ne rimas illa ducat, aut nimia vetustate fatiscat : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est*, ut rem totam concludit Apostolus. Cui

sane periculo atque defectui, divinam spero equidem misericordiam haud permissuram ut aliquando subiaceat opus obsequio divinae suae maiestatis erectum ; atque Societas, quam ipse sub signo nominis sui militare voluit, ut immensae suae gloriae propagandae causa sudorem frontis, sanguinemque venarum non assidue minus quam abunde profundat.

Romae XXVIII Octobris M. DC. L.

Omnium in Christo Servus,
FRANCISCUS PICCOLOMINI.

EPISTOLA

R. P. N. GOSWINI NICKEL

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE AMORE ET STUDIO PERFECTAE PAUPERTATIS

De more scripturus ad universam Societatem,

I. Qui ad Societatis universae gubernationem hactenus a Deo vocati sunt, ut primum eam de sublimiore loco circumspexere, idem omnes vehementer optarunt, ut loca singula invisere et socios omnes coram alloqui possent : tum ut id officii suo ac suorum solacio impenderent, tum vero potissimum,, ut si quid aut Superiorum in-

curia, aut quaedam sua sponte subrepens remissio, aut daemonis fraus et violentia corrupisset, exhortando et commonendo repararent, atque ita Societatem, quam ab antecessore acceperant, salvam atque integram successoribus traderent. Verum, cum e re publica magis esset, ut hic velut ad clavum sedentes eam gubernarent, quod reliquum erat, vicarias pro se quisque ad universam Societatem litteras substituerunt, quae eos et locis omnibus quodammodo repraesentarent, et singulos si non voce, calamo ad perfectionis studium adhortarentur, atque ita fieret, ut spiritus fervorem vel sponte ardentem magis accenderent, vel sopitum additis ad profectum stimulis excitarent. Quod idem praestandum mihi esse existimavi, ut qui inter eos non tam numero quam merito postremus sum, ipsorum vestigiis religiose insistam, et sequar quo tam utiliter praeierunt. Porro cum diu multumque mecum ipse expendissem, quid pro praesenti Societatis statu magis necessarium videretur, tandem nihil ad communis disciplinae bonum opportunius, nihil Deo ac Sancto Parenti nostro gratius facturum me iudicavi, quam si vos ad perfectae Paupertatis amorem et studium, quantum Instituti nostri ratio postulat, adhortarer. Quamquam enim et ceterarum virtutum, quibus religiosa professio maxime constat, nulla vel saepius repetita commendatio nimia habenda est : tamen, ut Paupertas una prae aliis deligenda hoc

Statuit, ad perfectæ Paupertatis studium Socios adhortari;

loco mihi esset, id eo etiam nomine illi debebatur, quod hactenus ab antecessoribus meis non praeterita, sed alicuius posteriorum Generalium curae relicta videatur; eoque studiosius eius incolumitati prospicere aequum est, quod, plerisque nescio quo errore deceptis, minus quam reliqua duo vota periculo obnoxia esse videatur : quare, dum tutior creditur et neglegentius defenditur, periculosius impugnatur. Hinc magnus ille Franciscus mirantibus, cur adeo totus in asserenda stabiliendaque Paupertate versaretur, sapientissime respondit, ei magis cavendum esse, quam a periculo tutiorem ceteri falso arbitrarentur. Superiores enim exigendae a subditis oboedientiae eo diligentius vacant, quod simul cum publica privatam quoque rem suam una eademque opera promoveant. Castitatem vero per se quisque intellegit rem esse, ut splendidissimi, ita et delicatissimi nitoris, quam, crystallini instar speculi, tenuis quilibet afflatus commaculat aut infuscat. Etsi vero tota Societas in Congregationibus generalibus de Paupertate non pauca ex occasione constituit, tamen, quia forte videri alicui potest ea ad necessitatem eius facere magis quam ad perfectionem, ideo adhuc locus de ea dicendi relictus est; ut intellegant universi, quod, sicut oboedientiae et castitatis tantum, quantum est harum virtutum, in hominibus Societatis nostrae requiritur, ita etiam Paupertatis, quod et ratio, et exempla eorum qui

Nam Paupertati magis attendendum, quam reliquis votis.

perfectionis evangelicae viam recte atque ordine inierunt, satis superque demonstrant.

Paupertatis necessitas ostenditur ex fine Societatis.

Exam. c. 1.

2. Ac primum illud animo repetendum est, Deum O. M. cum nos in hanc Filii sui Societatem allegit, singulis nobis eundem illum, qui et totius Ordinis est, finem proposuisse : ut non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacemus, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbamus. Ad quem finem melius consequendum tria vota Oboedientiae, Paupertatis et Castitatis emittuntur. Qua Constitutione, finis, qui apostolicae vocationis est, satis aperte declaratur ; ut oboedientiae et castitatis, ita et paupertatis nostrae mensuram et modum esse, quicquid eius ad animarum nostrarum perfectionem et ad proximorum salutem consequendam facit. Quis autem in hac religiosae disciplinae schola adeo rudis et ignarus est, ut non statim intellegat, non eam hic designari Paupertatem, quae tantummodo citra sacrilegium est, ut integro voto peccari ultra non possit ; sed omnino perfectam, quantum et rem et affectum, et magna et minima quaevis complectitur ? Scilicet, ut res ipsa per se loquitur, aliud est non esse malum, aliud esse optimum, aut saltem ad id, quod in virtute summum atque optimum est, magis magisque intendere.

Ac primum ex debito propriae perfectionis.

3. Ac, ut primo loco de animarum nostrarum profectu sermo instituatur, esto hic sapientissimum

illud Gregorii Nysseni monitum : ad sanctitatem nitentibus (quae scalae a Iacob paternam domum egresso per somnium visae, nosque hinc ad caelum usque ac Deum, hoc est, ad caelestis et divinae vitae consortium transferentis mysterium fuit) infimum, atque ideo primum omnium gradum esse, a terra discedere ; ut frustra omnino sit, quicumque vel uno pede terrenis hisce rebus inhaerens conscensum ad superiora sibi pollicetur. Adhuc tota illum manet via ; et, si ex imo suspicere perfectionem potest, et eam, quod inertes et languidi faciunt, procul suspirare, at certe assequi omnino non potest. Nam in hoc evangelicae vitae curriculo, in hac religiosi progressus scala, qua de virtute in virtutem ascenditur, quantum viae et graduum superest conficiendum etiam iis, qui iam se per voluntariae Paupertatis votum terrenis rebus plane omnibus abdicarunt ! *Temporalium enim*, ait Paulinus, — *ille ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, et copiose sanctus*, ut eum nominat Augustinus, — *Temporalium*, inquam, *quae in hoc saeculo habentur, bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingressus ; nec ut meta, sed ianua est. Non enim athleta tunc vincit, cum exuitur ; qui ideo nudatur, ut incipiat dimicare : cum legitime certavit, coronandus.* Quae si vere, ut procul dubio verissime, a sancto viro, et evangelicae Paupertatis non tam verbo et lingua quam opere et

De Beatitud. c. I.

De civitat. lib. I. c. 10.

Epist. 24. ad. Severum.

veritate magistro prolata sunt, videant quam prope coronam stent athletae nostri, qui nondum se totos exspoliaverunt, ut incipiant dimicare ; videant quam prope metam accesserint, qui adhuc terrenis rebus impediti numquam satis se ad cursum expedierunt. Certe, cum Dei Filius caelestem illam, et octies beatam religiosae vitae formam in monte describeret, paupertatem spiritus primo loco quasi ad regiae vestibulum statuit ; ut, qui ingressum ad intima et sanctiora desiderant, ab ipso statim limine intellegant, debere se a rebus plane omnibus nudos Paupertati deducendos tradere, tam diu ad ostium haesuros, quam diu aliqua eorum, quae mundi sunt, cupiditate implicantur. Nam si, ut optime Augustinus, *amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum : ecce concupisti, haesisti ;* nonne adhuc in ipso religiosae vitae limine haerent, quasi visco, ne dicam luto, infixi, qui sua illa terrena sic diligunt, ut ea numquam satis dimittant ; aut, quod longe deterius est, olim dimissa paulatim repetunt, quasi eos, post multum aetatis et fortasse etiam laborum in domo Domini exactum, voti ac propositi sui paeniteat, et ad saeculum redeundi facultas magis desit quam affectus ? Quare, ut communiter omnes, ita nos singulariter appellat illa ab ipso evangelicae vitae exordio posita, et totiens repetita a Christo Domino lex, ut, qui illum sequi velint, hoc apud sese primo constituant, renuntiandum sibi esse

Serm. 112. de verb. Dom.

omnibus, omnia relinquenda, etiam se ipsos ; ea denuntiatione, ut, qui secus fecerint, nec discipulos se esse, nec eius societate dignos sciant. Qua velut falce, ut cum Ambrosio dicam, in pectus nostrum immissa, omnem ibi terrenarum cupiditatum silvam uno ictu succidit, positurus in eo divinum illud perfectae caritatis semen, cuius tanta est fecunditas, quanta cordis nostri ab omni terrena cupiditate sterilitas.

Lib. 2. Offic. c. 25.

4. Nec sibi quisquam blandiatur, iactans rerum, quibus vel ad decorem vel ad delectationem vel ad commodum utitur, tenuitatem nihil officere Paupertati : habere illam gradus, summum, medium, infimum ; in quo quisque constiterit, intra virtutem stare ; neque enim continuo malum esse, quod non est optimum ; nos vero, qui non vivimus in antris et silvis, ut olim anachoretae, minime dedecere honestiorem aliquem cultum, qui huic, quam profitemur et agimus, mediae et communi vitae dissentaneus omnino non est. Qui in hunc modum ratiocinantur, veritatis specie aliqua ad fallaciam assumpta, eos primum rogatos volo : an, cum se ac sua omnia Deo rite et sancte voverunt, partem aliquam, perexiguam licet ac minimam de summa decerptam, quasi facta exceptione, sibi reservarint ? Id vero sua cuique conscientia constantissime pernegabit. Quis enim, cum ad Societatem etiam per calcatum patrem venit, non ab omni caducarum rerum desiderio atque amore

In rebus etiam minimis Paupertas ad perfectionem necessaria.

prorsus vacuum ac purum cor secum attulit atque obtulit Deo; ut totum se caelestibus impleret, quem iam terrena nulla occupabant? Iam quid tam longe, ac retro agi nos sinimus, ut eorum, quae iam pridem recte intellexeramus, obliti, et, ut inquit Cassianus, vim Evangelio inferentes, omnimodam nuditatem et rerum etiam exiguarum renuntiationem Paupertati, quam profitemur, et voti, quod emisimus, integritati necessariam non esse iudicemus? Neque vero, quod ea, in quorum comparatione usuque occupamur, levia et modica sint, leve et modicum est detrimentum, quod animae inferunt: sunt enim qui in hac veritatis et lucis schola ita miserabiliter aliquando caecutiant, ut, nisi trabes in oculis ferant, nihil sentiant; festucis, quia non totum lumen exstinguunt, eruendis excutiendisque manum non adhibeant. Quod ii faciunt, qui, cum supervacaneis abundent, quod ea, etsi forte non pauca, tamen non adeo ingentis pretii videantur, nulla esse existimant: et, quod divites non sint, si cum divitibus saeculi comparentur, non tamen intellegunt, se mundi pauperes esse, non Christi. Dum vero odiosam Deo rapinam in holocausto defendunt ipsa rerum quas possident exiguitate; mirum sane est, si non vident hinc se accusari potius quam defendi. Nam vel eo pudendum est magis, quod summa illa atque absoluta Dei dilectio, quae est forma sanctitatis, thesaurus omni comparatione

Lib. 7. c. 16. de spir. philarg.

maior, tanti apud eos non sit, ut ei perfecte acquirendae hoc tantulum pretii quod superest, modica, inquam, et levia ista quae possident impendere nimium putent, frustra ab evangelico mercatore edocti, rerum prorsus omnium dispendio pretiosum illud margaritum comparare, in quo uno rerum omnium compendium est. Illud etiam quam miserabile, quod ii qui magna possident, possideantur a parvis ? Nam, ut recte monuit Cyprianus, non est habere ista, sed haberi ; si affectui nostro tam fortiter imperant, ut ne rem quidem Deo gratissimam et religiosae perfectioni in primis necessariam praestituri, ea dimittamus. Adde, quod, cum Paupertati comes, si non individua aut cotidiana, certe assidua et frequens accedat necessitas, pronum est intellegere quam patienter, ne dicam hilare, laturi sint necessaria sibi deesse, qui tam obstinate volunt etiam non necessariis abundare.

Quam perniciosum sit, opiniones Paupertatem relaxantes disseminare, primum singulis,

5. Quae dum memoro, subit animum, nec sine maerore, fateor, recordatio non nullorum, qui sibi infeliciter, aliis damnose acuti, laxandae ultra ius fasque omne Paupertati sua quaedam commenta excogitant, vel aliunde conquisita in vulgus efferunt, docentes gravia quaedam et factu admodum periculosa, salva atque integra Paupertatis et voti obligatione, licere : invehuntque ea passim eiusmodi rerum ignaris, ne, ut aiunt, imperitia sua decepti, trepident timore ubi non est timor, et

frustra peccent, si forte illicitum putent, quod doctorum hominum arbitratu, quorum munus est hasce de conscientia quaestiones dissolvere, tuto et sine ulla culpae suspicione fieri posse statuitur. Qua sane pietate nihil crudelius fingi potest ; nam, ut non omni probabilitatis specie careant istiusmodi opiniones, an eas operae pretium est passim disseminare, ut error et scrupuli paucis eximantur, plurimis ingerantur ? Neque eius inscitiae sunt omnes, ut non satis intellegant, quam incerto duci abducendos se committant a recta et regia via, cum in Paupertatem audent quippiam eorum, quae certis quibusdam ratiunculis fieri impune posse audiunt ; videntque stare ex adverso et contradicere, non modo sapientum virorum consensum et vocem, sed vero etiam Praepositorum Generalium decreta, qui hasce commenticias et noxias opiniones procul a Societate ablegarunt : quo fit, ut veritatis incerti, et non sine magna suspicione erroris, audacter magis quam fidenter faciant, quod postea, ubi resipiscunt, aversentur ; seque ipsos inconsultae temeritatis damnent, veriti, nec sine causa, ne sibi magis sua cupiditas quam periculosae sententiae ratio persuaserit. Quare qui scrupulis liberare se posse imperitos iactabant, paene scientes in errorem aut dubium trahunt ; opera quidem in studendo male collocata, si ea discunt et docent, quorum, ut Augustini verbis utar, *melior est fidelis ignorantia quam temeraria*

Serm. 27. de verb.Ps. 95. et Ap. Rom. 8. *Miserebor.*

scientia. Sed esto ea, quae in hunc modum ad Paupertatis laxationem excogitantur, sint non sine aliqua rationum firmitate satis probabilia : non tamen ideo utiliter evulgantur, cum raro et parum prosint, saepe et plurimum noceant. Cum enim ii, qui a votorum obligatione solutiones eiusmodi et licentias amant et in usum trahunt, non ex eorum numero procul dubio sint, quibus disciplina et perfectio cordi est, sed inertium et remissorum, quibus summae virtutis loco est, tantum non esse sacrilegos ; an ii, quaeso, ita se continebunt, ut eo tantum usque procedant, quo per summam eiusmodi opinionum indulgentiam licet ? Nequaquam, si sapientum hominum testimoniis et magistrae rerum experientiae fidem ullam habemus : nam, ut e sublimi montium iugo continenter ad ima decurrentes lapsum repente sistere et pedem figere ubi primum volunt, vix umquam possunt ; sed praeconcepta vis atque impetus nolentes agit, devolvitque etiam invitos : sic, qui ad id omne feruntur, quod quacumque tandem coniectura licitum putant, saepe ad illicita delabuntur, et amantes periculum pereunt in illo.

Deinde Ordini universo.

6. Et haec quidem hactenus ad privata damna singulorum. Iam quid universo Ordini accidet, si in eo haec cathedra pestilentiae scholam habeat et magistros ? Nemo sibi persuadeat, in religiosas familias, in quibus veteris disciplinae severitas adhuc viget et imperat, licentiam et vitia aperta

explicataque fronte impudenter irrumpere. Nam ea et loci sanctitas procul arcet, et, si qua forte pedem intulerit, continuo aequi bonique vindex Iustitia eodem flagello, quo in reos nocentes animadvertit, vitia ipsa exterminat. Per fraudem subeunt clanculum et personata, tunc magis timenda, cum speciem boni, vel saltem non illiciti operis mentiuntur. Et primum quasi verecunde ac timide paucos occupant ; et, si illos impune, mox sensim ad alios prolabuntur, crescuntque in dies ; donec vulgare malum sit, et tam aperte domesticum, ut illud ferre quam expellere facilius videatur, et universus Ordo se circumspiciens alium se esse quodammodo et ipse miretur. Spirat sane, vivitque etiam, qui phthisi, aut alio eiusmodi exitiali morbo conficitur, sibi incommodus, aliis gravis : at quis ita vivere praeoptet attritis viribus et vix spiritum ducens, si integra et firma valetudine uti possit, tantum ut velit ? Nos vero quid eam imbecillem, infirmam et prae summa debilitate enervem et caducam Paupertatem malumus, cum qua spiritus vitam vivere vix potest, agere et exercere quod operosi et validi est, omnino non potest : non vero alteram illam firmam ac robustam, quae luctari cum adversario potest, neque deici aut teneri, quia nuda est ; et Christum sequi non longe, sed consequi, quia expedita est et, nullo onere gravis, etiam ad ardua nititur ; et statutam pauperibus spiritu copiosam

mercedem obtinere, quia nihil terrenarum opum prae caelestibus habet ?

7. At, quando de iis, qui per summam opinandi licentiam Paupertatis iura infringunt et disciplinam laxant, satis in praesentia dictum est, ratio postulat, ut e contrario videamus, quam religiose sancteque de ea senserit nostri Ordinis institutor, *cuius decreta*, ut olim de magno Athanasio Nazianzenus, *pro Mosaicis tabulis a nobis excipi aequum est, dictatore scilicet Deo earum legum, quas nobis* Ignatius *promulgavit.* Primo igitur Paupertatem Societatis *propugnaculum* vocat : non eo tantum nomine, quod, ut propugnaculis urbes, sic et Paupertate Societas muniatur ; sed eo potissimum, quod, ut continuo subicit, omnis adversariorum conatus in eam vires et arma intendat, qua vel diruta vel occupata, cetera omnia evertere atque exscindere nullo negotio possit. Atque ut arcium munitionibus a duplici hoste simul cavendum est, scilicet ab externo oppugnatore et a proditore domestico ; ne ille per vim, aggere iacto et admotis machinis et tormentis, vallum transcendat, aut hic occulta coniuratione portam dedat et hostem admittat : ita etiam Paupertati ab aperto quidem hoste, qui daemones sunt, cavendum sedulo est ; sed praecipue a domestico et clandestino, hoc est, inquit S. Pater, ab iis *Qui ea, quae a primis fundatoribus bene ordinata fuerant, innovant per declarationes et*

Quid de Paupertate senserit scripseritque S. Ignatius.

Orat. 3. in laud. Athanas.

P. 6. c. 2. et 10.

P. 6. cap. 2.

innovationes primo illorum spiritui minime consentaneas. Quare ab his primum Societati prospectum voluit, ea sanctione legis, nullo umquam tempore abroganda, ut *Quicumque in ea Professionem emiserint, se ad innovationem Constitutionum in iis quae ad Paupertatem pertinent, nihil facturos promittant ; nisi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent.* Asserta in hunc modum Paupertate ab intestina et domestica suorum coniuratione, iam, quod reliquum erat, eam ab externis hostibus, ducto in omnem partem muro, aggere et fossa defendit, nihil praeteriens eorum quae submovendo amori proprio, sub quo omnis cupiditas militat, opportuna esse videbantur. Ac primo, Societatem ingressuros in ipso statim vestibulo admonet, ut *sui victus, potus, vestitus rationem sibi persuadeant fore ut pauperibus accommodatam.* Tum : *nulla re tamquam propria uti debere ; et mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quicquam de iis quae domi sunt, minime posse.* Et : *paratos esse ad mendicandum ostiatim* ; et : *nihil proprium domi tenere, nec foris apud alios* ; et ex iis, quae de communi data fuerint ad usum suum necessarium aut convenientem, resecatis superfluis, contentos esse debere ; stipendia vero, immo nec eleemosynas, pro rebus quibusque spiritualibus nulla admittere. Denique, quod universa uno

Ibidem.

Exam. c. 4.

P. 3. c. 1.

P. 6. c. 2.

verbo complectitur, diligere Paupertatem *ut Ma-* P. 3. c. 3.
trem. His ille, atque aliis eiusmodi operibus munitionibusque circa Paupertatem dispositis, omnem aditum praeclusit amori proprio, quo nihil ad decipiendum dolosius est, nihil ad impugnandum validius. Solitus praeterea dicere, eum sibi denique videri pauperem spiritu, qui erga ea, quibus uteretur, sic esset affectus animo, ut instar statuae cuiusdam videretur esse, quae nullo pacto resistit recusatve, quominus omni quamvis pretioso amictu et ornatu confestim exuatur. Quid vero (neque enim committam, ut in praeteritis habeam id, cuius est in hac re dulcissima recordatio) quid, inquam, tanta illa Sanctissimi Parentis in orando assiduitas, nocturnaeque vigiliae et uberes lacrimae, et immissa rerum plane divinarum sensa, et redundans caelestium suavitatum copia, aestusque animi divino igne flagrantis, seseque ipsum prae spiritus impetu vix ferentis, et quicquid praeterea idem ipse in commentarios rettulit, ut sibi cotidie repraesentaret ea, quae Deo doctore didicerat totis illis quadraginta diebus, quos in assidua precatione consumpsit, ut unum hoc tuto et sine errore discerneret, liceretne Professorum domibus, quae totae liberali hominum misericordia victitant, sacras aedes vel modicis cum proventibus possidere; ut haberent saltem, unde necessarios sumptus in instrumentum templi ceterosque sacros usus suppeditarent ? Exstant adhuc ea omnia, et quidem,

singulari Numinis providentia et consilio, sola prae ceteris, quae sancti viri, et ad sua dissimulanda et contegenda studiosissimi modestia exciderunt ; exstant, inquam, non tam ad ipsius quam ad Paupertatis commendationem. Nam, si tantum divinae lucis exquisivit et hausit, tam diuturna et familiari cum discretore spirituum Deo communicatione egit, ut rem non adeo magni momenti, si cum ceteris comparetur, certo ac tuto statueret ; quanto lacrimarum et precum impendio eidem constitisse putandum est eas, quas supra memoravi, de absoluta a rebus plane omnibus nuditate ad universam Societatem Constitutiones ac leges ? Quam non nisi immissa caelitus mente, et divino actus illapsu eas sanxit constituitque ! electurus adhuc artioris et pauperioris vitae modum, si e maiori divini Numinis gloria futurum intellexisset, ut nostrae tantum, non etiam proximorum saluti prospiceret. At, quia studiis assidue occupatos in conquirendo ostiatim victu distrahi, et cotidianis exercitationibus fatigatos nimia rerum inopia insuper frangi minime oportebat : quae ad vitae usum, et ad laborum tolerantiam necessaria erant, concedenda prudentissime iudicavit. Rem tamen communem omnium cum privata singulorum ita composuit et temperavit, ut nihilo minus perfectissimae Paupertati locum faceret, dum, quicquid est ultra necessitatem, sive ad commodum, sive ad ornatum, quasi de opulentia damnat, et superfluis omnibus interdicit.

8. Atque haec ex priore finis nostri parte, quae propria cuiusque sanctitas et perfectio est, ad absolutae Paupertatis commendationem petita sint satis. Venio iam ad alteram, eamque, si probe ac diligenter expendatur, equidem non minoris momenti ac ponderis. Ea est studium et caritas in procuranda proximorum salute ; quod quia vocationis Apostolicae officium et munus est, quid in hanc rem opportunius afferri primo loco potest, quam ipsa Apostolorum condicio et status ? Quos si oculis nostris subicere et repraesentare velimus, occurrunt, non modo tenuis, sed plane nullius fortunae homines, quibus patrimonium omne navicula et rete, census ex cotidiano piscatu, victus quantum vulgari et parabili cibo ad vitam in dies trahendam vix atque aegre sufficeret, cultus denique universus agrestis et rudis, et res domi vel angusta vel nulla : at eo vel maxime ad Apostolici muneris administrationem idonei ; tantum ut illud ipsum exiguum ac prope nihil, quod possidebant, et vero etiam (idque potissimum) cupiditatem et studium omne quicquam in posterum comparandi ultro abicerent. Sapientissime enim constituerat Deus, ut caelestes thesauros hominibus impertirent homines, quibus terrenae opes nullae essent, vel in pretio ut eas conquirerent, vel in usu ut possiderent. Nam qua fronte in conspectum orbis terrarum prodirent Apostoli, aut quanta ad persuadendum efficacitate ac vi infinitam immortalium

Perfectae Paupertatis necessitas ostenditur deinde ex cura proximorum.

Pauperes fuerunt Apostoli,

bonorum supra mortalia omnia dignitatem extollerent, si interim ipsi, paupertatis incommoda et dedecus aversati, terrenis utcumque opibus inhiarent, et, quod struere verbis moliebantur, exemplo verbis omnibus ad persuadendum validiore destruerent? Atqui e contrario Dei in homines munificentiae et fidei debebatur, ut, qui eius nomine mortalibus aeternitatem, aerumnosis beatitudinem, pauperibus felicitatem et regnum pollicebantur, ipsi primum ostenderent, terrena haec et caduca, quae caelestium ignoratione mortales quasi sola aut summa suspiciunt, nullo apud se in pretio esse, sed, nihil habentes, in sola spe futurorum omnia possidere. Atque hinc factum est, ut, cum veritatis magister Iesus per designatos a Ioanne discipulos rogaretur, numne ipse esset, qui venturus erat, an alium exspectarent ? renuntiare illos iusserit ea quae audierant et viderant, certa quaedam de se argumenta proferens, atque illud inter cetera singulare, Pauperes evangelizari, quorum nomine Hilarius aptissime censuit Apostolos indicari. Iam quid in Evangelii promulgatione praestiterint, cum imperium Christi, et Ecclesiae fundamenta statuerent toto orbe terrarum, non est huius loci commemorare. Iuvat solum Isaiam audire, cum de sublimi specula futura prospectans, et mentis oculo cernens subactas Christi iugo gentium paene omnium nationes, atque idololatriam flagitiorum omnium parentem cum sua subole profligatam ; tanti operis

Et Paupertate vicerunt mundum.

miraculum illo quasi epiphonemate celebravit : *Conculcabit eam pes, pedes Pauperum, gressus egenorum : Apostolorum scilicet*, inquit Hieronymus, *qui Christi paupertatem imitantes etiam privilegia consecuti sunt.* Quare, ut ad novae legis praedicationem donis sane quam amplissimis a Deo instructi prodierint, Apostoli ea tamen, quasi vix ullo in numero habenda essent, Isaiae praeterita sunt, et devicti orbis terrarum gloria uni Paupertati adiudicata, more exemploque, immo magis consilio atque instinctu Dei ; ut, quos ad idem Apostolicae vitae institutum in posterum vocaret, intellegerent, quantum ad id muneris habeat momenti, si non sola, at prae ceteris voluntaria Paupertas. Quod ut adhuc luculentius testatum apud vos sit, quamquam hominum Apostolica caritate et ingenti animarum lucro clarissimorum exempla paene innumerabilia suppetunt, unum tamen aut alterum proferre consilium est. Inficiebat Ecclesiam pestifera Albigensium lues, iamque Tolosates corruperat, longe maius exitium, et contagione haeretici dogmatis, et vi atque impetu armorum datura, nisi malo latius in dies gliscenti prohibendo manus valida adhiberetur. Eo igitur, ubi tam periculose res Christiana laborabat, Summus Pontifex viros religione et sapientia spectatissimos legavit ; qui, ut curam omnem pro rei gravitate diu multumque posuerint, vix tamen ullum diligentiae atque operae suae pretium rettulere ; donec eodem

Is. 26. 6.

Hieron.

Paupertate Dominicus subegit Albigenses.

missus sanctissimus Patriarcha Dominicus animadvertit, longe aliter atque illi qui se in eo labore antecesserant, agendum sibi esse : scilicet non dignitate personae, non splendido comitatu, non pretiosa supellectili, non denique instructa ad maiestatem specie, auctoritatem et gratiam aucupandam. Quare totus ad Apostolici contionatoris formam compositus, in pauperrimo corporis cultu, detractis etiam calceis, et mendicato victitans, praedicationem apud infectos haeretica lue populos aggressus, brevi illud effecit quod Deo regius vates ascripsit : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum :* ut facile postmodum fuerit, putrescens illud Ecclesiae membrum iam incolume atque integrum suo corpori restituere. Quod si et domestica, ideoque ad imitationem magis accommodata exempla desideramus : unum ad id prae omnibus promam, sed qui instar multorum esse possit, Franciscum Xaverium, qui viam Indis in caelum, Societati in Indiam primus aperuit. Eum ubivis locorum quaeramus, ubique sane non minus Paupertatis, quam caritatis apostolicae virum inveniemus, atque eius Paupertatis, quae non plus ipsi ad gloriam, quam aliis ad salutem contulerit. Hanc sibi comitem ascivit ab ipso statim suae peregrinationis initio : sic enim ex Urbe et complexu suorum discessit, ut nihil secum, praeter simplicem corpori tegendo vestitum, et in cotidianas preces Breviarium

Psalm. 106.

Paupertate Xaverius Indis viam caeli aperuit.

extulerit. Hanc in Indiam solvens omnis viatici et commeatus loco sibi futuram in navim secum intulit ; praeter simplicem crassiore textu lacernam ad arcenda circa Bonae-Spei promunturium frigora, et sacros aliquot libellos, nihil ex iis, quae regius curator illi complura afferebat, ad usum navigationis admittens. Nautici funis volumina iacenti illi pro culcitra et cervicali erant ; cibus in dies precario quaesitus ; vestis longo usu attrita, aut centonibus passim assutis deformata, donec amicorum aliquis, ea clam et furtim subducta, aliam paulo honestiorem reponeret ; indusia et calcei (quamquam plerumque nudis pedibus incedebat) a classiariis militibus eleemosynae nomine ultro delata ; hospitium in publico valetudinario ; et, cum Goae inter Socios degeret, mendicato cibo potuque victitabat. At num propterea vel de fidei splendore, vel de Xaverii dignitate, summa haec rerum inopia quicquam detrahebat ? quin e contrario utrique existimationis et gratiae inde plurimum accedebat. Nam, ut de ceteris sileam, cum mendicitas ultimae infelicitatis atque ignominiae nota sit apud Iapones, tamen eam in Xaverio etiam venerabantur, habebantque firmissimi argumenti loco, tum ut Christianae legis et fidei sublimitatem perciperent, quae praeter caelum et res sempiternas nihil in pretio haberet ; tum etiam ut Xaverii sanctitatem cognoscerent, qui eius, quam praedicabat, divinae sapientiae et caelestis vitae for-

mam actibus exhiberet. Iam ergo, licet non eiusdem amplitudinis atque ubertatis campus ubique locorum et gentium nobis, qui Xaverio in India, aperiatur, tamen intra fines quisque suos, tantum ut velit, et plurimum habet quod agat ad remedium et salutem animarum ; et, si muneris sui partes obire tuto ac feliciter velit, non aliam incedat viam necesse est, quam eam ipsam, quam Apostoli primum, tum eorum vestigiis sancte et religiose insistentes apostolici viri, maiores nostri nobis ad exemplum praeierunt. Et sane quotiescumque mihi in memoriam revoco breve illud et efficax B. Parentis nostri verbum, quo Societatis operarios quasi expressa imagine demonstrabat, solitus dicere, eos altero tantum pede terrae insistere, altero ad iter suscipiendum sublevato esse debere, videor mihi intellegere, non eam solum alacritatem, qua stare singuli debemus *succincti lumbos, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis*, verum etiam expeditissimam illam Paupertatem, quae in hunc modum stantibus tam necessaria est, quam iis qui se mari committere destinant, ancoras solvere, et navem procul a terra subducere. Nam si, temporalia diligere, est, radices cordis, qui sunt animae affectus, in terram immittere, atque ibi haerere atque affigi, unde umor aliquis ad cupiditatum alimentum exsugitur : aperte intellegitur, quam ab omni terrenarum rerum amore ac desiderio expeditos nos esse

Paupertas expeditos facit ad annuntiandum Evangelium.

Ephes. 6.

oporteat, ut simus quos nostrae vitae ratio postulat, omnium horarum operarii, parati *circuire docendo, et nihil tollere in via, non peram, non panem, neque in zona aes.* Quod praestare equidem non possunt ii qui, suis corporibus magis quam proximorum animabus addicti, rei domesticae inopiam, cubiculi angustias, victus difficultatem, strati duritiem, et cetera Paupertatis incommoda ferre prompto atque alacri animo minime consueverunt. At qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini Iesu Christi, quod fecere olim Paulus et Barnabas, quod et modo faciunt qui Apostolicae vitae formam atque instituta sectantur : vel ea ipsa, sine quibus vita nisi incommode sustentari non potest, deesse sibi patiuntur, ut evangelizent de regno Dei, quod demum est quaerere non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi ; rem enimvero paucorum, ut vel in aureo illo nascentis Ecclesiae saeculo Paulus lamentabatur.

Marc. 6.

Act. 15.

Philip. 2.

9. Porro, ut iam ad hoc recto ordine veniamus, sescentae quidem sunt daemonum machinationes, quibus Paupertatem subvertere tota vi conituntur ; at illae prae ceteris metuendae, quae vim dolo occultant, eoque plurimum nocent, quod minimum timeantur. Harum validissimae, quantum ego intellego, duae sunt, honestas atque necessitas : nomina plane innocentia, atque ideo ad fraudem magis accommodata. Ac primum, ut de honestate dicamus, sunt qui S. Bernardum in

Paupertati praetenduntur duo impedimenta, honestas et necessitas.

De honestate.

medium proferant, profitentem se vel in ipsa Paupertate a sordibus abhorrere. Egregie dictum, nisi contra mentem auctoris miris et miseris modis in luxus et nimiae elegantiae pratrocinium detorqueatur. Quid enim ? an in casis et sub humili tecto, sine immunditia et illuvie, quae socordiae et ignaviae faex quaedam est, habitare Paupertas non potest ; et vulgari ac rudi panno, sed mundo amiciri ; et refectis calceis satis honeste incedere ? Paupertati paupertas non est turpitudini, sed decori, nec ulla re quam se ipsa splendidius exornatur. Absint modo sordes, quae vitium sunt non Paupertatis, sed neglegentiae ; bene culta est sine cultu ; ut naturalis atque ingenuae formae excellentia non indiget ad gratiam, quasi lenocinio quodam, calamistris et fuco. Hilarionem scio saccum, quem primo induit, numquam lavisse : mirantibus respondere solitum, supervacaneum esse munditias quaerere in cilicio. Sed hoc hominis solitarii, et, praeterquam sibi et Deo, nulli mortalium noti, laus etiam sit, nedum licentia. Quamquam et solitarios plerosque vitae sanctitate conspicuos sordes ex ciliciis detergere solitos scimus. Nobis, quibus communis vitae ratio est et hominum usui accommodata, sordidis esse non licet ; arguuntque socordium in hac parte foeditatem S. Parentis edicta atque exemplum ; eius enim neque paupertati, neque munditiae quicquam addi potuisse vetus memoria est : decet

Vera honestas sordes arcet, non Paupertatem.

quippe, ut animi, ita et corporis habitum sibi pariter respondere, et nihil intus maculosum et sordidum occultare, nihil foris incomptum et indecens prae se ferre. Ut enim *in rebus fabricatis,* inquit Augustinus, *nulla cogente necessitate, iniqua partium dimensio facere ipsi aspectui velut quandam videtur iniuriam :* sic etiam incomposita et foeda impoliti hominis species intuentium oculos ferit atque animos abalienat ; tamquam interioris formae imago fit ea quae foris ostenditur, inconcinna cultus et habitus turpitudo. At quicquid est ultra munditiam, nobis iam non ad virtutem decenter, sed ad vitium deformiter comparatur : non enim tam indecorum est hominibus saeculi etiam summam rerum inopiam pati, quam pauperibus Christi speciem divitum habitu et cultu exquisito affectare ; nam illis egestas, fortunae et necessitatis condicio est, eamque inviti ferunt ; nobis voto nostro voluntaria est, et pars maxima gloriae, cum regi regum Dei Filio, quo pauperiores, eo magis similes efficiamur. Lib. 2 de Ordine, c. 11.

10. Iam licet haec sub falso nomine honestatis vera vanitas et superbia afficere universos possit, at longe facilius eos qui splendida ministeria obeunt, ac eos in primis, qui principum aulas frequentant ; nam loco praecipiti et lubrico insistere, nec in proclive labi, immo pronos ad casum sustinere et labentes in sublime deducere, res est virtutis admodum rarae, ideoque eximiae. Societas Ab hoc capite periculum est iis, qui aulas frequentant :

Quod quidem multi vitarunt, quidem habuit, et porro, ut spero, etiam habebit eiusmodi hominum plurimos, pro quibus non modo sollicita non sit, verum etiam sibi ipsi plurimum gratuletur, eosque in edito illo atque ancipiti aulae fastigio securos a vertigine et casu suspiciens, illud Ambrosii de mysticis capris in montium et rupium iugis tuto degentibus laeta usurpet: *Vides, quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque, ubi aliis periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur a pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, ubi luporum incursus esse non possunt, ubi fecundae arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet uberi lacte distentas super teneram subolem materna pietate sollicitas.* Horum sane virtus ut supra communem modum est, ita et gloriae magnitudo; quin et ipsorum merito Societati universae (quam de sublimi et conspicuo loco publicae luci atque omnium oculis spectandam repraesentant) plurimum existimationis et solidae laudis accedit, ut vel hoc nomine daemon, quantum ingenio et viribus pollet, eorum firmitati adversetur, studeatque vehementissime eos de tam praeclarae virtutis constantia deicere; quorum lapsus sine publica labe et communi detrimento esse non potest. Quare eos tanto acrius anniti oportet, ut nihil de recti proposito, nihil de religiosae disciplinae studio ac severitate remittant; quod non

In Psalm. 118 Serm. 16.

Sed a quo sollicite cavendum,

sibi solis stent aut cadant, sed sui quoque de ipsorum actibus aestimentur. Et multa quidem sunt, eaque sane gravissima, in quae, nisi sedulo sibi caveant, quam facile, tam periculose prolabi possunt. Et ne a Paupertatis proposito abeam : primo, quibus aulae magnificentia et splendor frequenter aspectui obversatur, facile evenit, ut cum deinde oculos speciosarum imaginum plenos in religiosam domum convertunt, ac nihil quod non tenue et exiguum sit vident ; tacita quadam comparatione despiciant universa ac sibi videantur inter suos quasi in squalore et sordibus esse ; quo fit, ut a Paupertate paulatim aversi, corpore domi velut accommodati, animo in aula perpetuo versentur ; deinde, ut eos quodammodo sui pudeat, si se, in vulgari et communi vestitu, magnatum et principum serico et purpurae inferant ; aut si eos ad se adventantes in angustam et pauperem cellam admittant, conspecturos suppellectilem, non ornatu, non copia saltem ad speciem et dignitatem inter ceteros excellentem ; denique, ut quam in aula obtinent gratiam et auctoritatem, eam et domi apud suos ita velint, ut saltem a reliquis amplitudine et magnificentia cultus aliquanto honestioris distinguantur. Atque utinam non etiam simplicem et parabilem communis mensae cibum, cui a tot annis integra valetudine assueverant, ex qua primum die in aulam acciti sunt, quasi mutato repente stomacho et

Quia multiplex est, et valde perniciosum.

palato fastidiant, ut iam non nisi submissis ex regia epulis uti velint, ostentationi et gulae, non necessitati et fami consulentes! Atque ita fit, ut, qui familiari consuetudine et usu religiosam modestiam in aulam inferre debuerant, e contrario aulicam pompam et delicias in religionem invehant: eo perniciosius, si se insuper ita tueantur, ut manum adhibere et intolerandae licentiae modum statuere aliquando velle, paene capitale sit: pessima necessitate, ut nec ferri possint neque corrigi velint. Quare si qui forte sunt, in quos aliquid eiusmodi vitiorum ex aula transierit, videant quam pro re sua improvide, nedum secundum virtutem indecore ac turpiter faciant, si, ut auctoritatis et reverentiae umbram sibi concilient, eam a cultu corporis, a nitore vestitus, et a cetero rerum huiusmodi apparatu supra communem modum splendido aucupantur, cum apud aequos rerum aestimatores religioso homini divitiarum et gloriae contemptus venerationem, amor et ostentatio contemptum pariat. Magnus ille Aethiopiae Patriarcha, et Societatis nostrae lumen, Andreas Oviedus, non dignitate magis quam virtutum splendore illustris, cum Eboracensem dioecesim, antequam in Indiam transmitteret, sacramenta passim ministrans obiret, non modo nullo ad pontificiam maiestatem apparatu usus est, quin unico itineris comite, eoque de Societate, iumentum sacra supellectile ac piis libris onustum prae se ipse

Exemplo sit Patriarcha Andreas Oviedus.

agebat. Quod ubi Henricus, Cardinalis et Princeps Lusitaniae, cuius partes Oviedus in eo munere obibat, certis auctoribus comperit, mulam, qua inveheretur, et famulos rerumque ad necessitatem et commodum copiam regia munificentia dignam submisit, monens, ut dignitatis suae meminisse atque eis uti vellet. Verum ille et prorsus abstinuit, et, quod olim in simili paene facto Xaverius, respondit evangelicam Paupertatem episcopo non esse dedecori, sed honori ; immo, si nimium decori addatur, nimium detrahi de dignitate, quam christiana submissio et Paupertas (quae vel sociae sunt, vel sorores) magis quam conquisitus ad pompam apparatus amplificant et tuentur. Haec ille, non equidem omnem Ecclesiae principum splendorem ulli vitio vertens, verum se ad veterum antistitum formam componens ; atque id eo nomine aequius, quod non ex aula Episcopus et Patriarcha designatus, sed ex religiosae Paupertatis schola prodiisset ; solutus quidem ille legibus nostris, at nobis, qui Paupertatem adhuc integram profitemur, non modo dignitati ad commendationem, sed exemplo ad imitationem futurus.

11. Iam honestatem ad inferendum Paupertati exitium subsequitur aeque fallax, at longe damnosior necessitas : quippe communius malum est, ac tam late patens quam sui ipsius amor, qui, dum ad speciem verissime, ad veritatem fallacissime philo- De necessitate.

sophatur, et necessitatis nomine censet, quicquid ad commode, si non etiam delicate vivendum facit ; illud denique obtinet, ut nihil sibi impune non liceat. Hinc illa animi maior quam rerum egestas, abiectio, maeror, et cotidianae expostulationes et querimoniae, et pro iure ac licentia, ut inquiunt, naturae, quaesita furtim remedia, non praesenti solum, sed et futurae, quam longe ante prospiciunt ac praecavent, necessitati. Hinc superstitiosa in cibi et potus delectu sollicitudo, et exquisita curandi corporis diligentia, et valetudini omnia incerta vereri, omnia profutura conquirere.

Vera Paupertas necessitatem libenter patitur.

Quibus in praesentia omissis, ut sermo mihi vobiscum sit de aliquanto, ut ita dicam, honestiore necessitate, quam ferre et pati virtutis est, sed non criminis effugere ; utinam si de caelo Bernardus oculos in unumquemque nostrum intendat, non illi etiam modo repetendum sit, quod, dum viveret, quibusdam sive sui, sive aliorum Ordinum hominibus exprobrabat ! *Videmus*, inquit, *pauperes aliquos, qui, si veram haberent Paupertatem, non adeo pussillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges caelorum. Hi sunt, qui pauperes esse volunt ; eo tamen pacto, ut nihil eis desit : et sic diligunt Paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* At quibus ad vitam in dies tolerandam necessaria suppetunt, etiamsi nihil superet, Sapientis decretum est, Caietano interpretante, eos vix atque aegre numerari inter

Serm. 4. in Adv. Dom.

pauperes posse. Qui enim Deum sic rogat, *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria* ; utique, dum extrema inter sese opponit et reicit, quod eligit, medium est. Divitias igitur abundantia, Paupertatem necessitas sequitur ; quae ex utraque componitur, vita est inter commodum et incommodum temperata ; qua qui utuntur, frustra censeri se volunt inter evangelicos pauperes, quos e contrario voluntaria nuditas omnibus egestatis incommodis sponte obnoxios facit, quin et gaudentes, quod digni habeantur, qui sublata in humeros cruce post Christum euntes crucis fructus cum Christo identidem aliquos gustent in fame et siti, in frigore et nuditate. Quantum hi solidae voluptatis percipiunt, cum sua cubicula et se ipsos curiose circumspicientes non modo quicquam non offendunt superfluum quod redundet, quin et multa ad commodum, non raro etiam quaedam necessitati deesse vident ! atque eo demum intellegunt se vere spiritu, hoc est, voluntate pauperes esse ; quod, cum facile possint eiusmodi rerum indigentiam vel tollere vel minuere, sponte nolunt, amantque quod patiuntur ; quin et, si quae vitae usui minus necessaria existimant, iis sese ultro abdicant ; vellentque, ut de non nullis ait Nazianzenus, praeter crucem et corpus nihil habere. Inter quos idem ipse ex monacho episcopus, et in episcopatu quovis monacho egentior : Prov. 30. 8.

Orat. 43. al. 28. Cum rediit in Urbem.

Quid ? inquit : *Paupertatem mihi obicient ? meas scilicet opes et copias. Atque utinam et pannos hosce exuere possem, ut huius vitae spinas nudus percurrerem ?* Qui tam generose in Paupertatem affecti sunt, ut re ipsa commodis voto etiam necessariis ad vitae vel sustentationem aliquam vel decorem rebus carere, dum possint, velint ; quae tanta domi tenuitas atque indigentia esse potest, quam non abundantiae et deliciarum loco habeant ? et sicubi, pro exiguitate proventuum aut eleemosynarum, quod non raro accidit, etiam integro victui necessaria non suppetant, id ipsum hilare et iucunde non excipiant, tamquam rem votis omnibus optatissimam ? Quae dum apud vos loquor, spero equidem non idem orationi meae eventurum, quod Bernardus aiebat de lingua amoris, quae non amantibus barbarum quiddam et prorsus ignotum sonat. Neque enim haec eximia, fateor, et summa evangelicae Paupertatis perfectio alia est, quam ea ipsa quae religiosum decet, quamque S. Pater Ignatius toti Societati communem fore certo sibi persuaserat, idque testatum ipse fecit datis ad non nulla per Europam collegia litteris ; quas dum hic recito, et particulam hanc spiritus Patris nostri quasi de sepulcro et cineribus excitatam repraesento, eas ad vos quoque ab eodem scriptas missasque putate : " Multorum, " inquit, relatione comperi, Deum ac Dominum " nostrum vos benigne invisere, et sanctae Pauper-

Id docuit S. P. Ignatius.

" tatis fructus vobiscum communicare, incom-
" moda, inquam, quarundam rerum temporalium,
" quae ad valetudinem vel tuendam vel recupe-
" randam, et ad corporis incolumitatem et sa-
" lutem necessariae essent. Quod equidem non
" exiguae gratiae loco habendum est, cum divina
" largitas aliquid eius boni, in cuius desiderio
" semper nos esse convenit, gustandum vobis
" proposuit, ut pro voto quo nos obstrinximus,
" et pro sanctae Societatis instituto quod profite-
" mur, ad ducis nostri Iesu Christi vitam con-
" formemur. Equidem nullus, quod sciam, in tota
" Societate locus est, cui concessu et munere Dei
" aliquid saltem huiusmodi gratiae non obtigerit.
" At, si nos in hac parte comparemus cum fra-
" tribus nostris, qui per summos animae et corpo-
" ris labores strenuam apud Indos operam navant,
" rebus etiam ad cotidianum victum necessariis
" destituti, famem ac sitim oryza et aqua vix de-
" pellentes (nam panis et vini copia multis in locis
" nulla suppetit), in vili et pannoso vestitu aliis-
" que praeterea aerumnis assidue confecti, quic-
" quid ipsi patimur, si non leve, at certe non
" admodum grave videbitur. Concipiamus animo
" Indiam atque ibi nos degere, aut ubi degimus
" Indiam esse existimemus — nam illa saltem ad
" eiusmodi aerumnarum tolerantiam ubique terra-
" rum esse potest — et ad levandam egestatem
" cotidiana subsidia a sancta mendicitate compa-

" remus. „ Haec ille ad eius aetatis et inopiae Societatem. Quae commemorare aequum fuit, non modo ut (quod propositum mihi erat) ex ipso B. P. nostri ore acciperemus, verum etiam ut pudorem nobis incutiant, si, cum hodie quam olim res domestica commodiore loco sit, nos levia aegre et graviter feramus, cum e contrario gravia leviter immo et iucunde ferre debeamus.

Aliquot Paupertatis fructus degustandi proponuntur.

12. Atque haec de evangelicae Paupertatis tum necessitate, tum impedimentis, generatim disseruisse in praesentia sit satis. Reliquum est, ut singularia quaedam et ad cotidianum usum praecipue accommodata subiciam, tamquam huius bonae arboris bonos fructus, quos S. P. Ignatius, qui sic eos nominat, ea ipsa manu qua Ordinis nostri leges et iura descripsit, degustandos nobis proponit. Quorum ille primo loco sit, ut nulla re tamquam propria utamur; quod consequens est ut faciat, qui se nihil proprium habere non tantum intellegit, verum etiam profitetur. *Quid enim habeant proprium*, inquit egregie Climacus, *qui ipsum quoque corpus suum*, immo et animae suae mentem ac voluntatem *alieno imperio exposuerunt ?* Quis autem de re non sua graviter atque iniquo animo ferat, si, qui potest, eam ab ipso cum libuerit repetat, aliique utendam concedat? Eget sane praesens vita quibusdam veluti sustentaculis, sine quibus decidat et pereat necesse est. Ea sunt, indumentum, cibus, habitatio, stratum,

1° Nulla re uti tamquam propria.

Grad. 16.

et eiusmodi reliqua. At ut arboribus aliter vites aliter hederae sustentantur, sic et homines rebus ad vitae usum et valetudinis commodum necessariis. Vites enim eo tantum sua arbore innituntur, ut de humo subductae atque ex alto pendentes, soles et caelum accipiant ; ceterum suco suo vivunt pariuntque fructus, et vinitoris manum, si detrahere eas libuerit, non invite sequentur. Longe aliter hederae, quae se totas arbori circumfundunt et artissime applicant, eamque non tam ramis amplectuntur quam laqueis illigant ; tum omni suco emungunt, productis infixisque, quibus ab imo trunco ad summum usque verticem proserpunt, radicibus ; ut non appositae, sed enatae vel insitae videantur. Quin et intercisae vivunt tamen, individuo malo, nisi prorsum detrahantur ; at quam periculosa et difficili opera ! cum hoc, ut Bernardi verbis utar, non exspoliare sit, sed excoriare. Neque tantum rebus ad cotidianum usum concessis, verum et locis ipsis, tamquam certo quodam modo propriis, uti ei qui omnibus renuntiavit iure interdictum est. Quid enim a religioso homine magis alienum quam uni certae domui aut urbi ita addictum esse, ut, si quando migrare alio oporteat, pluribus utendum sit quam si diceretur huic monti : *Tollere et mittere in mare ?* aut e contrario in tenuioribus collegiis non sine animi aegritudinae ac maerore degere ; splendidas urbes et ampliorem mundi scaenam

Marc. XI.

expetere? quasi sola illa loca, in quibus vel degimus vel degere praeoptavimus, proximiora coelo sint et ad Deum breviore via traducant. Hinc illa etiam ad exteros perfugia et exoratae impetrationes, et quaedam paene vis precum illata superioribus. Adeo a nobis ipsis aliquando excidimus, si, qui olim tirones mundum universum expedite ac libenter dimisimus, ac fortasse etiam in alterum paene orbem terrarum ad Indos mitti enixe petiimus, iam consenescere uno in loco volumus! clamet licet Apostolus nos non habere hic permanentem civitatem, sed futuram inquirere, et, dum sumus in hoc corpore, peregrinari a Domino; quae quanto verius pronuntiata de nobis sunt, qui de mundo non sumus? Quis autem viator et pauper, si ad breve tempus hospitio excipiatur, de loco ipso disputet, doleatque se non commodius aut honestius exceptum, vel emigrare nisi eiectus nolit? Quod eo minus ferendum in nobis esset, quorum instituti ac vitae ratio postulat, ut, quod de Paulo ait Chrysostomus, tamquam pennati totum pervolitare orbem parati simus, et velut incorporei labores omnes et pericula contemnere, et tamquam iam caelum possidentes cuncta terrena despicere.

Hom. 2. de Laud. Paul.

2° Non multa secum convehere, cum in alia collegia migrandum est.

13. Iam quid de illis dicendum existimamus, qui, cum alio iussi abeunt, tam multa secum convehunt, ut, si rem ex sarcinis aestimes, non hominem, sed familiam migrare putes? Hi videlicet

timent, ne sibi in eius quam petunt domus vestibulo religiosa Paupertas occurrat, et exceptos deducat in cubiculum, quale Sunamitis Elisaeo crebrius apud se divertenti instruxit, universam supellectilem mensa, candelabro, sella et lectulo finiens. 4. Reg. 4.

Quamcumque hi viam ineant, at certe non evangelicae sapientiae neque virtutis : *Virtutis enim via,* inquit vere Lactantius, *non capit magna onera gestantes. Angustus admodum trames est, per quem iustitia deducit in caelum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus et nudus ; nam isti locupletes multis et ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quae latissima est.* Quid vero, si ita oneratis occurrat per viam unus aliquis ex antiquae et nondum sarcinas et impedimenta scientis Societatis nostrae hominibus ? puta magnus ille S. Ignatii primogenitus Petrus Faber, qui, remissis ad Albertum Moguntinum Archiepiscopum eundemque Cardinalem speciosis muneribus, factum iniuria liberavit ea excusatione, quod ipse ex eorum numero esset qui omnia bona sua secum portarent. Quantum alter ad alterius conspectum vicissim, sed ex contrario erubescerent ! Faber suffarcinatum, quem arta non capiunt : ille Fabrum, cuius divitiae erant nihil habere, ut inquit de Basilio Nazianzenus. Abiciamus ergo quicquid hoc est sarcinarum et ponderis, quod nos virtutis viam in ardua post De vita beata l. 7. c. 1. Paulin. ep. 10. Orat. in Basil.

Christum percurrentes quantum onerat, tantum
Can. 16. in Matth. delassat retardatque, et ad Hilarii regulam *spiritualium aeternitatem terrenorum damno comparemus ;* quod perinde esse putandum est, ut si onerariae in altum evectae ac suborta tempestate periculose fluctuanti et nimium gravi, consilium de iactu mature faciendo demus, ne suomet pondere victa et depressa subsidat. Repetamus quod ab ipso Societatis initio patres nostri more exemploque suo quasi legem in posteros statuerunt : ut certis temporibus in ea omnia quae usui nostro sunt, singulatim et severe inquiramus ; si quid minus necessario requisitum offendimus, quicquid hoc tandem sit, tamquam sarmenta vitem damnose inumbrantia praecidamus. Tum, ne in cubicula nostra quicquam superfluum sese in posterum inferat, quod, cum alio migrandum est, efferri nobiscum velit, adhibeamus ostio vigiles, qui quae sunt eiusmodi longe submoveant et accessu prohibeant. Occurrant animo duo illi principes latro-
2. Reg. 4. num, Rechab et Baana, qui regia stirpe ortum ac nihil tale merentem Isboseth per summum facinus obtruncarunt. Ostiaria domus, eademque vigil et custos, purgando tritico intenta, operi indormivit : hinc libera et tuta sicariis ad caedem domini via ; percussum enim, inquit Scriptura, interfecerunt, sublatoque capite eius abierunt. Documento sane illustri, quo palam admonemur, quid spiritui nostro contingat, cum ostiaria, com-

munis disciplinae ratio, cuius est triticum a paleis, scilicet necessaria a superfluis accurate secernere, operi suo non advigilat ; sed in desidiam et somnum soluta non aditum modo, sed etiam introitum hostibus animae expeditum relinquit.

3° Libros non superfluos habere, non usui proprio addicere.

14. Tertio loco occurrunt alii qui libris passim coemendis non parum operae et pretii impendunt. Quo in studio, quia non nulla species honestatis elucet, cum eiusmodi conquisitio nihil indecorum aut sordidum prae se ferat,quin religiosum hominem maxime decere videatur, eo tutius vitium in incautos irrepit et Paupertati non mediocriter obest ; ac primo, si eiusmodi librorum pauci ad usum, plures ad pompam quasi tacita quaedam sapientiae testimonia coacerventur ; tum, si, quos quisque sibi cum bona superiorum venia comparavit, eos non tamquam rem publicam, sed singulari quodam iure sibi obstrictam vindicet. Qua in re quid iam pridem constitutum sit, nemo est qui ignoret : ut primum quis venia ad id impetrata librum coemerit, certo loco statim ascribat praefigatque fronti eiusdem libri nomen collegii aut domus cui addicitur ; et, si abeundum alio fuerit, ullum eorum secum ferre non magis possit quam qui sunt communis bibliothecae. Neque prorsum laudandi sunt, qui libros, quos certis piorum hominum eleemosynis compararunt, alteri cuipiam collegio attribuunt, fraudantque suo quasi iure locum ubi in praesentia degunt.

4° Si quae dono dantur, ne pretiosa sint, aut nimis multa.

15. Caritatis etiam nomen et speciem prae se ferunt, qui, ne sibi umquam desit quod aliis donent, multa passim conquirunt et quasi in loculis saepe ad extremum usque spiritum servant; neque id sibi culpae vertendum putant, quod ea, ut aiunt, dum aliis servant, ipsi paene non habeant. Superiores excipio, quos non modo pari vicissitudine benevolentiae, verum etiam aliquo grati animi pignore bene de Societate meritos interdum remunerare aequum est. Ceterum ubi nulla virtus beneficium aut munus cohonestat, religioso homini virtus est non esse munificum; nam Paupertas quam profitetur, si evangelica est, si usque ad perfectam rerum omnium nuditatem, quam nihil petit a largitoribus, quod possideat, tam nihil possidet, quod petentibus largiatur : nec pudori, sed gloriae deputat, ita semel Deo universa donasse, ut nihil reliquum habeat quod in alios conferat. Nec tamen ignoro, Hieronymum, Augustinum, Paulinum, Severum, atque alios eiusmodi sanctissimos religiosae vitae et evangelicae Paupertatis cultores et magistros, munuscula ad amicos, praesertim longe dissitos, mutuae inter se caritatis et benevolentiae pignora et quasi obsides mittere non numquam consuevisse; sed ea sane tam rara, tam vulgaria et exigua, ut, qui non eiusdem plane ac ipsi sanctitatis et modestiae sit, erubescat inde facilius quam glorietur : adeo in illis non minus clare Paupertas quam caritas eluce-

bat, ut, ubi officii et amoris ergo aliquid dono dare oporteat, exemplum esse possint liberalis inopiae, non splendidae largitatis.

16. Alius insuper domesticae Paupertatis fructus ab ipso Ordinis nostri institutore in haec verba proponitur: *Qui*, inquit, *Societatem sequi velit, sibi persuadeat, quod quae vilissima erunt ex iis quae domi sunt, ei tribuentur.* Quam legem ne quis Dei et S. Patris edicto constitutam putet in eos tantum qui primae aetatis tirocinium et religiosae disciplinae rudimenta ponunt in Societate, rationem continuo subdit, qua simul universos, et tirones, et veteranos, immo et emeritos pariter comprehendit: scilicet eandem virtutis viam, quam maiores nostri inierunt, nobis, qui ipsorum vestigia persequimur, tenendam esse, ut Societas universa per omnes aetatum atque ordinum gradus uno tenore sibi ipsa aequabiliter respondeat; ne, si a prioribus posteriores aliquid remittendo degenerent, caput aureum paulatim in pedes luteos evadat. *Cum enim*, inquit, *qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint; qui post eos accedent, curare debent ut, quoad poterunt, eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progredianlur.* Iam si ad hoc speculum, ad primorum, inquam, patrum exemplum componant sese qui multum vel aetatis vel meritorum in

5° Libenter pati, sibi in usum dari quae domi vilissima sunt. Exam. c. 4.

Societate numerant, videant an ea quae vilissima domi sunt, sibi quoque tribui eodem quo illi animo patiantur ; an vero, perinde ac si labores suos non Deo donent, sed hominibus fenerentur, id sibi infelicis usurae pendi velint, ut, relaxata in communi rerum partitione atque usu Paupertate, aliquanto commodius prae aliis habeantur. Si secus fiat, enimvero etiam doleant et quasi de iniustitia expostulent non senectutis, non meritorum rationem ullam in Societate haberi ; qui portaverunt pondus diei et aestus, pares fieri iis qui novissimi una hora fecerunt ; quam mercennariorum vocem quanto aequius commutarent cum altera illa servi boni et sapientis, qui, cum fecerit omnia quae praecepta sunt illi, adeo nihil operis sui merito debitum putat, ut unum illud ex Evangelio usurpet : *servi inutiles sumus* : *quod debuimus facere, fecimus !* Quis ministrorum Christi plus Doctore gentium Apostolo laboravit ? et quis illo egentior, qui ad ea quae sibi opus erant, suis ipse manibus ministrabat ? At quanto pauperior saeculo, tanto locupletior Deo, qui reddet, inquit, mihi in illa die (non in hac, id est, in praesenti vita, ut subicit Augustinus) recte factorum mercedem. Atque hoc *remunerationis linteo*, ut loquitur Gregorius, laborum suorum sudores Paulus tergebat, nihil rerum humanarum exquirens aut sponte oblatum suscipiens, quo vel Paupertati subsidium, vel necessitati remedium compararet,

6° Nihil sibi supra ceteros debitum velle ob labores in Societate susceptos.

Matth. 20.

Luc. 17.

Lib. 8. Mor. c. 7.

ne non soli Deo et beatae aeternitatis exspectationi et spei totum se ac labores suos impendere videretur. Qui sic cum Apostolo sapiunt, etiam dolent, si quando secum indulgenter a Superioribus agi videant, veriti ne quopiam modo recipiant bona in vita sua. Quin etiam, si, quod olim Doctori angelico, Christus commendatis ipsorum laboribus ultro iis proponat ut eligant quam malint mercedem accipere, cum eodem sanctissimo viro continuo respondebunt : non aliam, Domine, nisi te ipsum.

7° Negotia temporalia consanguineorum non suscipere.

17. Sunt et alii, quibus apprime necessarium est commune illud omnium fere Ordinum religiosorum, et Societatis etiam singulare monitum : ne quis nostrum negotiis saecularibus sese intermisceat. Quod quam prudenter sancitum sit vel ad hoc ipsum, ut Paupertati suum ius inviolatum atque integrum conservetur, ex iis quae mox subiciam apparebit. Placet autem eos prae ceteris ad sui considerationem vocare, qui profusa quadam et non secundum scientiam in consanguineos teneritudine verius quam pietate, ut eos vel rerum temporalium difficultate pressos sublevent, vel litibus implicatos extricent, vel fortunarum suarum administrationi nondum per aetatem idoneos dirigant, curatores se, advocatos, tutores, villicos, litigatores, denique omnia praeter religiosos praestant. Hinc frequens pecuniarum exactio, custodia, distributio, alieno nomine, arbitrio suo.

Novo equidem monstro, ut pietas irreligiosum, caritas saecularem faciat, si, quod plerumque evenit, in eiusmodi negotia non immittant se modo, sed penitus immergant. Quantum ex istorum hominum licentia religiosi Ordines detrimenti patiantur, vix aestimari potest. Mitto quod eorum opera uti vix ulla in re superiores possunt, adeo eos sua illa necessitas ad se totos advocat ; quod patriae aut uni certo loco affixi, inde se nulla vi abstrahi patiuntur ; quod, gustata semel ea specie libertatis, ad communis disciplinae formam revocari difficile possunt ; quod animum in temporalium rerum administratione et cura cotidiano usu dissipatum colligere ad sui cultum, praecipue ad orationis studium, vix atque aegre valent. Illud intolerabile, si et lites inferant, et ad tribunalia confligant, et violentas pecuniarum repetitiones faciant, aut palam negotientur ad quaestum. At nonne hoc est ad telonium sedere atque eo redire apostolicae vitae virum, unde Christus Matthaeum, ut ex publicano apostolum institueret, advocavit ? Erubescant eorum causa reliqui eiusdem Ordinis socii necesse est, quorum odorem foetere etiam apud bonos faciunt ; ut vix multorum virtus et probitas diu multumque nitendo restituere tandem possit, quod eorum unus aliquis de communi existimatione detrahit. At si, qui manum non amovet ab aratro, sed tantum respicit retro, non est aptus regno Dei : quid tandem ii, qui, dimissa in

agro Domini sui et proximorum cultura, totos se ad terrenarum rerum negotiationem convertunt ? specie quidem primo aspectu etiam honesta, caritate in consanguineos decepti ; ceterum parum memores quam blanda sui conciliatrix et ad fallendum versuta et mendax sit suopte ingenio natura ; in quam veritatis magister Christus docuit, pietatis genus aliquando esse se praebere crudelem, cum secuturum se iuvenem vetuit domum redire vel ad hoc tantum, ut parentem recens vita functum humaret.

8° Bonis suis se mature abdicare.

18. Reliquum est ut de iis ultimo loco dicam, qui, cum se suis bonis nondum abdicaverint, moram de industria iniciunt, ne ab se hoc reliquum oneris quo gravantur excutiant. Quos si Paupertatis amor, si sui in via Domini profectus, immo firmitatis et constantiae cura ulla tangeret, deceret equidem non a superioribus quasi invitos compelli, sed magis ipsos, saltem ut primum ex tironibus excesserunt, id suis precibus impetrare ; ne, non prorsus a mundo praecisi, unde per rerum suarum contemptionem effugerant, eo per desiderium retrahantur. Sunt vero quos in hoc genere daemon ludificat eo certius quod ingentis boni speciem iis obicit, si vel collegium constituere, vel certi cuiuspiam loci rem domesticam augere collato in id patrimonio possint, ut propterea necesse habeant res suas sibi diu habere, negotiari, novos quaestus facere, donec ea pecuniae

summa conficiatur quae destinato operi satis sit. Si qui forte eiusmodi sunt, intellegant plus se Societati profuturos, si oboedientiam et Paupertatem, quam si quicquid est opum illi impendant. Rerum natura atque ordine ita comparatum est, ut, quo quidlibet nascitur, eo potissimum crescat ; at religiosi coetus mundi contemptu et rerum omnium, immo et sui ipsius abdicatione primum coaluere ; his necesse est augeantur et maiores fiant. Quid enim et ipsis prodest, si mundum universum lucrentur, disciplinae vero et legum sanctissimarum quae animae loco iis sunt, detrimentum patiantur ? Damnosa caritas est religiosam domum fundare velle et religiosae perfectionis fundamenta subruere, multiplicare gentem et non magnificare laetitiam ; illam, inquam, laetitiam quae non ex hominum numero, sed ex virtutum pondere vera et solida provenit. Quare qui bona sua conferre in Societatem volunt, ea S. Augustini regula utantur, ut inter bona sua se ipsos primum annumerent et se illi bonos praebeant. Neque velint, quae de rerum suarum possessione ad aliquod breve tempus retinenda permissio Constitutionum est, lex sit immo et necessitas, non legum, non moderatorum iudicio, sed suo tantum arbitratu finienda. Quid iam, si non caritas in Societatem sed privatus in se ipsum amor procrastinare et in longum tempus differre abdicationem suadeat, nova semper impe-

dimenta causando ; ut, dum spem bonam de rebus suis faciunt, interim ipsi aliqua, cum superiorum licet venia, ad varios usus identidem sibi decerpant et mitius habeantur, ut quibus in promptu est cui voluerint loco benefacere ? Eiusmodi artibus et fallaciis Deo et animae suae illudere, quam turpe sit nemo non videt ; at superioribus, quasi clausis oculis, iis capi enimvero turpissimum esset. Quare, cum pro locorum et personarum condicione certum tempus, quo primum elapso abdicare se suis bonis quisque debeat, generatim et universe definiri non possit, reliquum est ut, qui interim sua sibi habere permittuntur, tamquam non habentes sint, neque ipsis quicquam inde trahendi in privatos usus potestas ulla fiat ; alioqui Paupertas, quae tantae dignitatis ac meriti virtus est, iam erit tentatio, si ad manum habeant quo se ab eius incommodis per superiorum indulgentiam redimere sua pecunia possint. Sentiant et ipsi pari cum ceteris fortuna communis inopiae difficultates, neque ullis publicae aut privatae disciplinae oneribus (quantumcumque spem rerum suarum faciant) eximantur, aut supra reliquos stent, ne venalia privilegia videantur et suae virtutis bonos pœniteat, si plus speratae pecuniae quam praesentibus meritis tributum videant.

Superiores exemplo praeeant, et ne tenaces sint et sordidi.

19. Et sane plurimum habet in utramque partem momenti, sive ad perdendam sive ad conservandam Paupertatem, superiorum vel remissio

vel cura ; ut propterea, qua decet eos esse in Societatem supra ceteros fide, anniti plurimum debeant, ut hac etiam in parte, cui nisi sedulo prospiciatur multum periculi est, muneri suo satisfaciant. Ac primum, ne inter eos ipsi annumerentur, *qui dicunt, et non faciunt ; imponunt onera gravia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere ;* sed, ut recte admonet Petrus, *forma facti gregis*, quos ad Paupertatem crebris adhortationibus invitant, exemplo potissimum trahant : alioqui vanus est sermo docentis, quem facta dictis contraria enervant. Suos igitur ad Paupertatem alliciant, sed ea sponsi voce amicam sibi animam ad virtutis fastigium provocantis : surge, propera, veni. *Non* enim *parum confortat,* inquit Bernardus, *quod addit, Veni, et non, Vade.* Deinde, ne singulari in quempiam benevolentia aut animi propensione ducti, vel timiditate ac metu victi (si Paupertatis iura infringentibus obviam eant), avertant oculos, dissimulentque *speculatores caeci,* et *canes muti,* ut eos Isaias per indignationem appellat. Hinc profusa illa et prodiga in concedendo facilitas, perinde ac si non Paupertatis, sed oboedientiae tantum cura habenda sit, aut quantum de communis disciplinae ac legum sanctitate superiori remittere libitum fuerit, id vero totum liceat. Neque minus quam immoderata profusio, cavenda ipsis est nimis angusta tenacitas. Sunt enim

Matth. 23.

2. Pet. 5.

Serm. 58. in Cant.

Isa. 56.

qui duritiem et sordes, naturae suae vitium, parsimoniae et frugalitatis nomine cohonestent; et, tenaces cum sint, Paupertatis amatores videri volunt. Itaque multa condere, pauca promere, servare tenaciter, parce etiam necessaria dispensare; ac, ne conqueri sibi subditis vacet, domus inopiam passim obicere et lamentari. Id vero est Paupertatem non servare, sed perditum ire : neque enim *pietas cum sufficientia*, sed coacta 1. Timoth. 6. necessitas proprietatem in religiosas familias primo invexit. Decet equidem voluntarios Christi pauperes omnem egestatis etiam iniquae duritiam magno animo perpeti ; at nihil magis dedecet quam ut subditorum virtute Superior abutatur, ut suo ipse vitio satisfaciat fraudetque operarios dignos mercede sua, et congreget quae nec ipse sciat cuius futura sint. Meminerint ergo superiores, se patres quidem esse, hoc est, solidi et virilis affectus, qui non molliter indulgeant filiis etiam nocitura petentibus; sed et matres se esse, ut eos sinu foveant et ad ubera portent; quod se facturum recepit Deus, et quidem supra quam matres possint, usque in senectam et senium filiorum. Videant quanta sedulitate quamque irrequieto labore circumvolent atque oberrent aviculae, ut maternae pietatis officium exsequantur et cibum pullis conquirant. Faciant, quod boni imperatores, qui plus ab annonae caritate quam ab hostis ferro suis timent. *Saepius enim*, ut inquit romanae

Veget. lib. 3. cap. 3.

militiae magister, *penuria quam pugna consumit exercitum, et ferro saevior fames est.* Itaque re frumentaria abunde instructi, tum demum et copias educere et militarem disciplinam exigere tuto possunt ; secus si fecerint, plus perturbationis et tumultus in castris quam ordinis et virtutis in acie habituri. Numquam tam angusta domi res erit, quae caritati locum non faciat. Tolerant libenter subditi, quod ne tolerent, Superiores sollicitos vident ; et quod inopiae deest, caritas satis supplet.

Christi Dni. exemplum ad Paupertatem persuadendam efficacissimum.

20. Atque haec ea sunt, Patres Fratresque in Domino dilectissimi, quae de Paupertate ad vos scribere in praesentia visum fuit. Pauca equidem pro dignitate atque amplitudine argumenti, nisi quod non scientibus modo, sed et amantibus legem loquor ; ut propterea singulare illud magni Gregorii, sapientiam locuturi inter perfectos religiosae vitae sectatores, qui id ab eo requisierant, usurpare merito possint : *Si Dei sunt vasa, scio quia fontem sapientiae intus habent, ut meae siccitatis guttas parvulas suscipere non debeant.* Et fortasse causam hanc Paupertatis universam non modo brevius, sed et plenius perorassem, solo in exemplum et praemium proposito praeceptore ac duce nostro Christo Iesu, quo nihil ad imitationem praestantius, nihil ad mercedem uberius proponi cuivis hominum generi potest. Nam qui *propter vos egenus factus est, cum*

L. 7. Ep. 30. ad Narsam.

2. Cor. 8. 9.

esset dives, ut illius inopia vos divites essetis; qui *semet ipsum exinanivit, ut de plenitudine eius nos omnes acciperemus*, quid iam cordium nostrorum desideriis reliquum fecit, ut, dum in ipso omnia invenimus, praeter ipsum, si non etiam prae ipso, alia expetamus? An vero, si pauperibus spiritu nihil praeterea suppeteret ad mercedem, quam quod socii simus Paupertatis Christi, qui, dum eam, ut ait Ambrosius, in se ipso dedicavit, pretiosam fecit, et super omne dignitatis et gloriae fastigium evexit, non id summae felicitatis et copiosissimae remunerationis loco habendum esset? Quid enim causae fuit, cur in terras adveniens Dei Filius nihil de gloria magnificentiae regni sui secum extulerit? *Erat*, inquit Bernardus, *qui forte ei sublimia quaerenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloria Rex gloriae susciperetur. Sed non propter hoc a regalibus illis sedibus venit. In sinistra eius divitiae et gloria, in dextera longiturnitas vitae; horum omnium aeterna in caelis affluentia suppetebat, sed Paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat haec species, et nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua aestimatione faciat pretiosam.* Hinc ut eum primi Pastores inveniant pauperem pauperes, signum ab Angelo accipiunt pro solio praesaepium in quo reclinatur, pro purpura pannos

Philipp. 2. Joan. 1.

Serm. 1. in vig. Natal. Dom.

Serm. 4. in Nat. Dom. quibus involvitur. *In signum*, subdit idem Bernardus, *positi sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum cui a multis usque hodie contradicitur*. Sacramentum enim hoc magnum est, quod vir insipiens non cognoscet et stultus non intelleget: Paupertatem pro Deo sponte assumptam rem esse divinam, quam scilicet Deus ipse praepositam regnis et sedibus tam singulariter adamavit, tam arte complexus est, ut a Bethleem ad calvarium, hoc est, a primo ad extremum usque vitae spiritum, eam a se numquam abstrahi passus sit; adeo ut, qui pannis involutus iacuit in praesaepio, nudus in cruce pependerit. Excipiamus ergo, dilectissimi, prompto atque alacri animo Paupertatem; et quam nostri Ordinis institutor Ignatius *Societatis matrem* nominavit et fecit, ea, qua decet filios, caritate et benevolentia complectamur. Impendamus bonorum temporalium iacturam in quaestum et lucrum aeternorum; et, qui cum Maria pretiosum unguentum super caput Domini effudimus, fracto insuper alabastro (ne quicquam eorum quae semel Deo vota donavimus, repetendi nobis ius aut potestas relinquatur), gaudeamus, nos et pro Christo pauperes esse et in Christo divites, nihil praeter ipsum habentes et in ipso omnia possidentes. Procul a nobis illud meum ac tuum, frigidum vere verbum, quod perfectae in Deum caritatis saepe ignem exstinguit, semper ardorem imminuit. Ecquid, ut postremo vos alloquar cum Lactantio,

quid dubitamus bene collocare id quod nobis una tandem dies eripiet? Quid veremur fluxum et fragile bonum facere sempiternum, et res nostras custodi Deo credere, ubi non furem praedonemque timeamus, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud Deum dives est, pauper esse numquam potest. Si iustitiam tanti putamus, sequamur eam abiectis oneribus quae nos premunt. Liberemus nos ipsos compedibus et catenis, ut expediti ad Deum curramus. Magni et excelsi animi est calcare mortalia. De vero cultu, l. 6. c. 12.

Ita Christi Iesu Societate, et maiorum, qui nos a prima Ordinis nostris institutione exemplo praeluxerunt, consortio digni, nostraeque ac proximorum saluti, pro ea quam profitemur apostolicæ vitae ratione, operam strenue utiliterque navantes, *pauperem quidem vitam geremus* (sic enim et iuvenem Tobiam senior alloquendo consolabatur), *sed multa bona habebimus :* ea scilicet, quae Pauperibus spiritu promittuntur, beatitudo et regnum caelorum, quod pater pauperum et dives in misericordia Deus pro sua in omnes beneficentia vobis mihique largiatur. Valete. Tob. 4.

Romae, XXX. Septemb. M. DC. LIII.

Omnium in Domino,
GOSWINUS NICKEL.

EPISTOLA

R. P. N. GOSWINI NICKEL

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE NATIONALI PROVINCIALIQUE PERNICIOSO SPIRITU IN SOCIETATE VITANDO

Spirituali Societatis aedificio plurimum metuendum ab adversis ventorum flatibus.

1. Excubanti mihi solliciteque vigilanti pro hac meae custodiae commendata Dei domo, quae a sapientia aedificata Christi Iesu, architecti sui nomen alte refulgens in vestibulo procul ostentat; cum aliae subinde periculorum facies metum incutiunt (nam et eluviones fluviorum, et effusiones imbrium, et furum suffossiones nocturnas evangelicis admonitionibus iubemur spirituali aedificio metuere), tum me peculiariter cogit turris huius nostrae caelo iam admota celsitudo ab adversis ventorum cavere flatibus, ne, quod Christus denuntiat (et ipse utinam avertat!) verum umquam illud cum nostra ultima pernicie summaque invidorum gratulatione cernatur: *Flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.* In quo ne supine fiduciae indormiamus, quasi fundatae in petra domui tale nihil pertimescendum sit, excitat exemplum do-

Matt. 7. 27.

mus Iobi, quae, licet, ut S. Gregorius subtiliter observat, septem donorum divini spiritus, quae totidem eius sancti patriarchæ filiis designari vult, et trium praestantissimarum virtutum, Fidei, Spei, et Caritatis, quas in tribus eiusdem filiabus intellegit, invicto, ut videbatur, adversus omnem diabolicam vim praesidio teneretur, ingruente tamen a regione deserti vento vehementi prostrata est.

Moral. lib. 5 c. 16 et 17; lib. 2. c. 21.

2. Istum ego ventum, RR. PP., non alium in præsentia dixerim, quam hunc de quo agere constitui peregrinum spiritum : frigidum, maleficum, plane horribilem et pestilentem ventum ; quippe qui non fastigiorum solum pinnulas tegulasque tectorum, damno utique reparabili decutere contentus, totum ipsum molis quamlibet solidae corpus a quattuor, ut de Iobi domo scribitur, complexus angulis robusteque succutiens, universas simul aedificii compages laxat et visendam ingentis operis fabricam in ruderum informium acervos momento commutat.

Talis ventus est spiritus Nationalis.

Cuius tam perniciosi spiritus extremam quam minatur ruinam ut, quantum in me esset, a Societate procul arcerem, egeram de eodem in postrema PP. Procuratorum Congregatione ; sed, prout eiusdem Congregationis praescripta temporis ratio exigebat, in brevi satis succinctaque exhortatiuncula. Quam nihilo minus cum plerique e congregatis patribus a me postularent, ut descriptam secum in provincias deferrent ; ut id quod pete-

bant (quia prodesse in illa brevitate haud multum posse iudicabam), excusarem, promisi me illa ipsa quae ad illos dixeram, paulo copiosius tractaturum ac deinde per modum epistolae provinciis omnibus pro more communicaturum.

In hac ergo quam promissam nunc mitto epistola, si res ipsa spectetur, novi vel nihil, vel parum admodum afferam; sed solum, quae antea per compendium quasi dixeram, ad plurium captum melius accommodata fusius aliquanto quam antea explicabo; ut ita fidem meam liberem, factaeque promissioni satisfaciam.

Argumentum scriptionis, eiusque partitio.

3. In qua tota re, ut certa methodo disseram, primum explicandum videtur qui is tandem sit malus et malignus spiritus, et utrum iam ab illo passa sit aliquid Societas; deinde quanta ab eodem metuenda esset pernicies, si in Societate invalesceret. Quae bene diligenterque pro merito reique gravitate ponderata, servire quoque pro remediis poterunt et praesidiis, quibus ut nos adversus eiusdem spiritus hostiles animos impetusque omni cura sollicitudineque armemus atque muniamus, non solum utile, sed et necessarium fore, dubitandi nulla potest esse ratio.

Provincialis spiritus quis ?

4. Principio ergo dum hunc spiritum Provincialem voco, verbum fortasse mihi deest cogitationi explicandae meae satis accommodatum. Ceterum, ne de vocabulo controversia sit, vocetur sane quo quis nomine maluerit, postquam quid

rei ac notionis isti ego verbo subiciam paucis exposuero. Iudicia mentium et inclinationes affectusque voluntatum, spirituum passim variorum appellatione designare, sacri prophetarum et apostolorum libri, scripta quoque Patrum et mysticae theologiae Doctorum assolent.

Si, quorum ergo est hominum inductio animi studiumque eiusmodi, ut, omisso communis utilitatis ac rei summae respectu, privatim sibi ac suis consulant, se unos intueantur, sibi serviant, suas domos, cognationes, urbes, provincias potissimum atque adeo unice curent ; earum suasque commoditates, quomodocumque etiam cum damno exitioque publico conficere pensi nihil habeant, Provinciali eos isto spiritu instinctos dixerim. Ratio nomenclationis huius magis illucescet in hypothesi.

Quis illo spiritu agatur ?

5. Societas Iesu corpus est pluribus coalitum ex membris, Ordo est religiosus multos variarum nationum homines, complura in diversis oppidis, urbibus, regionibus, regnis sita certasque descripta in provincias domicilia complectens. Talis corporis membra, vel talis religiosi Ordinis professores, aut multi ex omnibus, aut pauci de multis, aut denique unus aliquis ex universis, si forte, oblitus finis universalis gloriae Dei ac salutis animarum, mediorumque ad istos fines in nostris Constitutionibus ordinatorum, suas sibi proprias rationes, suos privatos scopos peculiaribus a se

mediis prosequendos destinaverit ; si aequum duxerit, provinciae, patriae, genti, nationi, cognationi suae cetera omnia accommodari ; si, quo istarum rerum praecellentiam, primatum, praerogativam tueatur, obtineat, vindicet, nihil non moveat, nihil non misceat ; si clam palam, opportune importune id agat, in id incumbat, totus in eo sit : eum de sancto vitae susceptae proposito, velut de recto abreptum cursu, incurrente in adversum Provinciali spiritu non dubitem dicere ; cui si pergat tota vela pandere, in syrtes haud dubie scopulosque impingens ruat.

Ne in Societate ille spiritus reperiatur.

6. Illud iam dubitandum venit, ecquid in Societate nostra id genus homines reperiantur ? Magnas negandi causas video : quomodo enim homines mundo mortui, cum Christo crucifixi, qui se holocaustum Deo fecerunt, tot Constitutionibus, tot institutionibus formati, tot probationibus explorati, tot exemplis illustribus admoniti, tot secessibus annuis, tot meditationibus, lectionibus, exhortationibus cotidianis, tot sacris sacramentis, votis, tot divinis vocibus et illustrationibus adiuti, eo tam turpiter delaberentur, ut Aegyptum in Terra Sancta cogitarent, missa ad aratrum manu retro vultum averterent ; divinae gloriae, suae salutis, aedificationis proximi obliti, terrenae patriae, privatae familiae, naturalis necessitudinis vitiose affectibus indulgerent, turpiter commodis servirent ; et, quo ad hunc scopum pertingerent, per-

turbare oboedientiam, solvere disciplinam, opus Dei destruere non cunctanter aggrederentur?

Fortasse timendum est,

7. Et sunt haec quidem media ad profligandum exterminandumque malignum hunc spiritum efficacissima; ut proinde sperare in Domino haud immerito posse videamur, huiusmodi homines in Societate, si non omnino nullos, saltem paucissimos adhuc inveniendos. Nihilo minus dum allatas ad me querelas diligentius examino, quaeque de hac ipsa materia perscribuntur non unis litteris; quae ut aucta exaggerataque quis causetur, vix tamen me teneo, quin exemplo divi Pauli, qui cum scripsisset ad Corinthios fideles: *Audio scissuras esse inter vos*, statim subdit: *et ex parte credo*; ego quoque subesse aliquid, idque non levis momenti, tot querelis scriptionibusque suspicer.

1. Cor. II. 18.

Cavendum certe.

8. Verum quomodocumque haec sese habeant, illud certe infitiari nemo poterit, quin fidelitas, qua matri nostrae carissimae Societati obstricti omnes tenemur, id a nobis exigat, ut, sive contacti sumus tanta lue, quod refugit animus credere, sive, quod negari vix potest, ab ea periclitamur, vel de contractae noxae remediis, vel de praesidiis adversus periculum imminens cogitemus. Ad quod utrumque mihi in primis efficax fore videtur consideratio damnorum ingentium quae hic Provincialis spiritus in nos, nisi cavemus, importaturus est.

Damna, quae oriuntur ex hoc spiritu.

9. Inter quae mala, tamquam primae et praecipuae considerationis illud primo loco occurrit, quod

1° Praedominante hoc spiritu Societas salva esse nullo modo potest.

praedominante hoc spiritu salva esse Societas nostra nullo modo possit, utpote cuius vere caput iugulumque petat. Cum enim illa ex tam variarum tamque inter se dissidentium nationum naturarumque inspirata a Spiritu Sancto conspiratione ab initio coaluerit, peti nullo telo capitalius, nulla irreparabilius labefactari machina potest, quam si qua vi quave arte pervincatur, ut, pro genitrice illa concordia differentium membrorum, qua istud corpus ortu primo coaluit, destructrix ista secessio singularibus quemque spebus ac scopis, ab uno communis boni proposito in quod unanimiter conveneramus, ad respectus privatarum utilitatum varie revocet ac distrahat. Etenim quae ex multis constant, ea neque stare possunt nec operari, nisi ea multa unum sint, vel natura, ut elementa, quae per qualitates symbolas singula sese invicem complectuntur; vel consensione voluntatis, ut exercitus, familiae, societates, urbes; vel extrinseca partium colligatione, ut arte facta, domus, vestimenta, horologia, etc.; qualium rerum omnium non solum vigor, flos et perfectio, sed omnino vita, salus, status, in perseverantia coniunctionis consensionisque sita est. Secedant in partes elementa et in naturas quaeque suas ac loca resolvantur; mixtum non iam laeditur, sed plane interit funditusque corrumpitur. Unde imperia diu ampla lateque florentia, Assyrium, Graecum, Persicum, Romanum, nisi soluto pro-

vinciarum nexu, laxatis ac ruptis consensionis repagulis evanuerunt? Societas, si minima comparare maximis licet, Societas, inquam, ex mixtione sancta hominum diversorum, vi unitiva Sancti Spiritus in pulcherrimum hoc corpus coagmentata est, per eandem adolevit, per eandem ad terrarum usque ultimas latissime sparsa est. Vae nobis, si vitale hoc vinculum aliquando relaxetur et ad suum hi principium collegiorum, provinciarum item ad suum illi, alii quoque ad suum, contrahant sese atque a ceteris abscindant! Quae abscissio acerbior utique periculosiorque censenda esset magisque deploranda, si inter unius etiam eiusdemque vel domus vel collegii membra gliscere incrementaque sumere intellegeretur; quid enim tunc restet, nisi, quod horret animus cogitare et quod in omnem aeternitatem avertat a sua Societate bonus Iesus! quid, inquam, restet, nisi ut totum corpus dissipetur et pereat, nisi ut *regnum in se divisum*, iuxta Christi salvatoris verbum, *desoletur*, et *domus supra domum cadat*; nisi denique ut, pro mirabili illa pace, cuius verus rex pacis Christus Iesus redivivum in nobis illustreque specimen constituens, effecit, *ut habitaret lupus cum agno, pardus cum haedo accubaret, vitulus et leo et ovis morarentur simul, et puer parvulus minaret eos*; pro illo, inquam, tam admirando promeritae nobis a Christo Domino pacis spectaculo quid restet, nisi ut nos ingratis-

Lucae 11, 17.

Isai. 11. 6.

simi vineam eius electam, Societatem nostram, in multitudine ab illo abundantiaque pacis a prima eius origine plantatam, et per tot annos ad nos usque in eadem feliciter conservatam, infelici tandem sorte permutationeque in quoddam quasi discordium atque in se mutuo incurrentium beluarum amphitheatrum conversam orbis oculis, invidorum gaudiis, hostium plausibus offeramus!

2° Iste spiritus iniuriam facit Christo, cuius omnes membra sumus.

10. Et unum et Christi corpus omnes pariter sumus: quod sociali membro detrahitur, Christo detrahitur. Ille frater, ille pater, non minus quam ego membrum Christi est, os meum et caro mea est. Quid me, eius si quis fulget nitor, si qua eminet amplitudo, percellat, quae ad meum quoque decus emicant? cur illi detractum velim, quod in illo iam possideo? Collegium istud, istam provinciam, non aliud quam error et mentis quaedam caecitas aliena mihi facit; revera res meae sunt, pars hereditatis Christi, regia patrimonii, arces imperii magni patris mei. Floreat per me ista domus, ista provincia, ubicumque et apud quoscumque, et crescat in mille milia: soror enim nostra est; quae non tam, ut intellegitis, illorum Rebeccae fratrum, quam verae ac divinae caritatis vox est. Immo una mecum est sponsa Christi, de qua ipse dicit: *Una est columba mea, formosa mea.* Quam importunum scelus esset, non iam vestem sponsae Christi, sed corpus ipsum dilacerare ac discerpere? Notatur alicubi in libris sacris de

Cant. 2. 10. et 6. 8.

consensu filiorum Israël, fuisse illos universos *quasi virum unum.* Totiens centena hominum milia quasi vir unus erant. Magna laus ; sed non summa, ideoque synagogae propria. Ecclesiae peculiaris dos est, vere unam, non quasi unam esse. Audite Paulum in persona Corinthiorum fideles omnes alloquentem : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Vos, inquit, omnes virgo una estis, una Ecclesia Catholica vos omnes estis. Qui ab unitate se segregat, ad Christi coniugium non pertinet ; qui unitatem rumpit, repudiat Christum. Videat igitur sponsa ista, ut una sit, ne sponsa esse desinat ; ut autem hoc consequatur, audiat vatem regium monentem : *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Obliviscamur et nos, cuius provinciae, cuius patriae, cuius domus simus ; eius utique Societatis filii, *cuius vocationis est diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga ubi maius Dei obsequium et animarum auxilium speratur.* Obliviscamur, inquam, domus nostrae terrenae, patris nostri mortalis ; et non minus turpe iudicemus istorum, *quae* dudum *arbitrati sumus ut stercora ut Christum lucrifaceremus,* curam et affectum resumere, quam in matura aetate nutricis et crepundiorum desiderium testari.

1. Reg. 11. 7.

2. Cor, 11. 2.

Psal. 44. 11.

Summar. Reg. 3.

Philip. 3. 8.

3° Obscurat bonum Societatis nomen.

Quid iam querar Societatis bonum nomen isto spiritu obscurari, quando caput ipsum et vitam

eo in praeceps impelli iam deploravimus ? Est tamen huic querelae non incongruus locus ad nostram acuendam providentiam; quae non tantum, quid reipsa mali sit, sed quid vulgo esse videatur, debet prospicere : *Sapientibus enim et insipientibus debitores sumus :* iidemque pariter *Deo, Angelis et hominibus spectaculum facti.* Quid Deus et Angeli de nobis iudicent minus fortasse laborandum est, si bene nobis sumus conscii : intima illi penetrant, vulgus hominum ex specie et facie iudicat. Habuerimus certe inter nos iustas interdum contendendi causas ; ut inter Sanctos, atque adeo inter Angelos contentiones scimus exarsisse innocentes ; scandalum tamen oritur, infamia spargitur : digladiari Iesuitas, inter se ignari, invidi, haeretici celebrant. Caveamus ne iure dicat nobis Societas, quod patriarcha filiis, discordiae adversus Sichimitas hospites auctoribus : *Foetere fecistis me habitatoribus terrae ;* neque committamus ut iure quispiam in nos impingat illud Pauli : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis ? et secundum hominem ambulatis ?* Nemo est nostrum, credo equidem, qui non diligat, etiam supra quodvis suum privatum commodum, immo supra vitam, decorem domus Dei, Societatis videlicet huius ; cuius in atriis praeoptavit potius quam in paterna domo vivere, de qua, mundo contra ad delectabiles suas suavitates deliciasque invitante, generose aliquando ac

Rom. 1. 14.

1. Cor. 4. 9.

Genes. 30. Iuxta Hebraicam veritatem ex versione Pagnini.

1. Cor. 3. 3.

constanter dixit : *Haec requies mea in saeculum saeculi ; hic habitabo quoniam elegi eam.* Porro huius domus, hoc est, Societatis, decorem omnem famamque ac gloriam (de qua pari cum Apostolo generositate dicere debemus : *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet),* una potissimum verae inter nos consensionis opinione contineri, manifestius est quam ut probari debeat. Quo spectat quod praeclare divus Augustinus in illa psalmi 25. verba, *dilexi decorem domus tuae,* annotavit : *Cum lapides vivi, corda fidelium, caritatis vinculo continentur, decor est domus Dei, et locus tabernaculi caritatis eius.*

Psalm. 131,14.

1. Cor. 9. 13.

12. Neque tamen per hoc ego vos volo, RR. PP., famae solius rationem ducere, ubi corporis ipsa huius nostri, Societatis, cuius membra sumus, vita et status in non dubium discrimen proicitur ; stare siquidem Societas non potest, quod numquam satis dicimus, nisi, evulso radicitus nationali spiritu, arta nobis invicem consensione cohaeremus. Et cohaeremus nos quidem, quae Dei gratia est, atque adversus suspiciones vel malevolorum vel imprudentium, idonea sincerae unionis, quae in Societate hodieque vigeat, cum exempla tum testimonia proferre possumus. Verum quia non gratulandi, quod minus necesse est, sed admonendi hoc tempus sumpsi e duobus, quod intime sentio, animi motibus, voluptatis ex fructu nostrae

4° In apertum discrimen adducit Societatem.

concordiae, metus vero ex periculo ne ea relaxetur aut turbetur, extremum hunc tantum vobis, cuius utilior expressio est, hoc loco indicandum statuo. Timeo, inquam, utcumque rerum summam bene adhuc constare video, ne cui nostrum neglegentia
Cant. II. 15 obrepat *capiendi vulpes parvulas, quae demo-*
Psal. 136. 9. *liuntur vineas, et allidendi Babylonis parvulos ad petram,* hoc est, prima quaeque, dum adhuc tenera sunt, aemulationum dissensionumque ex nationalitate pullulantia, succrescentia semina elidendi. Est caritas, est unanimitas in nobis ; video et laetor atque auctori bonorum omnium gratias ago. Sed quo magis id bonum amo, eo plus timeo ne qui suboriantur interdum dictarum simultatum fomites, ne quae minus cautae conversationis allisu scintillae contentiuncularum emicent, quas non subito larga caelestis aquae, hoc est, caritatis et gratiae infusione obruamus. Imprudens nimium ille sit, qui se initiis et primis motibus tam taetrae perturbationis rapi permittat efferendum longius quam vellet ; quippe quae, quos semel arripuerit, in perniciem ipsam possit impingere. Non letale, at ne grave quidem fere vulnus a morsu est ; Pauli nihilo minus Apostoli ad leviter se incessentes Galatas verum monitum est :
Galat. 5. 15. *Quod si invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini.* Non fere mala sistunt ubi coeperunt ; irritata saepe certamine levis ira furor fit. Si nihil aliud, concertatiunculis hisce et vires ad

verorum hostium certamina servandas attereremus, et attentionem a semper intentis, a numquam non cavendis perennium inimicorum insidiis avocaremus, sicque illorum vel insultibus vel dolis nos facile vincendos exponeremus. Cuius consilii imprudentiam divus Nazianzenus similitudine a navigantibus ducta egregie demonstrat, dum sic scribit : *Si effusum mare in nos saeviret, ac circum navem aestuaret..., vectoribus inter se dissidentibus et confligentibus, qui tandem fieri posset, ut navis pessum non iret ?* Orat. 42. ad 150. Episc.

13. Verum quia iam fui in hoc primo puncto explicando prolixior quam decreveram, ero in altero tanto brevior, dum ostendam saepe damnatum nationalem spiritum certissimam esse pestem mortemque caritatis, et, quod ex eo clarissime elucebit, ipsius quoque Societatis, quae in caritate ab auctore suo fundata, subverso fundamento, simul cum eodem ut ruat necesse erit. Equidem huic solitario, seducto, suas sibi res seorsum habenti spiritui nihil magis e regione opponi censeo, quam veram et sinceram hominum propter Deum caritatem ; quae id officii suscipit ac commendat, ut homines Dei causa, a quo creati dilectique sunt cuiusque circumferunt imaginem, praecipue ament, non ob rationes ullas naturales causasque humanas. Non ergo sibi de caritate blandiantur, qui quomodocumque homines amant ; nec vero si quis parentes, si quis cognatos, populares aut

5° Est certissima pestis, et mors caritatis.

cives instinctu naturali diligit, caritate christiana pollere continuo iudicandus. Diserte Christus Dominus : *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt ? et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? nonne et ethnici hoc faciunt ?* Totum igitur discrimen in amandi causa est. Amo aliquem, quia necessarius meus est, vel eiusdem mecum patriae : ne philosophica quidem est caritas, quae virtutem spectat ; sed naturalis, cuius et brutae pecudes capaces sunt, nam et hae progenitores et benefactores amant ; christiana multo minus, quae hominem, ut dixi, mere propter Deum diligit.

Matth. 5. 46.

Cui maxime nocet, nationales ceteris praeferre.

14. Age igitur, si qui inter nos essent, quod Deus avertat, qui munia procurationis animarum, qui doctionis et gubernationis aliaque Societatis ministeria, non Dei vocatione, non superiorum delectu, non religionis auctoritate, sed occasione nascendi, et quodam quasi hereditario antiquitatis iure, ad se suosque pertinere iudicarent, tacite erga alios illud usurpantes, quod Iephte ab offensis fratribus audivit : *Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es :* an iudicari ab ullo prudenter poterit veram talibus inesse caritatem ? non existimo. Quid si tamen iidem viri sint docti, prudentes, magnaeque prae aliis existimationis ? audeo dicere, magno auctore Paulo utique Apostolo, tamen nihil sunt ; quia caritatem Christi non habent

Iud. 11. 2.

1. Cor. 13.

amando solum naturaliter suos, et quia eam violant aspernando eos quos a se alienos arbitrantur. Vere S. Augustinus : *Quisquis violat caritatem, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est.* Quae Sanctissimi Patris verba prodesse quoque haud parum poterunt ad erigendos pusillorum quorundam deiectos animos : certum enim est, tales angi interdum turbarique haud leviter posse, si viderent, aut videre sibi viderentur viros aetate graves, eruditioneque atque eloquentia in paucis eximios, et, quod in hoc fortassis genere plus aliquanto ad turbandos infirmorum animos momenti haberet, si viderent, inquam, illos etiam qui ad prima sui Ordinis munia dignitatesque prae multis aliis sunt promoti, usque adeo tamen iniqua personarum acceptione abripi, partialibusque suis affectibus non absque insigni caritatis laesione ita non numquam indulgere, ut quosdam quidem supra modum meritumque laudibus efferrent et sustollerent, alios vero longe infra illud abicerent deprimerentque ; quosdam quasi in clientelam suam patrociniumque susceptos foverent unice, promovereque ad meliora omnia, ubicumque possent, satagerent ; cum interim alios, donis licet naturae virtutibusque haud impares, velut extraneos ignotosque neglegerent omnique favore destituerent ; idque nulla alia magis quam nationis eiusdemque patriae ac necessitudinis commendatione. Et reperiri quidem aliquos huic vitio

obnoxios non est facile iudicandum ; quod si tamen reus quis convinceretur, quicumque ille sit, quodcumque etiam magnum habeat, ex divi Augustini tamen sententia nihil est, utpote qui caritatem violet ; ut proinde, qui tales sunt, habeant quod caveant, meritoque sibi metuant ne, cum dies Domini advenerit, omnis illa eorum in opinione hominum fundata magnitudo atque a nationali spiritu vitiata excellentia, fumi instar evanescat, et viri divitiarum, etiam spiritualium et caelestium,

Psal. 75. 6. *ubi dormierint somnum suum,* iuxta illud Davidis, *nihil inveniant in manibus suis.* Quam in rem dicere solebat sapienter P. Lainius sanctae

Hist. Soc. p. 2. l. 8. n. 214. memoriae, *in Ecclesia militante ordines et gradus distingui ex donis quae gratis data vocantur ; in triumphante ex his quae gratum faciunt.* Unde causa divo Paulo fuit, enumeratis

1. Cor. 12. 31. donis Dei gratuitis, adhortandi fideles *ut aemularentur charismata meliora,* nempe caritatem, sine qua, ut ait, homo, quicquid aliud habeat, nihil est. Illa vero, praeterquam quod promissionem futuraeque felicitatis pignus certum habeat, vitam insuper praesentem necessariis virtutum praesidiis instituit. Id quod idem D. Paulus docet enumeratione illa celebri fetuum aut proprietatum ca-

1. Cor. 13. 14. ritatis : *Caritas patiens est, benigna est,* etc., quae nostis. Qua in cogitatione recte Gregorius Magnus in rem nostram fideles adhortatur de

Lib. 2. Ep. 47. caritate loquens : *Hanc ergo matrem,* inquit,

custodemque virtutum inconcussa stabilitate teneamus, nullae in nobis eam subdolorum linguae imminuant, nullae antiqui hostis insidiae corrumpant. Non solum matrem, sed custodem praeterea virtutum caritatem vocat ; ut nimirum doceat nequaquam virtutes, ut filias matri superstites, posse vivere, sed cum ea simul occidere, quippe quae custos insuper earum sit ; ipsae vero tales, ut, sicut sine matre oriri, ita sine custode conservari nequeant. Cuius rationem Sanctus Ambrosius alibi tradit, absentiam nempe Christi ab anima caritate vacua ; quae absentia facit ut, veluti capite remoto, influxus in membra spirituum cesset. Sic enim commentatur in illa verba : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet ; sed posteaquam in pectore nostro non requies proximi esse coepit, sed fovea, caput suum Christus avertit a nobis.* Cui consentiens divus Hieronymus : *Non est,* inquit, *umbraculum Domini, nisi ubi pax est ; ubi zelus et discordiae, ibi omnino non est protector Deus.*

Matth. 8. 20.

In Hexam. l. 6. c. 8.

15. Quocirca hic ego compellaverim Societatem, quibus verbis Augustinus alloquitur Ecclesiam : *O Jerusalem !* (o Societas !) *quae aedificaris ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum ; fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua dilectio tua.* Quies omnium tumultuum, finis omnium contentionum inquietudinumque nostrarum in dilectione mutua, in vera

In caritate vera pax.

In Psal. 121.

fraternae caritatis usurpatione constitutus est. Tunc nec murmurabitur de superioribus, nec invidebitur florentibus, nec reicientur alienigenae, nec humiles contemnentur, si vera, sancta, evangelica in nobis vigeat caritas, quae unumquemque nostrum in qualicumque fratre Dei spectare imaginem ac vereri docet ; quae vitia et defectus, si qui sunt, *alis suis aureis* (ut ait divus Chrysostomus), *ne videantur, tegit.* Cuius eiusdem S. Patris et illa hypotyposis communitatis sanctae, ordinata caritate compositae, si hic ascribatur, non erit extra propositum : *Vellem vos*, inquit. *in talem civitatem ducere, si fieri posset, ubi unus esset animus, et videre ibi symphoniam omni cithara suaviorem, nihilque absoni habentem. Haec melodia et angelos et angelorum Dominum ac Deum delectat. Haec melodia non modo affectus sedat, sed nec exsurgere sinit, magnumque facit silentium. Inter amicos, caritate pulsante, omnes affectus quiescunt et sedantur, ut ferae demulsae et mitigatae.*

Hom. 40. in Act. 19.

Or. 40. in Act. 19.

Hanc igitur unice amemus,

16. Hanc igitur talem tantamque virtutem adamemus, Patres mei, hanc amplectamur ipsi, hanc aliis insinuemus ; cum hac caelesti et sancta caritate omnes humanos affectus et naturales necessitudines commutemus. Ignoremus, excluso omni nationali spiritu et affectu, differentiam nationum, discrimina urbium et locorum, patriarum et provinciarum lites, rixas, obnixa studia ;

et linguam caeli civibus barbaram nesciamus. Bene emitur omnium carnalium abdicatione affinitatum thesaurus pretiosissimus et margarita splendidissima divinae caritatis, cuius compos et sentiens quid teneat sancta sponsa dicit: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant. 8.

17. Neque causemus distantias locorum, aut ex necessaria ministeriis animarum per omnes terras dispersione nostra excusationem imperfectioni praetexamus: constat vigetque secura longinquitatis atque absentiae inter Sanctos individua semper unitas caritatis, cuius insolubile vinculum ipsa perfectio, ipse Deus est: *par est* quippe, ut egregie Ildebertus scribit, *latitudo caritatis et mundi; facile est enim, ut diversi litoris cultores caritas uniat, quae unam rem publicam fecit caelum et terram.* Quam non dividit distantia locorum. Lib. 2. ep. 9.

18. Restat nunc tertium et ultimum a me propositum caput; quod libenter his Ecclesiae verbis, levi mutatione ad praesentem usum accommodatis, inchoaverim: Excita Domine Iesu in Societate tua spiritum cui B. Ignatius Loyola servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit. Et quis fuit ille excitandus Sancti Ignatii spiritus? certe non fuit Provincialis, sed universalis; non particularis, sed principalis; non in se ipsum aut sua reflexus, sed ad commune omnium bonum Non fuit Nationalis, nec Provincialis spiritus S. P. N. In collecta Octavae S. Laurentii.

latissime intentus. Quando ille nationem unam uni praetulit? quando personas ex genere aut patria, non ex virtute ac veris dotibus aestimavit? Qui eius de maligno hoc spiritu fraternaque caritate sensus, quae mandata erant? exstant ea in omnibus fere Constitutionum commendata paginis, quae ut relegatis, ut meditemini, etiam atque etiam hortor.

Nec aliorum primorum Societatis Patrum.

19. Neque alius omnino viguit spiritus in primis istis eiusdem S. Patris filiis; qui licet e variis essent iisque male concordibus collecti gentibus, et eo collecti tempore quo internecino nationes eorum flagrabant bello, num quae tamen ideo in illis apparebant studia odiaque nationalia? quando quisquam eorum de alio excepit eo nomine quod antiquior esset, aut aliunde oriundus? Quo nunc abierunt illa aureae libertatis felicia tempora quibus Praepositus Generalis, nullo discrimine nationum aut cognationum, nullo patriae aut antiquitatis, cuique suum, nemine reclamante, pro usu, pro necessitate, locum munusque assignabat? quando, Sancto Ignatio iubente, cunctis probantibus, rector primus Romano Collegio Gallus imponebatur, Hispanus Parisiensi, Perusino Belga, Patavino Gallus? quando contionatores, professores, operarii ex provinciis in provincias, in Urbem, in missiones longinquas uno nutu evocabantur, mittebantur, mutabantur, nulla cuiusquam mora vel querela? Ad quam usque adeo necessariam, hoc potissimum tempore, veritatem magis magisque

confirmandam stabiliendamque, etsi supervacaneum videri id forte possit, praetermittere tamen nec possum nec debeo, quin addam quod in soliloquiis de vita sua scriptum posteritati reliquit (re ipsa, quod scripsit in collegio olim Panormitano expertus) P. Petrus Ribadineyra, unus et quidem ex carissimis S. Ignatii discipulis, dum Deum his ipsis quae addo verbis alloquitur: " Erat enimvero res propria tuae manus et imago quaedam primitivae Ecclesiae, videre Flandros, Italos, Hispanos et Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hispaniam et Galliam, vivere nihilo minus inter se cum tanto amore, ac si non haberemus nisi unum cor. Eramus nimirum septem magistri, sed singuli diversae nationis: primus erat P. Nicolaus Lanoii Flander, rector collegii et simul professor theologiae; P. Paulus de Achilles erat Lombardus, et praelegebat philosophiam; ego Castellanus docebam rhetoricam; Frater Ioannes Rogerius Gallus ex civitate Parisiensi praelegebat humanitatem; Frater Michaël Botelo Lusitanus docebat primam grammaticae; et P. Iuvenalis Pedemontanus secundam grammaticae; et P. Petrus Venustus Griso ex Valle-Telina infimam; et cum essemus tot ex tam variis nationibus, fuimus omnes vere una anima in Christo. „ Ecce quam id temporis felix erat beatusque Societatis et primorum istorum S. Ignatii filiorum status! Ubi tunc auditae coitiones certorum, commorationem certis in locis,

Testimonium P. Ribadineyra.

domibus, officiis affectantium ? ubi ambitiose eosdem in fines conquisitae commendationes principum, procurataeque non bonis artibus populorum magistratuumque intercessiones ? Erant haec artificia machinationesque pessimae, primis istis patribus novae plane atque inauditae ; quia scilicet vigebat in illis animorum unio ; spiritusque nationalis, cuius sunt illa infelicissima germina, ab illis totaque Societate procul exsulabat. Exsulet ille nunc quoque a nobis, RR. PP., vigeatque sacra illa unanimitas quae illos caelesti nexu copulabat : nihil nobis quoque bella, nihil populorum dissensiones discordis contagionis afflabunt. Opportune S. Gregorius ad illa Ezechielis de quattuor animalibus verba : *Iunctaeque erant pennae eorum*, etc. *Unanimitate* inquit, *iunguntur, licet officio, natura, spiritu inter se differant : et propensionis propriae oblita simul elevabantur, simul ambulabant.* Nam ne caelum sit religio, quod S. Bernardus debere esse ait, non utique diversitas personarum, sed animorum disiunctio facit. Quandoquidem, ut verissime de Beatis in caelo degentibus Augustinus scripsit : *Habebunt et tunc Sancti Dei differentias suas, consonantes non dissonantes, id est, consentientes non dissentientes ; sicut fit suavissimus concentus ex diversis quidem, sed non inter se adversis sonis.*

Lib. 29. moral. cap. 31.

In Psal. 150.

Conclusio.

20. Verum finis nullus sit, si copiosissimi argumenti venam sequi ad extremum velim. Con-

cludam ergo epistolam, et quidem iisdem paene verbis concludam, quibus patres in ultima Procuratorum Congregatione alloquens concludebam quam tunc ad eos habebam exhortationem: in qua aiebam nosse me eorum animos nosse religionem; non ignorare me etiam quantopere nationalitatem omnes destestarentur et ab eius funesta operatione abhorrerent, et, si quid forte uspiam ipsius malignitatis invaluisset aut saltem irrepsisset, quam illud sublatum eradicatumque funditus desiderarent; qui eorum zelus sensusque, licet pius omnino sanctusque esset, addebam tamen, ad emendationem illum minime sufficere, nisi aliorum quoque omnium per provincias idem sensus animusque foret. Quam ob causam orabam et obtestabar omnes et singulos ut, ubi in provincias suas feliciter rediissent, in eundem quem ipsi haberent sensum hac in re affectumque ceteros quoque in iis omnes socios inducere totis viribus conarentur.

Odium adversus tam malignum spiritum, non sibi tantum instillandum,

21. Quod et nunc absens apud vos, RR. PP., per hanc meam epistolam affectu quo possum maximo facio, rogans et obsecrans omnes, tam eos qui communicato sibi a Deo lumine perniciem huius spiritus penitus iam ante introspexerunt, et ab eo, tamquam iurato Societatis nostrae hoste inimicoque acerbissimo, toto semper animo affectuque abhorruerunt, quam etiam eos qui forte allatis non solum a nobis rationibus, verum

etiam, et quidem multo magis sacrae Scripturae testimoniis Sanctorumque Patrum auctoritatibus gravissimis persuasi, nunc primum multiplicem eius malitiam agnoscent salutaremque ab eodem aversionem odiumque concipient: rogo, inquam, omnes, et primo quidem, ut in sancto illo quod Deo adiuvante, ut spero, concipient odio, non solum constanter immotique perseverent, verum etiam ut crescere in eodem ac proficere cotidie magis ac magis allaborent.

Sed aliis quoque omnibus communicandum.

22. Deinde ne ad expurgandam liberandamque ab hoc pestilenti spiritu Societatem sufficere arbitremini vestrum illum, quem contra eundem spiritum sentitis, magnae displicentiae indignationisque sensum ; bonum illum quidem et laudabilem, sed qui intus in animis vestris sine operatione fructuque in alios quasi sepultus iaceat, nisi foras is erumpat cognoscendumque se etiam aliis praebeat; et, quod vos rectum sincerumque de perversa provincialis spiritus indole naturaque formastis iudicium, idem illud suadendo, adhortando, monstrando, conando modis omnibus, quantum in vobis erit, efficiatis ut et alii vobiscum agnoscant, approbent et imitentur. Pari modo iudicandum non est sufficere quod vos sanctum salutareque odium adversus eiusdem spiritus malignitatem pridem laudabiliter concepistis, nisi idem et alii, consilio suasuque vestro inducti, in animis quoque suis excitare fovereque

moliantur; nisi, quos vos seductos iam occupatosque ab hac contagione dolenter mecum gemitis ac deploratis, eosdem et illi deplorent, reducereque vobiscum in meliorem frugem mentemque saniorem conentur et satagant; atque in his demum piis religiosi animi affectibus sensibusque firmi constantesque persistant, donec communem hunc melioremque bonorum omnium ac totius Societatis de nationalibus affectionibus sensum, opinionemque Sociorum tandem omnium animis mentibusque impressum, insculptum vobiscum videant et laetentur.

Quod nostra vocatio requirit.

23. Quod infitiari certe nemo poterit quin sancta omnium nostrum vocatio verorumque ac germanorum Societatis filiorum officium merito ab omnibus requirat et exigat; cui ut satisfaciamus inducant tandem omnes (quod totiens repeto) in animum succurrere periclitanti Societati a nationalibus his affectibus; caritatem si refriguisse alicubi intellexerint, reaccendere illam pro se quisque in se, in aliis contendant; patrum exempla, Societatis famam, proximorum aedificationem, Dei gloriam humanis affectibus praeferenda putent; non quae revelaverit caro et sanguis, sed quod spiritus Patris in Constitutionibus, in Regulis nostris suggesserit, hoc loquantur, hoc omnes agant. Amen.

Romae XVI Novembris M. DC. LVI.

Omnium in Domino,
GOSWINUS NICKEL.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS PAULI OLIVAE

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE INFORMATIONIBUS, SEU EXHORTATORIA AD VERAM SOLIDAMQUE VIRTUTEM

Cur scribere distulerit.

1. Ex quo gravissimam universae Societatis molem meis umeris impositam sensi, religiosa praedecessorum vestigia et animo venerari et, quantum sinerent vires, imitatione prosequi statui. In uno tamen ab iis non modice deflexisse me fateor, quod, sub ipsa susceptae crucis nostrae primordia, carissimos in Domino Patres Fratresque communibus litteris appellare supersederim ; cum id officii superiores Praepositi post initam praefecturam statim obierint, sive sancta impatientia ne vel unico momento ab ope suis ferenda cessarent, sive ex amanti paternaque ira ; ut, si qua minus recta, cum privati essent, in Ordine nostro notaverant, ea facultatem nacti quam primum dirigerent et emendarent. Ego autem integri quinquennii moram interposui rebus gravissimis praemeditandis et in animo mecum considerandis intentus,

quae tum ad conservationem Societatis, tum ad incrementum nostri profectus attinerent. Quam ob rem eo plus ponderis apud vos admonitiones nostras habituras confido, quo diutius eas discussas atque examinatas esse coram Deo ad Sancti Patris nostri Ignatii pedes comperietis. Ac primum omnium universos et singulos sodalitatis alumnos amplector, gratiamque habeo pro iis quae ad Domini gloriam unusquisque aut agit aut patitur ; prae ceteris vero pectori admotos artius illos astringo qui, procurationi salutis animarum per Missiones dedicati, sublimes vita factisque Apostolatus insignia in Ordine nostro conservant.

Argumentum epistolae, necessitas fidelium informationum de Sociis ad gradum vel ad munia provehendis.

2. Deinde coram Christo Domino universis affirmo nullum Societati detrimentum vel universalius vel periculosius imminere, quam si minus fideles ad nos relationes a provinciis transmittentur de sociis tum promovendis ad gradum abstinendisve, tum deligendis in magistros morum aut doctrinarum. Hanc veritatis lucem, qua sublata Societatis gubernatio migraret in chaos, obscurant interdum infidi monitores ; dum affectionum officiis decepti conivent in amicorum malis, nimio plus vigiles in alienorum mendis inquirendis. Mox utrorumque imagines, quales cogitationibus finxerunt suis, paribus fucatas coloribus Praepositis repraesentant ; falsique ipsi, neque enim crediderim ex malitia peccare, nos fallunt. Certe adulterata semel notitia personarum,

si virtutis larva obvolvetur iniquitas, contra virtus inductis improbitatis lineamentis deformabitur ; posthabitis probis emeritisque, indignos ad exedras et gubernacula cum irreparabili Ordinis damno admoveri continget. Atque inde, nitente vitio, squalente probitate, perversae gubernationis in nos dedecus, in vos damna redundabunt. Quam ob rem per Christi vulnera et sanguinem omnes obtestor, ut, in Nostrorum ingeniis moribusque describendis, animorum propensioni nihil, nihil aversioni indulgendum putetis ; in amicis nuda seu bona seu mala considerantes, in alienis non tam defectus quibus obnoxii sunt, quam praeclaras virtutis aut scientiae dotes queis circumfulgent.

Utile, non informatoribus tantum, sed plane omnibus.

3. Ad istud animi propositum perinde honestum ac necessarium adhortari est animus in hac prima epistolarum qnas meditor; ostendamque breviter quantum rei nostrae communis intersit haec sancta indifferentis animi habitudo, ut inviolatus iustitiae tenor in Societate servetur; quando haec virtus mortalium res publicas regno Beatorum similes facit divinamque nomenclaturam moderatoribus cum veneratione conciliat. Et quamvis huius generis argumentum ad solos coartatum sacerdotes videatur, immo ad illorum quam paucissimos, latissime tamen omnibus patere constabit, ubi sodales intellegent, cui vera et solida virtus defuerit, nil favores,nil amicitias, nil eximias naturae dotes profuturas ; uti neque offectura odia, si qua sancte

quispiam severitate disciplinae aut zeli fidelitate contraxerit. Unde fiat, ut excolendis per scientiam ingeniis, per sanctimoniam voluntatibus, unice insistant ; abominati patrocinia, clientelas et foedam adulationum servitutem, tamquam sacrorum Ordinum pestes ac tineas arrodentes vestem nuptialem perfectionis ; qua quisquis inter religiosa saepta non induitur, in periculo magno versatur, ne a splendidissimo regum regis convivio ad infelices Pharaonis tenebras reiciatur ; rursus aegyptiacae fornaci, de qua Dei benignitate evaserat, mancipandus, ut paleas miserae vanitatis probrosarum cupiditatum luto coagmentet.

Iudicium ferendum secundum veritatem, exclusis affectibus,

4. His positis, praesidem Societatis angelum cum lacrimis oro quaesoque, ut e pectoribus nostris, dum Sociorum de vita iudicia ferimus, humani sensus fibras omnes evellat ; quicquid ex Deo non est, aut ad Deum non ducit, interscindens. Unde, tam in consultationibus dum deliberatur, quam in epistolis dum superiores edocentur, si qua vel minima benevolentiae odiique vestigia deprehenderimus, ea continuo tamquam pravos immanium ferarum catulos elidamus ; adeo ut in personarum tantummodo mores aut rectos aut pravos mentis acies, sopitis prorsus affectibus, intendatur. Huiusce virtutis exemplar esse voluit Verbum aeternum pro nobis humanam formam indutum, dum in Evangelio circumfusis turbis denuntiat se non modo nolle, sed nec posse

Exemplo Christi,

quidem vel in re minima quicquam, sive ad male merentium commodum, sive ad bene merentium noxam: *Non possum ego a me ipso facere quicquam; sicut audio, iudico; et iudicium meum iustum est, quia non quaero voluntatem meam.* Tam severa denuntiatione perterrefactus Ambrosius: En primam legem, exclamat, quam orbis Redemptor praefigit sibi cunctisque, qui aut consilio monent aut imperio iubent. Pro viris amicissimis mihi nihil possum, nisi suae illos alae virtutis extollant. Rursus nihil possum adversus invisos adversantesque, nisi suo illos vitium pondere deprimat. Interpretationem viri sanctissimi, quae singularis est et mirum in modum argumento favet, excipite: *Ergo hic personam iudicis propositumque suscepit, dicens: Non possum a me facere quicquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis; sed iuxta leges et iura pronuntiat.* Deinde terribili tonitru beatus Doctor mollitiem omnem cordis expectorat, iubetque, non secus ac si statuae essemus, intellegentia quidem praeditae, sed visceribus vacuae, ad rationis praescriptum cuncta dirigere; amore, odio, misericordia, ira, ceterisque affectibus, tamquam pessimis consultoribus, eliminatis: *Discite, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam severitatem. Dominus omnium dicit: Non possum a me facere quicquam. Non potest utique; non*

Ioan. 5. 30.

Serm. 20. in Psal. 118.

per infirmitatem, sed per observantiam iudicandi. Et quoniam quae subsequuntur verba divinum quid sonant, pronis audire auribus placeat : *Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit ? Non vult posse quod damnat. Non vult posse adversus fidem, non vult posse adversus veritatem. Audi postremo ipsum dicentem cur non possit facere quicquam. Sicut audio, inquit, iudico ; hoc est : non ex voluntate mea decerno, quod libitum, sed ex iudicandi religione, quod iustum est.* Doctrinae tam necessariae neglectus orbem terrae contaminavit facinore tam atroci, ut spatio tot saeculorum nullum immanius aut suggerere daemones, aut exsequi potuerint homines, qui Antichristum impietate vel aequarent vel vincerent. Innotuerat Pilato innocentia Salvatoris ; et tam eius uxor horrore somniorum consternata, quam iudex ipse attonitus Christi prodigiis quae narrabantur, eximere vinculis tentaverunt. Actumque cum praeside esset praeclare, nisi falso liberandi vel occidendi immaculatum Agnum potentiam sibi arrogavisset. *Mihi non loqueris ? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te ?* Imperitum hic iudicem iniquitatis et mendacii redarguit laudatus interpres. Longe, inquit, erras, dum auctoritatem tibi vindicas inauditam et plane ficticiam. Nam si Christo deest culpa, tibi pariter deest damnandi potestas. Talem in tribunali tuo debes aestimare,

Huius neglectu doctrinae Pilatus Christum crucifixit,

Ioan. 19. 10.

qualem sua sibi vita repraesentat. Sed quoniam praeses ignavus elationem patibuli de iudicis arbitrio, non a rei delictis pendere duxit, ut vulgi gratiam emeret, Deum in cruce interemit. *Tua, Pilate, voce constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro aequitate crucifigendum Dominum tradidisti. Mala potestas, licere quod nocet. Potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere.* In tam horrenda mala corruit, quisquis in consiliando iudicandoque, impetu affectionum abreptus, a semitis iustitiae et veritatis per invia et abrupta praecipiti ruina devolvitur.

Et rursus in membris eius crucifigunt perversi iudices.

5. Neque aliquis eo sibi nomine blandiatur, quod perversitate quantalibet consiliorum iudiciorumque iterari nequeat deicidium. Nam Christus iterum crucifigi potest in servis suis, rursus opprobria et flagella pati in suo corpore membrisque, quod est Ecclesia et Societas Iesu pars Ecclesiae aliqua. An exiguam huic pusillo coetui labem inferri posse creditis, si per mendaces relationes corvi pro columbis aggregentur? aut is in ovium pastorem deligatur, qui lupinos ob mores ne censeri quidem in tam sancto grege ovicula mereretur? Quod autam iure succenseo promoventibus ad gradus et munera privignos omni cassos pietate; multo id magis de iis conqueror, qui a culmine rerum nostrarum arcent legitimos Societatis filios, eximiis naturae gratiaeque praerogativis a Deo

coronatos. Quin potius universi cum Apostolo conspirantes et remissiorum deiectionem confirmationemque fervidorum, exclamemus, tum adversus ambitiosos, impudens os exercentes ut in honores quos non merentur involent, tum post humilium et modestorum terga qui pares sed aspernantes abhorrent ab omni fastigio dignitatis; exclamemus, inquam : *Non possumus aliquid adversus veritatem.* 2. Cor. 13. 8.

6. In nulla Christianae rei publicae parte, multo sominus in religiosis Ordinibus, locum habeat illud nimis tritum adagium ethnicorum poetarum, iactantium eodem ex ligno regnatorem Caesarem fingi ac rusticum aratorem, prout artifici collibuerit. Nos factis astruamus longe secus rem se habere in familiis prudenter temperatis ; ubi seu bonae seu malae famae vultus, honorisque aut dedecoris facies, ex ligno educiter sive sano sive carioso, nullum in utramque partem momentum addente favore aut aversione gubernantium proponentiumque. Intellegat unusquisque, supernarum mentium integritatem et Apostolorum fervorem aemulantibus apud nos in proclivi futura omnia : ex adverso contemptores nostrarum legum, in sectandis commodis ardentes, in laboribus languidos, pro deploratis habendos, et consepultos in angulis collegiorum victuros ignobiles, quasi iam vixerint, inustis saepe propter delicta multis tantummodo nobilitandos. Existiment Ignatii filii, se

Recta de Sociis iudicia omnes stimulabunt ad assequendam perfectionem.

suis in manibus descriptas gerere sortes suas : talem in Societate futurum quemque, qualem se esse voluerit ; quippe altiora ministeria semper in hac re publica, sicut in caelesti, sublimioribus et ingeniis et virtutibus deferentur. Quae res incredibilem animorum concordiam per iustitiam parit, et quali fruuntur caelites beatam securitatem, adumbratam olim in sapientissimi Salomonis imperio, quando, ut sacer testatur historicus, *habitabat Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua.* Nemo superiores, quamvis austerioris ingenii minimeque in se propensos, extimescat ; siquidem in Societate non ipsi Generali Praeposito, nedum Rectoribus collegiorum aut Praesidibus provinciarum libet posse quod non licet ; privatisque affectibus auctoritate publica exarmatis, nullo noti ignotique, nullo amici vel inimici discrimine, Ordinem regimus, bonum Patrem familias imitantes : spicarum manipulis plenas manus referentibus laudes et praemia, vacuis redeuntibus aut onustis feno stipula paleisque increpationes et iurgia retribuimus. *Unusquisque sub vite sua et sub ficu sua.* Requiesces quidem sub umbra vitis, per castigationem sensuum artamque legum custodiam amputatae, non excultae favoris aura et commendationibus amicorum. *Sub vite sua.* Ita, qui taxi aut rubi noxiarum arborum malignitatem pravis moribus referunt, in venerandam Nazarei

3. Reg. 4. 25.

imaginem fingi ne sperent ; nec ex adverso cedrinae aut cupressinae proceritatis aemulator metuat ne vili aethiopis forma figuretur. Samueli, utpote fideli prophetae Domini, arcae custodia demandabitur ; Ophni sacrilego exsilium a tabernaculo et caedes in acie praedicetur. Ne multa : quod filius Virginis die mundo suprema, id omni tempore in qualibet munerum aut praemiorum poenarumve distributione repraesentabunt Societatis moderatores ; et qui relationes de vita sodalium scribit, quique proponit, *Reddet unicuique secundum opera sua*, a respectu omni privatarum rationum vel necessitudinum aversis oculis, auribusque obturatis tam quiritantium quam blandientium cantilenis. Matth. 16. 27.

7. Atque haec aequitas animi firmitasque in librandis unice cuiusque bonis malisve moribus tunc maxime a nobis exigitur, quando deliberamus de sodalibus in perpetuum corpori Societatis aggregandis. Antehac si quis ad professionem admovebatur legum nostrarum neglegens ingeniique praefracti, quisquis in eam rem consilium operamque contulerat, is profecto de optima parente Societate male meritus videbatur ob violatas in re gravi rationes et formulas Instituti, neque levem eo nomine noxam ad tribunal divini iudicis contrahebat. Cum tamen superioribus annis ea vulgo fama invaluisset, quicumque ad professionis gradum inter nos admoverentur, illos educationis

Recti iudicii peculiaris necessitas in informationibus ad gradum.

esse optimae et eruditionis non vulgaris, professi sodalitati graves haud gravate immo perlibenter ab aliis familiis excipiebantur; honore quidem tanto, ut non amandati ad exonerandum Ordinem nostrum, sed adoptati ad alios exornandos viderentur. Verum progressu temporis, cum istorum pars magna degeneraverint — excipio paucos, quos probitas et doctrina ad amplissima munera extulit — cum, inquam, plurimi evaserint in domibus ad quas profugerant inquieti, turbidi, discordes, ambitiosi, quam admiratores sui, tam contemptores aliorum, abhorrentes a psalmodia, novitatis auctores, censores praesulum, magistralium exedrarum invasores, avidi immunitatum, qualesque inter nos fuerant, et intolerandi propter culpas et correctionum intolerantes, grande arcanum cunctis Ordinibus religiosis innotuit: eiectamenta Societatis non esse margaritas ad ornatum corporis adhibendas, sed vitri frusta pedibus conculcanda. Cui sane vitro in domibus nostris confracto gratia omnis una cum integritate deperiit; nullumque reliquum usum habet, nisi forte ut contrectantium manus laceret et cruentet. Atque inde factum, quod aliae familiae egredientibus e nostra accessum ad sese severis legibus interdixerint.

Pernicies ex convictu cum professis indigne admissis.

8. Quam ob rem sodales ad professionem temere admoti, ab omnibus fere coenobiis exclusi, in nos male immissi, nobiscum pessimi manere coguntur, cum inconsolabili assiduoque tum subditorum tum

regentium gemitu ; atque ita insinceram mendacium patronorum luimus fidem, quando eorum relationibus ad quattuor votorum sanctitatem triumque sollemnitatem evecti astrictique, haerent haerebuntque intra viscera Societatis, qui ea perpetuo aut veneno inficiant aut dente discerpant. Neminem latet quanta pax et felicitas in nostris domibus habitaret, si qui eas conturbant perpauci abscinderentur. Duo, tresve ad summum, singulis in provinciis, malaciam religiosam, quae per ceteros omnes remaneret immota, in tempestatem vertunt. Nam ubi primum collegia subeunt, quae modo terrae candoris lacte et melle iucunditatis redundabant, statim discidiorum felle et suspicionum toxico scatent ; quaeque non nisi electum evangelicae simplicitatis frumentum abunde ferebant, in detestanda politicorum dogmatum zizania exuberant. Ecquis ille fuit, detur venia verbo, proditor Societatis, ille communis tranquillitatis hostis, ille adversus Parentis nostri decreta contumax ; qui ausus est proponere tamquam capaces supremi in hac familia gradus, insignem virtutis et doctrinae praestantiam requirentis, homines a precandi meditandique consuetudine alienos, christianae humilitatis prorsus ignaros, nullo parendi superioribus, nullo sibi imperandi studio, nullo paenitentiae, nullo salutis animarum ; moderationis in lingua, caritatis in corde, diligentiae in operibus expertes ; in aliorum factis interpretandis

Isai. 24.

temerarios, in iisdem carpendis audaces; usque ad contemptum gravissimarum Constitutionum arrogantes, quas commovere, si possent, et convellere tentarent et exscindere ? Rari profecto inter nos abortus tam degeneres et abominandi aspiciuntur. Nisi tamen volumus, reclamante propheta, parietem casurum luto absque temperatura linire, et stertentibus pulvinaria insuper insternere ; fateri oportet cum dolore summo eorum, queis cum eiusmodi pestibus versari contigit, non esse tam paucos, quin in pluribus provinciis duorum triumque sodalium graveolentium sentina horreat.

Ezech. 13. 11.

Rectae informationes admissionem talium ad professorum vota impedient;

9. Si relationes Romam missae sinceris coloribus expressissent homines virtutis tam indigos, animi perturbationibus tam obnoxios, ingenii tam intractabilis, tamque perditae verecundiae, haudquaquam inter membra huius Ordinis cooptati nunc abscisionis difficultatem iactarent ; tamque duris cervicibus,et animis ab ideis Instituti nostri nimium discrepantibus, cum incredibili lucro existimationis apud externos, concordiae inter domesticos, mature exonerata esset et recreata nostra res publica. Ne, quaeso, per indulgentiam pravam in quosdam natura malos, consuetudine peiores, portam eam sanctam occludamus, quam summi Pontifices invidenda ceteris praerogativa patere nostro Ordini voluerunt; ne, qui Deo vere non vivit, inter nos vivat ; utque,turbidis ingeniis expulsis, prisca legum severitas retineatur, sollemnesque pudoris angelici

et apostolici fervoris feriae, aut potius dixerim, perpetuum iubilaeum in hac familia perennet. At enim, obiciet aliquis, in istis disciplinae laxioris hominibus gravium criminum ulcera minime deprehendas. Esto. Non id tamen elevat gravitatem doloris mei. Si ad letalia delicta, quae Dei misericordia est, non conivetur, neque inulta esse sinuntur in hac minima Societate, plurimum tamen derogat cum existimationi apud externos, tum internae quieti et sanctitati, sociorum languescentium in virtute consortium. Neminem dentis depravati vitium admovet morti; magnitudo tamen cruciatus gementem vehementer angit et facultatem ad consueta munia membris omnibus intercludit. Sic vulnus malae inflictum, supercilii abrasio, abscisio labri, leprae scabies in fronte, distorti pedis claudicatio, vitam quidem non adimunt, nihilo tamen minus homines his vitiis deformatos in eam verecundiam adducunt, ut humanae consuetudinis fugitantes, in avia nemorum, in reposta vel obscura aedium aut speluncarum se penetrent, ut pudenda corporum dehonestamenta exsilio, solitudinis tenebris celent, tam luci quam sibimet ipsi invisi, et ante vitae exitum sepulti. Eadem prorsus ratione socii solutioris disciplinae, quamvis neque detestandis facinoribus seque et Ordinem commaculent, neque letalium criminum exemplis graviter socios offendant, pudori tamen sunt illis et maerori, dum distorti moribus in duas

Qui licet criminosi non sint, tamen laxitate vitae plurimum nocent.

partes claudicant, dum curvae in terras animae inclinatam humo Evangelii vetulam imitantur, dum in caelestibus et in aeternis contemplandis luscosi, lincei apparent in rebus humilibus et caducis.

Remedium docent sacrae paginae.

10. Quae cum ita se habeant, adversus tam periculosam labem munimenta valida et aggerem impenetrabilem oportet opponere. Huic exstruendo materiam idoneam suggerunt sacrae paginae, dum in Apocalypsi describunt mare crystallinum solio

Apoc. 4. 2. 6.

regnantis Agni circumfusum: *Et ecce sedes posita erat in caelo, et supra sedem sedens ; et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo.* Atqui primo aspectu accommodatior futura mihi videbatur imago solis ad significandam vim infinitam divinae perspicaciae opera mortalium omnia perlustrantis ; qualem exsistere par est in supremo diribitore praemiorum atque poenarum. Verum divinorum aenigmatum profundam altitudinem sum veneratus, posteaquam animadverti, solem integritate quidem incorruptae naturae, fulgore perspicuo radiorum, exhibere pulcherrima regalium virtutum exempla, rerum publicarum moderatoribus aemulanda ; sed absurdam atque perversam intellexi futuram imitationem eiusdem sideris, quatenus lucis efficacitate pari succos venenatos in cicutis ac salutares in uvis elaborat, et fidelium atque infi-

Matt. 5. 45.

delium campos non absimili fecunditate convestit : *Solem oriri super bonos et malos.* Isthaec beneficen-

tia in omnes indiscriminatim effusa, quantum commendatur in providentia divina, quae, praemiorum amplitudinem alteri saeculo reservans, in hac vita munusculorum aucupio impios allicit ad paenitentiam, alterum tantum vituperationis meretur in administratione seu sacra seu profana terrarum ; quoniam, sublato rerum discrimine, corona dignos cum supplicia meritis in remuneratione confundit. Oceani propinquioris nobis quam solis gubernationem praestat imitari. In naufragiis ille magnarum navium, auri argentique metalla cum gemmis in profundo alveo recondens, marcentes tabulas et putrefacta cadavera in litus expellit. Sic Indicum pelagus algas foetentes et ignobiles testas in extimas arenas evomit, conchis, margaritis et corallis interiore gremio tenaciter retentis : *In conspectu sedis tamquam mare vitreum.* In elementum tam nobile figamus mentis oculos ; ab eoque odium in sodalitatis degeneres filios, amorem in generosos addiscamus. Tam calamo in litteris quam voce in consultationibus, improbos ut opprobria nostri nominis insectemur. E contrario probe atque inculpate viventes, tamquam Ordinis fulcimenta et spirantes primorum patrum imagines, Generali Praeposito proponantur. Davidicis exclamare vocibus libet in eos, qui de sodalium vita et moribus nos perperam edocent : *Quis consurget mihi adversus malignantes ; aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* Psal. 93. 16.

Non minoris momenti sunt informationes de moribus, quam de doctrina;

11. Patres mei, tot iuramenta concipitis, ut de sapientia provehendorum ad professionem nos certos faciatis; nullus provincialis, nullus generalis conventus celebratur, qui severiorem doctrinae censuram a nobis et certiora experimenta non requirat. Nec damno. Nam vae nobis, si fundamentum, cui fere omnes religiosi Ordines et praecipue noster innititur, insignis litteratura defecerit. Sed cur de altero sustentaculo conservando perinde non laboratur; de virtute exaggerata et sublimi, quam sanctus patriarcha in cooptandis ad professorum coetum severe admodum exigit? Aversionem videlicet a patrio solo, et a consuetudine propinquorum; honorum ad deliciarum fugam; accuratam meditandi contemplandique diligentiam; sitim poenarum, iustitiae famem; parendi maioribus, infringendae propriae voluntatis, subigendarum appetitionum studia; convertendi ad Deum humani generis apostolicam aviditatem; benevolentiam in universas orbis terrarum nationes ex aequo propensam, privatis cunctis necessitudinibus nuntium remittentem. Pro dando his virtutibus testimonio sacramenti nullius religio interponitur; immo res momenti summi incuria tanta tractatur, anne malitia? ut mendacium aliquando interveniat, idque palmare. Quippe Ismael importunus lineamentis Isaac mitis adumbratur; seditiosus Abiathar religiosi Sadoc personam induit, et ipse Cain ab invidia et furore lividus

innocentis Abelis candore fucatur. Cur vero probitatem vitae sicut praestantiam doctrinae iurati non affirmatis ?

Quin potius longe maioris.

12. Ecquod rei publicae detrimentum impendet, si quis professorum minus acute philosophetur in scholis, aut in coetu concertantium non tam subtiliter argumentorum nodos exsolvat ? Ex adverso quae pernicies timeri non potest universo Ordini ab unius professi arrogantia, ira, otio, contumacia, temeritate ? Unus ex professis aliquando, instar turbinis a satana concitati, apostolicam Constitutionum molem a fundamentis concussam labefactare contendit. Ergo ubi pompa eruditionis, et plausus agitur lycaei maior, augustissimae Triados numen advocatur in testem fidei subsignatae ; ubi sanctitas Ordinis atque tranquillitas periclitatur, arbitria commissa nobis ad arbitrium amicorum circumferemus ? utque gratificemur improbo filio, sanctam parentem in angustias et dolores parturientis adducemus ? Non is ego sum, qui velim Socios ad tale iusiurandum adigere, a quo imperando, quamvis in illud propensae, plures Congregationes generales abstinuerunt. Sed inculcatum etiam atque etiam cupio officii debitum, quo tenetur substituere sacramento, cui parcitum est ne conscientiae religione periuriorum obstringerentur, invictam fidelemque constantiam in exponenda veritate. Ne quempiam transversum agat impia erga immerentes pietas : sed fidem quisque inte-

gram repraesentet Societati ac Praepositis generalibus, qui suas deliberationes et decreta magni momenti super alienis relationibus fundant atque extruunt.

Hactenus dicta extenduntur ad quaelibet Societatis munia,

13. Quod monui de gradibus et magistratibus, circa quos binos veluti cardines Ordo noster circumvertitur, idem extendo ad quaelibet Societatis munia, gymnasia, suggesta, missiones, ceteraque ministeria tam patribus quam scholaribus fratribusque alia aliis pro variis naturae gratiaeque donis deferenda. Quod si quando contingat ut sodalis eminentis ingenii inferior sit alteri morum probitate, hunc illi sine controversia praeponi iubeo. Sic inter discipulos doctiorem, sollertiorem inter coadiutores, volo sanctioribus posthaberi ; dummodo hi pares obeundo muneri sint, quantumvis illos supra esse ac multum excellere appareat. Qui religiosis in castris divino obsequio se manciparunt, memores propositi sui, concupiscere debent et expetere laboriosa magis munia et speciosa minus ; sive ut excelsam animi submissionem, quae viguit in Christo rege et capite nostro, aemulentur ; sive ut suas altius in regno immortalitatis sedes evehant per ultimos accubitus praeoptatos in convivio vitae mortalis. Superiorum autem eorumque qui lingua et calamo Superiores edocent, propriae sunt partes ultro sese deprimentes attollere iis patrisfamilias verbis : *Amice, ascende superius.* Nisi forte hi precibus accura-

Luc. 14. 10.

tissimis a Deo primum, deinde a nobis, ministeria infima extorserint, tum ad amplificandam ipsorum dignitatem in caelo, tum ad ambitionem deteriorum in terris coarguendam. Invitandos tamen vel invitos ad magistratus ac speciosissima munerum censeo, quantumvis constet repugnaturos ; quo tabescant invidi, probi gaudeant maneatque in re publica profuturum saeculis grande honores aspernantium exemplum. Neque ista ita dissero statuoque, quasi vilissimam caduci decoris cupiditatem iis velim ingerere, quorum excelsissimam humilitatem laudibus et decretis attollo.

Quae dignis danda in praemium.

14. Unam tantum Dei gloriam et alienae salutis procurationem suis laboribus propositam sodales habeant ; nostrum erit de illorum commodis et ornamentis cogitare. Quem ad modum veri numinis cultores infinitam illam maiestatem ex animo sincerissime diligunt, nullo promissae beatitatis respectu, fide tamen obstringuntur, ut credant Deum remuneratorem bonorum largissimum malorumque iustissimum punitorem : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et requirentibus se remunerator sit.* Quare a Societatis alumnis exigendus non est is mercedis et praemiorum neglectus, quem in Ecclesiae filiis Apostolus non requirit. *Credere oportet quia remunerator sit.* Quandoquidem Martyres quoque, qui vitam pro Christo et sanguinem fundunt ex unico placendi Deo divinaeque gloriae propagandae desiderio, in

Hebr. 11. 6.

eo purissimae caritatis actu confiteri et adorare necesse est divinae iustitiae numen, coronas amicis, inimicis incendia praeparantis. Quam ob rem, ne probitas laudata, sed algens, accensa sui studia in amatoribus restinguat, arceamus oportet a sublimioribus nostri Ordinis ministeriis ignaviam, somnolentiam, proficiendi neglectum ; eoque sublevemus diligentiam, vigilantiam, sanctitatem. Ita docet Ambrosius in ea verba psalmi xxxv : *Et manus peccatoris non moveat me. Dum videmus peccatores prosperis abundare successibus, nutamus affectu, et quadam quasi peccatorum manu de radice virtutis avellimur. Cavendum ergo, ne, quos in domo Dei manus divina plantavit, manus adversa supplantet.*

Nulla alia dantis propensione, quam ad aequum honestumque.

15. Equidem, quod ad me attinet, sodalibus universis indubitanter affirmo, nullam aliam in animo meo experiri, multoque minus admissam velle propensionem, praeterquam ad aequum honestumque ; atque in dispertiendis muneribus quae a nostra voluntate dependent, virtutem sodalium semper et facultatem rebus omnibus praelaturum. Si aberraverim, certo sciant innocenter nec sponte in publicum bonum peccavisse, referentium videlicet dolo, aut perfidia proponentium circumventum. At cuicumque suo vel amori vel odio obsecutus nos debita veritate semel fraudaverit, hunc, negata in posterum fide, facultati nos iterum fallendi subducemus. Deceptus errabo,

quod hominis est ; sed probe edoctus, ut praeses non committam, id enim tyranni aut daemonis esset, ut sciens et prudens in barathrum iniquitatis ferar, optimos posthabendo mediocribus, et infimae virtutis homines, qui iacent in sordibus obstinati languoris, ad munia honestissima sublevando. In hoc proposito ita defixum animum habeo, ut supplici corde tres divinas personas invocem pro accelerando vitae digressu, si me praeviderint a iustitiae semitis declinaturum ; cum omnino praemori malim, quam vel minimum in personarum acceptione peccare.

Nec tamen destituendi indigni, sed ad studium perfectionis erigendi, ut fiant digni.

16. Neque tamen in mentem venit, dum minus dignos aut indignos prorsus reicio, illud optare, ut omni auxilio miseri destituantur ; quin eos enixe rectorum diligentiae ac vigilantiae commendo, ne sinantur in fundo haerere abiectae desperationis, sed fraternae caritatis ope subvehantur ad verticem perfectionis, quo sub initia conversionis anhelaverant. Id effectum dabunt, si nostram illis benevolentiam attestentur, si proprii status in quo degunt sublimitatem insinuent, si paterna ingerant monita pro culpis queis obnoxii videntur evitandis, delaudent naturae bona quibus enitent, per quae res praeclaras in Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem sint peracturi, modo, instaurato fervore pristino, se totos divinae gratiae regendos permittant, initiati Deo tamquam evangelici ministri ordinis, tanto divinae maiestatis patrocinio et favore dignati.

Haec est ratio legitima et via, qua de male merentibus bene mereantur ; beneficio quidem duplicato, non conciliando indebita decora indignis, sed reddendo dignos, faciendoque, ut quae meruerint assequantur, Ita fiet patrocinantium affectus privatim ac publice salutaris. Dum enim alii sodales miserandos e sordibus benigniter extrahent, alii strenue per paenitentiam emergent, utrorumque virtutibus omnis generis illustrata Societas exsultabit. Quisquis aliter agendo religiosae familiae rationes conturbaverit, stellas, ut loquitnr Nazianzenus, in terram detrahens, et vicissim terrarum quisquilias inferens caelo, is parentem suam Sodalitatem dedecore afficiet, Sociorum virtutis in stadio currentium alacritatem minuet, otiosorum et dormitantium contumaciam acuet, reddet denique per omnia dissimilem temperationem Societatis administrationi divinae.

In informationibus compescendus immodicus amor patriae et propinquorum.

17. Et quoniam istiusmodi malorum origo est ingenita cuique erga suae gentis homines a natura propensio, quae, nisi reprimitur, evadet iustitiae labes et venenum sanctimoniae ; ut securim ad radices plantae tam perniciosae ac mortiferae ponam, integram epistolam comparavi super compescendo amore immodico erga patriam propinquosque ; in qua ea tantum probare est animus, quae severiter Christus Dominus vestigia sua sequentibus interdicit. Nec argumenta depromentur ex nostra penu, sed ex oraculis Scripturarum, ex

evangelicis constitutionibus, de sermonibus sententiisque Sanctorum.

Fideli relatione supprimitur distantia locorum;

18. Interim si quis miratur cur tam acriter contenderim ut quam sincerissime relationes ad nos docendos a provinciis transmittantur, is, edoctus consilii nostri causam, mirari desinet. Cum enim Praepositus generalis, tamquam supremum agens, immensum Societatis corpus ab ortu in occasum per interminata terrarum mariumque spatia porrectum movere debeat; nisi partibus remotissimis aliqua ratione se admoveat, peramplo muneri par non erit; cum actiones in distans dari abnuant vel exedrae philosophantium. At propinquitas gubernationi tam necessaria haberi qui poterit? quando ubiquitas ne ipsi quidem conceditur Christi corpori glorioso, quod sub orbe triticeo tot expositum in templis adoramus, et immensitas dos est propria Divinitatis, praesentis rebus omnibus et omnibus consulentis? Una fidelis et sincera sedulitas tam consultorum referentium, quam proponentium Provincialium, per atramentum et paginas orientem occidenti coniungit et utramque Indiam admovet Romae; cum locorum distantiam ita suppleat, ut sodales qui peregre degunt, per calamos veraces expicti, melius moderatoribus innotescant quam convivis discumbentium facies per oculos repraesentatae. Siquidem parum refert alterius os cernere aut sermonem haurire, nisi perspicuus quoque sit animus convivantis aut

Ea melius innotescunt subditi quam praesentio corporali;

colloquentis. Nam saepe molientes alterum in alterum insidias eadem mensa consociat, et pro vitae propugnatoribus alit proditores. Ex adverso quicumque vel absens de hostis implacabilis odio cognoscit, se mature praemunit, armis contra vulnera, antidotis contra venena. Usque adeo verum est mentis oculos frontis luminibus antecellere ; plus proficere ad regimen mortalium cordium notitiam quam corporum ; illamque praehabendam propinquitatem, per quam non lineamenta vultuum, aut status motusque membrorum, sed colores animarum et umbrae, doctrina videlicet aut ignorantia, virtutes aut vitia deteguntur. Apposite in rem nostram Paulinus in litteris ad virum primarium scribit : *Praesentia firmior quae spiritu, quam quae corpore iungitur. Quia quanto fortior carne spiritus, tanto potior est coniunctio animorum quam corporum, et interiorum praesentia melior exterioribus separatis, quae saepe sine causa iunguntur locis, si mentibus separentur.* Quod si relationes felle odiorum infectae, et vindictae igne flagrantes, innoxios adurerent, aut ex miseratione iniqua erga nocentes mores illorum plumbeos laudibus inaurarent ; non bene longinquitas regionum litterarum beneficio suppleretur. Ecquis enim non intellegit quanto intervallo me ab optimis filiis istiusmodi notitiae adulterinae seiungerent, exponerentque periculo inevitabili reiciendi Iacobum lenem moribus et

Ep. 2. ad Delphin.

amabilem, sed in vestibus Esau pilosum atque horridum ; amplexandi vero fratrem contumacem, simplici bysso et mansuetis vocibus Iacobeam innocentiam imitantem ? Fidelium itaque relationum veritati Societatis universae regimen inniti constat, magisque aptum esse atque conexum proponentium et instruentium monitis, quam supremo ipsius Praepositi generalis arbitrio ; cum hic aut nequeat aut nolit, nisi super illorum relationibus, deliberationes et consilia sua constituere ; officium suum putans parere Societatis legibus, dum imperat Societati.

Eadem nititur universae Societatis regimen.

19. Comperto igitur commodum omne vel incommodum nostrae gubernationis ab inquisitionibus rectis iniquisve pendere, ad has conficiendas probati iudicii sacerdotes et incorruptae fidei deligantur. Exclamat magnus Gregorius, et ego, una cum sancto pontifice, vocem, ut usque ab extremis terrae finibus audiatur, attollo : *Absit hoc a sacerdotali animo, ut in qualibet causa privato zelo moveatur.* Nemo sodalium mores describat, nisi prius Deum precibus consuluerit ; nemo ad gubernationem vel gradum idoneos proponat, nisi quos leto iam proximus esset designaturus. Si haec mandata Provinciales, consultores, monitoresque servaverint, pax et sanctitas nostrae familiae in tuto erunt ; nosque perpetuo professos apostolici spiritus, praesides inculpatae vitae venerabimur.

Informatorum delectus habendus,

Lib. 5. Epist. 48.

Ut, omni specie ambitus amota, sola virtus aestimetur.

20. Propterea nostri iuvenes ceterique, ubi animadverterint molem Societatis his geminis, tamquam polis, virtutibus et doctrinis circumvolvi ; exclusis patrociniis et clientelis, pro terendo tempore in circumeundis cubiculis patrocinantium, in templis assidui ac bibliothecis versabuntur, ubi propitiando precibus Deo, imbuendae scientia menti dabunt operam, non ambiendis assentatione patrum praestantioribus ; evangelicae caritatis opera frequentabunt, non supervacua salutationum officia ; Societatis leges revereri assuescent, non effata et nutus virorum auctoritate pollentium ; abiecta denique spe proficiendi per linguas aut calamos amicorum, unusquisque suis laboribus ad sapientiam, et honorem individuum sapientiae comitem enitetur. Collaudatam sacris in Canticis palmam Societas aemuletur, cuius dactyli nequaquam decidunt ad pedes palmam concutientium aut verberantium ; sed neque a viridarii praefecto illius manibus porriguntur, qui sub umbra sedens cibum ignavis blanditiis emendicat. Nempe ii solum in Redemptoris horto saecularibus pomis vescuntur, qui palmae verticem superascendunt. *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius.* Qui religiosis in saeptis per alas austerioris disciplinae Constitutionum culmen sublime conscenderit, is votorum summa potietur. Qui somniculosus et neglegens ad vestigia ligni vitae subsistet, haerebit

Cant. 7. 8.

semper ieiunus in imo abiectionis. Manifestum sit omnibus, non importunitate querelarum, non adulationum servitute, non deprecationum humilitate, sed generosis in ardua salientium nisibus obtineri medullam pomariorum Christi. Una tamen in re Provinciales, Praepositos, Rectoresque, palmae atque aliis fructuosis arboribus esse dissimiles velim ; quod hae suos fetus initio quidem pigris et oscitantibus constanter denegant, adiuncta poma mordicus retinentibus ramis ; at progressu temporis eadem suco gravia et maturata remittunt, deiciuntque super inertes otioseque in umbra arboris dormitantes. Prohibeat Deus, ne, qui prius omnes blanditias laudesque fuco oblitas fastidiose respuimus, postmodum assiduo palpo deliniti assentantium vota usque ad delicias expleamus. Nisi gravitatem huius epistolae dedecet exemplum cotidianum et vulgare, flammam imitari libeat, quae papilionis alas amburit, eam assiduo circumvolantis. Appropinquemus iis quos suus pudor aut animi demissio a congressu praesidis abstinet ; ab iis vero, quos ambitio insolenter in nostram familiaritatem immittit, recedamns. Omnibus occinatur illud : *Ego vinctus in Domino*. In religiosa familia qui praeest manibus caret, ne qua munera in immeritos conferre queat. Contra qui subest fideliterque moderatoribus paret, exerat confidenter emeritas manus, colligatque pro arbitratu fructus arborum pullulantium in hoc

Ephes. 4. 1.

mystico paradiso. Enitentem ad palmae fastigium saturitas opperitur, manentem in radicibus fames manet. *Ascendam et apprehendam.*

Discrimen inter blanditias ambitiosorum, et amorem obsequentium.

21. Ne quis tamen existimet, dum frequentiam supervacaneam officiorum reprehendo, me improbare urbanitatem illam religiosam et sanctum obsequium semper in severioris disciplinae Ordinibus usurpatum, per quod subditi suis moderatoribus reverentiae nexibus et amoris copulantur. Quin vehementer abominor arrogantiam impudentem alicuius qui se superiorem venditat rebus humanis ; immo, si Deo placet, quasi de humilitate gloriatur, dum rusticitate superba obstinatum consciscit exsilium, faciemque illius aversatur quem suum vicarium Christus et ducem in Ordinis administratione constituit. Istiusmodi fuga, cunctis virtutum magistris detestata, dilectumne discipulum Ioannem repraesentat, semper affixum lateri, aut in sinu recubantem praeceptoris ; an potius ad vivum exprimit illum reproborum antesignanum Cain, qui, terga convertens monitori suo, *egressus a facie Domini in terra profugus habitavit ?* Nemo crimen ambitionis extimescat, dum parentes colit, quae pietatis est virtus. Immane quantum discrepat benignitas caritatis a blanditiis utilitatem fenerantibus. Amor liberalis accedit ad patrem, ut consoletur sub onere curarum ingemiscentem ; astus politicus imperantem adit fictae hamo benevolentiae honores et commoda expisca-

Gen. 4. 16.

turus. Haec simulatio, ambitionis abortus, mali corvi malum ovum, damnetur et puniatur ; illum divinae caritatis filium, a sanctissimis viris praeceptum et impletum, foveamus et coronemus. Ecquod opportunius et praestabilius est vinculum, quam quo membra suo capiti astricta cohaerescunt in corpore Societatis ? Ecquae distractio exitiosa magis et mortifera, quam illa per quam cervix, ubi regimen animantis viget, a reliquo corpore abscinditur ? Coniunctissimos igitur superiores esse subditosque oportet in Societate ; quem ad modum Iesus Christus in supremo sermone mandavit Ecclesiae, ut non coniuncti modo, sed unum omnino sint pastores cum ovibus, cum praesulibus populi, duces cum viatoribus ad veram promissionis terram contendentibus : *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Io. 17. 20, 21.

22. Ita per sanctitatem finis, perque rectam instrumentorum electionem, Societatis rebus constitutis, ubique in domibus nostris disciplinae vigor, innocentia, simplicitas, zelus, paenitentia, cum studiis litterarum efflorescent. Tunc haud erit causa cur invideamus aureae decem primorum patrum aetati, aut heroicarum virtutum celsitudinem, aut manipulos conversionibus animarum graves, aut odium contemptumque humanae glo- Conclusio.

riae, aut aestimationem inaestimabilem humilitatis, aut denique incomparabile, quod universos coronavit, diadema binis clarissimis gemmis effulgens, fraterna inter se concordia atque admiranda coniunctione cum Deo. Cum post haec amplius quod vobis aut mihi augurer non habeam, finem facio, meque sacrificiis vestris et precibus commendo.

Romae, VIII. Septembris M. DC. LXVI.

Omnium in Domino servus,
IOANNES PAULUS OLIVA.

EPISTOLA
R. P.
N. MICHAELIS ANGELI TAMBURINI
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE DESIDERIO AC STUDIO
RERUM SPIRITUALIUM PROMOVENDO

Rerum spiritualium studium a Congregatione XV. commendatum,

Inter ea, quae Congregatio postrema generalis decima quinta post peractas electiones tractanda suscepit, illud in primis tum sua communis boni sollicitudine, tum multorum postulationibus excitata, sedulo examinandum sibi proposuit, num aliquid detrimenti aut passa esse videatur aut passura timeatur Societas, quoad orationem ceteramque cum Domino communicationem. Et merito

quidem illud potissimum curandum esse existimavit, a quo religiosae perfectionis conservatio et augmentum maxime pendet, et, quo neglecto, vix ac ne vix quidem a nobis arcebimus mala quae religiosam disciplinam labefactant ac perdunt. Rei gravitas postulare videbatur aliquibus, ut novis ordinationibus atque decretis exercitationum omnium spiritualium studium in nostris excitaretur. Verum, quia, praeter S. Patris N. Constitutiones, Congregationum statutis, ac Praepositorum generalium mandatis et instructionibus abundanter continentur omnia quae in hanc rem excogitari aut praescribi possunt, censuerunt plerique omnes nihil novi statuendum; sed in id incumbendum unice, ut exacte et constanter exsecutioni mandentur ea quae in maioribus nostris tam sapienter hucusque ordinata sunt et constituta.

R. A. Pater noster commendat Superioribus:

Cum itaque huiusmodi exsecutionis urgendae curam mihi commiserit universa Congregatio, enixeque commendaverit, ut in re, quae mihi maxime cordi est, muneri meo satisfaciam; non aliud possum absens, quam ut Reverentiam vestram in partem sollicitudinis meae vocem, immo ut in Reverentiam vestram sollicitudinem omnem meam isthic deponam.

1° Eam curam sui officii praecipuam existiment.

Primum omnium ergo Reverentiam vestram oro et obtestor, ut coram Deo attente perpendat id de quo dubitare minime potest, inter officii sui curas illam esse praecipuam, et ex qua unice reli-

qua bona in religiosam familiam derivari oportet ; ut in suis scilicet desiderium et studium rerum spiritualium pro viribus accendat atque promoveat.

2° Tirones rite instruant ;

2. Curandum ut ab ipso tirocinio rite instruantur iuniores, doceanturque orandi methodum ad praxim et ad spiritum Societatis accommodatam.

3° Idoneos spiritus praefectos constituant ;

3. Post noviciatum iuniores et fratres coadiutores destitui non debent in hac parte, ac sibi relinqui, ut maximo ipsorum et Societatis malo saepe fit, numquam satis deplorata superiorum incuria. Constituendi sunt idonei rerum spiritualium praefecti, quibus insistendum ne officio gravissimi sane momenti perfunctorie fungantur. Horum est praesertim in exigenda ratione conscientiae dispicere quam quisque affectus sit ad orationem, quam accuratus aut neglegens, quam recte circa illam instructus aut secus. Adhibendaque, ubi opus erit, remedia, quae, praeter decretum vicesimum quintum Congregationis VII, fuse praescribuntur in regulis Superiorum ac praefecti spiritus.

4° Rationem conscientiae diligenter exigant.

4. Exigatur diligenter conscientiae ratio, non solum statis temporibus, sed extra ordinem etiam, praesertim ab illis quos superior deprehenderit solutioris esse disciplinae ac effusos ad exteriora, adeoque indigere maiori cura moderatorum. In quo genere peccant plerique superiores immediati, qui manifestos suorum defectus corrigere vel neglegunt, vel non audent, contenti de iis certiores fecisse mediatos Superiores, vel exspectantes visi-

tationem Provincialis, ut ad eum referant subditorum errata. Haec interim invalescunt et radices agunt, ita ut nulla vi evelli possint et pravo exemplo propagentur in reliquos. Intellegant se non esse ad id constitutos, ut suorum defectus notent et ad alios referant, sed ut ipsi curent. Porro si animadvertant subditi sibi sedulo invigilari, seque a superiore vocari saepe ac paterne moneri atque instrui, vix erit ut in se reversi non resipiscant, et assiduae culturae ac labori optatus fructus non respondeat.

5. Exhortationes domesticae eo potissimum tendant, ut auditores ad orationem et ceterarum exercitationum spiritualium amorem excitentur. Lectio super mensam sit ex libris ad idem opportunis. Curetur ut tempus privatae lectioni spirituali destinatum, integrum eidem, non aliis occupationibus impendatur.

5° Curent ut exhortationes domesticae et lectiones dirigantur ad amorem rerum spiritualium;

6. Puncta seu materia meditationis apte ac diligenter proponatur, et explicetur cotidie, tum fratribus coadiutoribus, tum etiam, ubi consuetudo viget, iunioribus scholasticis. Qui ab aliis ea puncta audire non debent, privatim certe praevideant ante meditationem.

6° Puncta meditationis apte proponantur;

7. Insistatur omnino, ut omnes mature surgant, ita ut nihil de consueto orationis tempore detrahatur. Non dissimulabo hic multos, tum in aliis, tum praesertim in duabus postremis Congregationibus generalibus, in ea fuisse sententia, et pro suo

7° Omnes mature surgant;

promovendi spiritus studio acriter contendisse, ut nostri, praecipue iuniores ac fratres, simul convenirent ad orandum ; sed cum id moris in universam Societatem inducere non videretur e mente sancti fundatoris nostri, statutum est huiusmodi quidem consuetudinem, ubi iam viget, esse retinendam, permittique a me posse loco alicui vel provinciae id postulanti, sed pro tota Societate communi lege hoc praescribi non oportere. Existimatum est suppleri posse per diligentiam superiorum ; si nimirum invigilent ut excitatores et visitatores officio rite fungantur, unde constet an legitimum meditationis tempus ab omnibus impleatur. Qua occasione laudata est impense consuetudo adorandi in templo sanctissimum Sacramentum ante commune signum meditationis. Fovenda et promovenda haec consuetudo, quae inter alia bona illud habet, ut certiores faciat superiores de nostrorum diligentia in surgendo.

8° Visitationes utriusque examinis et orationis frequententur diligenter.

8. Frequententur diligenter visitationes utriusque examinis et orationis iis ad id destinatis, in quorum accuratione et fidelitate possit superior tuto conquiescere. Moneanturque serio, quanti momenti cura illis committatur, a qua scilicet rei maximae observantia pendet, ac proinde quam severam reddituri sint Deo rationem neglecti officii. Visitent non raro superiores ipsi. Intellegant tamen haec omnia fore inutilia, nisi reis, vel per se vel per visitatorem deprehensis, correctionem adhibeant ;

et qua commonitionibus, qua poenis inflictis efficiant ut omnibus constet non destituturum superiorem, donec videat emendationem.

9. Observentur haec omnia non solum in maioribus domibus ac collegiis, sed etiam in parvis. Immo quo minora sunt collegia, eo maiori commendatione indigere videntur apud immediatos superiores. Nam quae numerosiora sunt collegia, praesertim in quibus nostri scholastici educantur, suo se numero ac magnitudine satis commendant. At ubi duo vel tres iuniores magistri totidemque fratres coadiutores, saepe et ipsi recentes a tirocinio, degunt, si non invigiletur assidue ad eos in spiritu iuvandos ac promovendos, ita assuescunt liberiori modo vivendi, quem multi falso putant in parvis collegiis licere, ut vix in toto vitae cursu serio emendentur. Sciant superiores locales eiusmodi domiciliorum sibi incumbere onus supplendi in parvo suo grege subsidia illa omnia, quibus ad res spirituales procurandas maiora collegia abundare solent.

9° Haec omnia etiam in parvis collegiis servantur.

10. Quia vero, ut initio dixi, haec eo spectant, non ut nova instructio ad promovendum spiritum proponatur, sed ut alias ordinata et hic breviter indicata exsecutioni mandentur volo et iubeo, ut in posterum visitatores et Provinciales, cum de visitatis a se domiciliis de more rationem reddent, per epistolam separatam et id solum continentem ad me referant, quomodo constitutam repererint

10° Provinciales post visitationem de apreceden-tium capitum observatione referant ad Generalem.

domum quoad singula capita superius enumerata. Explicare autem potissimum debent, qualem in his aut curandis aut neglegendis deprehenderint superiorem collegii vel domus.

Nec erit apud me maioris momenti causa, vel removendi aliquem ab officio, vel numquam postea praeficiendi, quam si praecipuam hanc et numquam satis commendatam sui muneris partem neglexerit. Postremo illud monitos velim superiores omnes, sperare me satis consuluisse securitati conscientiae meae, tum his mandatis, tum praeparatione animi ad omnia remedia, quae meae potestatis erunt, adhibenda, si fideliter ad me referantur ea quae meam curam requirent. Videant ceteri superiores, an consultum putent conscientiae propriae more quem hactenus tenuerunt. Certe non ea fuit non nullorum diligentia, ut ea merito contenti esse possint. In posterum saltem, ita sibi prospiciant, praesertim in hac parte, atque pervigilent tamquam pro animabus subditorum rationem reddituri. Efficietque Reverentia Vestra, ut huius epistolae exempla ad singulos locorum superiores quam primum mittantur, iisque iniungat ut curent ea publice legi, et fratribus etiam coadiutoribus explicari.

Commendo me plurimum Reverentiae Vestrae sanctis sacrificiis et orationibus,

Romae, XVII. Novembris, M. DCC. VI.

R. V.

Servus in Christo,

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

EPISTOLA

R. P.
N. MICHAELIS ANGELI TAMBURINI

AD SUPERIORES SOCIETATIS

DE PROMOVENDA OBSERVATIONE INSTITUTI

Auxilium petit Superiorum

1. Qui me iam inde a suscepta Societatis gubernatione sollicitum habuit et crevit in dies metus ne patiatur aliquando Societas ea detrimenta quae ab imbecillitate mea merito timeri possunt, facit, ut aliunde auxilium, quod mihi semper necessarium duxi, nunc tandem apertius impensiusque petam ; praesertim ab iis quos constituit mihi Deus ministerii mei adiutores atque participes, nempe a superioribus Societatis. Alia ratione nulla melius consulere me posse iudicavi communi nostri Ordinis bono, quam si eos qui ceteris praesunt enixe excitarem ad suum munus strenue obeundum. His enim recte animatis atque ad suas partes impigre agendas comparatis, facile in alios, ut a valido et sano capite in membra reliqua, vigor ac spiritus derivabitur.

Ad promovendam observationem Instituti.

2. Cum autem ab iis opem et subsidium posco, illud eo non pertinet ut novas artes excogitent ad Societatis tuendam incolumitatem, vel etiam, ubi

res postulet, reparandam ; sed in eo solo stat ac vertitur, ut viae, quam maiores nostri duce sanctissimo fundatore alacriter aeque ac feliciter inierunt, constanter insistant ; neque illos quibus praesunt ad dexteram vel sinistram declinare patiantur, hoc est, ut eorum cura studioque legibus Instituti nostri vigor suus et observatio constet ; utque suos ad perfectionem religiosam intra praescriptos nobis fines promoveant.

Duplex Religiosis proposita lex, interna et externa.

3. Porro duplex est genus legum quae Societatis hominibus proponuntur, et quibus religiosae vitae ratio omnis perfectioque comprehenditur. Unum, quod innuit Sanctus pater Ignatius initio Constitu-

Prooem. Constitut.

tionum, est *interna illa caritatis et amoris lex, quam Sanctus Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet.* Alterum est, quicquid legum ac ordinationum scriptarum religiosa disciplina complectitur, ad mores homine religioso dignos perfecte componendos. Et primum quidem satis a me commendatum existimo, cum per epistolam omnibus communem distinctius explicavi quid a superioribus circa spiritualium rerum curam Societas exigat. Lex enim interna amoris et caritatis nullibi tutius aut facilius discitur, quam in schola spiritus ; quo spectat illa apud Oseam promissio animae seriam ad Deum conversionem meditanti facta : *Ecce ego lactabo eam ; et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Id si praesidum vigilantia et cura obtineamus, ut vigeat

Lex interna discitur in schola spiritus.

Osee 2. 14.

apud nos ac maiore semper in pretio sit haec cum Deo communicatio, per quam consuetum ac familiare nobis fiat audire quid loquatur in nobis Deus, vix alia opus erit instructione aut industria, ad eam assequendam qnae nobis proposita est virtutem ac perfectionem. Verissime enim S. Bernardus quod experientia ipse didicerat nobis testatur, de profectu animae in meditatione Deum magistrum audientis : *Vivum,* ait, *et efficax est Dei verbum ; moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam ; movit, et molivit, et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, et male sanum. Coepit quoque evellere et destruere ; aedificare et plantare ; rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare ; nec non mittere prava in directa, et aspera in vias planas ; ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.* Haec ille. Ex quibus facile intellegimus, compendiariam hanc ad virtutem viam esse, quae ad rerum spiritualium amorem nos perducit. Huiusmodi frequens et familiaris cum Deo usus, etiamsi quaelibet alia lex deficiat, exactissimae legis instar animum instituit et ad omnem virtutem fingit. In Cant. serm. 74.

4. Sed quia internum hoc magisterium Religiosis etiam hominibus interdum subtrahitur, eaque vox in eorum cordibus aliquando silet, ut de se Externae legis custos Superior :

fatetur ibidem ac deflet Bernardus ; et quia *suavis divinae providentiae dispositio suarum creaturarum cooperationem exigit*, opus est altero disciplinae tuendae ac perfectionis promovendae adminiculo, nempe certis quibusdam legibus ad religiosi cuiusvis Ordinis scopum assequendum accommodatis. Quae ne paulatim, ut fert humana condicio, neglegerentur et desuetudine tandem penitus abrogarentur, tuta fidelique custodia communiendae fuerunt, quae in moderatorum vigilantia atque accuratione consistit.

Quae quantumvis sit praestans in Societate,

5. Nunc itaque totius Societatis nomine a vobis postulo ac obtestor, ne patiamini ut incuria vestra vel pereat, vel saltem minuatur pretiosum illud depositum, vestrae curae fideique commissum. Depositum voco Institutum quo regimur, et cuius incolumitas atque custodia potissimum demandatur vobis. Quam praeclaris quamque omni ex parte absolutis legibus, religiosa haec familia, cui nomen dedimus, abundet, nihil attinet hic explicare. Nostrum neminem latet omnia tam sapienter sancteque disposita atque ordinata fuisse, ut in Instituto Societatis, licet ad eum absolutionis apicem, quem modo habemus, nondum perducto, quippiam divinum deprehenderit sapientissimus Pontifex, ac pronuntiaverit : *Spiritus Dei est hic.*

Paulus III.

Mortua est, nisi vivat obtia

6. Verum, quantacumque sit legum praestantia et dignitas, nisi accedat earum observatio,

commendabit quidem legislatoris sapientiam, ut accidit in Platonis Re publica, sed ad componendos hominum mores vim habebit nullam, qui finis est cuicumque legi praestitutus. Scitum est illud sapientum, legem scriptam inanimato corpori comparantium. Quippe lex non vivit in voluminibus; vivit in actione ac moribus subditorum; tunc vero vicissim ipsa praestantiorem vitam rependit cultoribus suis. Quem ad modum divino afflatus spiritu vir sapientissimus pronuntiavit: *Custodi legem atque consilium; erit vita animae tuae.* Superior itaque, cui disciplinae regularis custodia committitur, tunc solum se muneri suo satisfecisse arbitretur, cum leges nostras in iis quos gubernat hac vita vivere, et eos vicissim hanc a legibus nostris vitam haurire cognoverit; tunc rite illum referet ac imitabitur cuius vices gerit; qui nempe se in mundum venisse testatur, ut ii, quos regendos suscepit, *vitam habeant, et abundantius habeant.*

servatione subditorum.

Prov. 13. 21, 22.

Joan. 10. 10.

7. Iam, ut Superior caelestem hanc vitam suis impertire possit, duo quaedam adminicula et praesidia requiruntur. Primum ad mentem et cognitionem pertinet; quae nisi facem praeferat, non modo caecutiet gubernatio, sed omnino nulla erit; alterum ad voluntatem et exsecutionem spectat. Prima itaque moderatoris cura in eo versari debet, ut observet ac diligenter examinet, num in provincia vel domo cui praeest vigeat regularis

Duo Superioris adminicula necessaria: vigilantia et exsecutio.

disciplina. Et quamvis haec gubernationis pars nullius fere negotii esse videatur, cum pronum sit homini aliorum culpas animadvertere, nihilo minus experientia docet nihil facilius aut frequentius accidere, quam ut superiorem lateant culpae a suis contra legem admissae.

Vigilantiam impediunt: 1. Nimia rerum temporalium cura. 2. Privatum studium. 3. Amor quietis ac solitudinis.

8. Oritur id non raro ex eo quod superior agit omnia alia, quam quae muneris sui sunt. Vel enim rerum temporalium curae plus iusto intentus, spiritualia neglegit; vel privato alicui studio addictus, sibi vacat et libris; ac solitudinis amore captus, quid domi agatur non quaerit ipse, et eos a quibus rescire posset, tamquam importunos quosdam interpellatores repellit. In quo genere, ne tunc quidem probari potest in praesidibus desiderium solitudinis, cum illam sectantur ut liberius se tradant rerum divinarum contemplationi. *Optimam partem* elegisse merito dicta et laudata est mulier, quae constanter *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Quippe in propriae animae salutem ac perfectionem unice incumbebat. Illi vero, quibus aliorum cura committitur, diuturniori quam par est indulgere quieti prohibentur istis evangelicae parabolae verbis: *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici.* Ac ne quis putet illum tantummodo somnum damnari, quem incuria conciliat atque segnities, ne contemplationis quidem divinae iucundissimam quietem

4. Ipsa divinarum rerum contemplatio, nisi moderata sit.

Luc. 10. 39.

Matth. 13. 25.

diutius quam par erat protrahere ausi sunt aut divus Paulus, aut Moyses; licet alter in *tertium* usque *caelum raptus* fuisset, alteri copia divini vultus *facie ad faciem*, ut sacrae litterae loquuntur, fuisset facta; sed, ut observat Gregorius Magnus, *ille noverat semet ipsum contemplando transcendere, et eundem se auditoribus condescendendo temperare*; alter vero, nempe Moyses, *crebro tabernaculum intrat, et exit: et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur.* Hinc illud sancti eiusdem Doctoris monitum, *ne* scilicet, *qui aliorum curam gerit, alta petens proximorum infirma despiciat.* Pastoral. p. 2. c. 5.

9. Quod si ne propria quidem spiritualis exercitatio placere Deo potest, si superiorem abducat a cognoscendis suorum moribus, quanto aequius erit ille reprehendendus, si quis ita se tradat externorum saluti procurandae, ut ignoret interim quid agatur domi suae; quae sit in officiis pietatis alacritas et diligentia, quae modestiae, quae silentii servandi cura. Equidem non infitior, hanc a beato patre datam facultatem superiori, *ut contionari, confessiones audire, et alia Societatis ministeria exercere possit.* Sed adiecit condicionem: *cum ei per alias occupationes officii sui proprias licebit.* Quo spectare videtur illud, sacri cantici primo capite: *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.* Imprudens atque infelix censeretur oeconomus, qui, praepostera 5. Nimia iuvandi proximos sollicitudo.

Constitut. par. 9. c. 6. § 1.

quadam caritate, totus esset in aliorum vineis excolendis ; illam vero pro qua, pacto sancte inito, locavit operam suam et cuius fructus ab eo severe aliquando exigendi sunt, vel nullo modo, vel perfunctorie saltem inviseret deque illius cultura vix inquireret. Aliud certe ab ea exspectare non posset quam tribulos et spinas, summo cum rubore offerendas olim supremo vineae Domino vindemiam poscenti.

6. Effusio ad exteriora et saecularia.

10. Ex his facile perspicitur quanto minus habeat excusationis superior ille, quem ab indagandis domesticorum erratis distrahunt atque avertunt saecularia negotia, quamvis propinquorum illa sint, vel ei alia aliqua necessitate coniunctorum. Nocent haec maxime, non eo solum nomine quod, quantum temporis in externas id genus curas insumitur, tantum necesse sit proprio muneri rite obeundo subduci, sed multo magis ea de causa, quod huiusmodi occupationes, praesertim quae magni alicuius momenti censentur apud mortales, ita implent atque occupant animum, eumque totum ad sui cogitationem ita rapiunt ac veluti absorbent, ut cotidiana haec munia religiosae familiae paulatim contemnere assuescat et dedignari ; eoque res progreditur, ut cogitare de subditis iam non solum non vacet, sed neque libeat. *Nemo militans Deo*, inquit Apostolus, *implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Si ergo, quicumque stipendia

2. Ad Timoth. 2. 4.

facit in hac militia, nuntium remittere iubetur curis saecularibus, ut supremo imperatori suo se probet, quanto severius imponitur ea lex aliorum ducibus et antesignanis ?

11. Alios superiores non quidem studium privatae quietis, aut res externorum curandae, avertunt a consideratione eorum quae spectant ad munus sibi commissum ; sed potius naturalis quaedam incuria et indoles ab iis abhorrens quae sollicitudinem et molestiam creare possunt. Interdum animos adeo hic veternus et desidia occupavit, ut nec audire velint inferiores administros, dum ea deferunt quae contra regulas commissa fuerint : ne scilicet beatam illam animi tranquillitatem, seu potius soporem, interturbet vel ipsa rerum molestarum narratio, vel inde oritura parandi remedii necessitas. Huiusmodi segnitiem comitatur non raro ac fovet ingenita quaedam incogitantia ; qua fit, ut ne ad illa quidem quae ob oculos versantur animum advertant ; ei quodammodo similes, qui *apertis oculis nihil videbat.* 7. Naturalis incuria. Act. 9. 8.

12. Avertat Deus a Societate, ut inter eos, quos modo recensuimus caecutientes, numerentur non sine probro illi quorum mentibus tenebras offundit ambitio quaedam *et prudentia carnis,* quae nimium quantum *inimica est Deo* et sapientiae Sanctorum quam profitemur. Nimirum timent ne male suspicaces habeantur, et tamquam minuti 8. Humani respectus. Ad Rom. 8. 6, 7.

ac morosi homines traducantur ; vel laudem affectant animi ad maiora facti, quam ut levia haec animadvertant, vel re ipsa cotidiana errata nullius ponderis esse iudicant contemnuntque, vel multa libenter ignorant; ne, si in subiectorum vitam diligentius inquirant, reos forte deprehendant illos, quibus deinde parcere vel suaderet amor, vel cogeret timor, uterque a vera virtute alienus. Necesse non est hoc voluntariae caecitatis genus insectari, quam satis damnat non solum pernicies religiosis familiis inde creari solita, sed etiam vitiata radix unde generatur.

9. Difficultas deprehendendi errata,

13. Etsi praecipua capita indicavi, ex quibus oritur superiorum neglegentia in hac sui muneris parte adimplenda, restat unum tamen, ex quo facile constabit quantopere necessaria sit haec quam commendamus vigilantia. Est autem illud, ita ferre humanae gubernationis condicionem, ut praesides etiam vigilantissimos multa saepe lateant, quae maxime oporteret ab ipsis non ignorari. In primis enim tanta est quorundam sollertia in tegendis seu naturae seu voluntatis vitiis, ut oculatissimum quemque eludere possit et fallere. Praeterea *pravum est cor hominum et inscrutabile, quis cognoscet illud?* Et verissimum est hoc divi Gregorii monitum: *Scire etiam rector debet, quod plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur.* Hinc non facilis est negotii discernere quo quisque spiritu ducatur, et quam sincero divinae

Jer. 17. 9.

Gregor. Pastoral. p. 2. c. 9.

gloriae studio ministeria Societatis obeat. Cumque Societas curas suas et operam dividat in propriam pariter ac in proximorum culturam, quamvis concedamus difficilem non esse cognitionem eorum quae domi geruntur, negare non possumus plura accidere posse foris, quae non ita facile ad notitiam veniant; nisi eo se extendat industria et zelus, quo superioris oculus pertingere non potest.

Vincenda sedula pervestigatione, Monit. gener. n. 3.

14. Studuit quidem maiorum nostrorum sollertia praecavere huiusmodi incommoda; dum monitos voluit eos, qui domo exeuntibus socii destinantur, ubi domum redierint, significari oportere superiori, quamtumvis non exposcenti, si quid perperam actum sit; sed socii, qui tenentur hac lege, quia odiosum est vulgo delatoris nomen, ob amicitiam familiaritatemque cum eo qui deferendus esset, ob respectus alios, quibus non raro seducimur, effugia captant et excusationes, quibus eximant sese ab obligatione fidelitatis quam debent Societati. Cum ergo ex ipsa rerum condicione humanaeque providentiae imbecillitate oriatur necessitas, ut multa lateant moderatorem, utcumque perspicacem ac vigilem; quid si ad haec accedat voluntaria illa caecitas, quam reprehendimus? Certe qui hanc inscitiam amat, convincitur nihil cogitare de disciplina tuenda; eam quippe non magis curat, quam curari solent illa quae ne respicimus quidem. Vae religiosae familiae, cui tales praeficerentur!

Quae tamen non debet esse nimia.

15. Dum autem adeo enixe urgemus eos qui praesunt, ut seduli sint in subditorum indole ac moribus pernoscendis, vereor ne quis existimet postulari a me ut superior anxia quadam et quasi censoria indagatione omnia investiget ac circumspiciat. Absit ut suadere velim extrema, vel quicquid est nimium; quae tum virtutibus reliquis, tum praesertim arti regendi alios adversari nemo ignorat. Id unum quaerimus, quo iuvari possit ac perfici nostrorum gubernatio. Porro ad eam rem adeo non proficeret sollicita plus aequo et molesta investigatio, ut potius religioso paternoque regimini, quale apud nos esse decet, plurimum officeret. Nihil enim aeque avertit a praeside subditorum animos, quam si putent se sinistra apud ipsum opinione laborare; quod iis facile persuadet intenta semper in illos observatio. Vigilantiam itaque postulamus, quae nec patiatur superiorem peregrinum esse in sua domo, nec tamen importune immineat aliorum actionibus, regimenque ac disciplinam invisam reddat.

Alterum adminiculum, Superiori necessarium, est exsecutio;

16. Patet ex iis quae hactenus allata sunt, necessariam esse ad legum custodiam et incolumitatem, earum rerum notitiam quae illas labefactant. Verum liquido quoque constat hanc notitiam, si sola sit, nihil iuvare ad finem nobis praestitutum. Prima sollicitudo eorum qui corporibus medentur ea est, ut cognoscant quo genere morbi quis laboret; neque tantummodo morbum

ipsum eiusque originem et causas, sed aegri præterea naturalem corporis constitutionem, habitudinem, vires sedulo examinant; omnia denique pervestigant, unde aegritudinis naturam ac vim, quoad fieri potest, assequantur ; atque tunc demum operi manum admovent ac remedia parant. Medicum agere quicumque spiritualem praefecturam suscipit, concors est Sanctorum Patrum sententia ; nempe vicem gerit illius qui testatur se missum *sanare contritos corde.* Vidimus hactenus qua diligentia primas accurati medici partes imitari atque implere superior debeat; superest ut consideremus quam strenue curationem ipsam aggredi eum oporteat et utiliter prosequi. Quod dum agimus, nihil iam nobis cogitandum est de remediis comparandis deque praescribenda methodo, et captanda opportunitate adhibendi ea quae paravimus. Praeoccupaverunt hanc curam maiores nostri ; et post primum Societatis Parentem, omnes qui ei successerunt in illa administranda et quotquot coactae sunt Congregationes generales, tam multa nobis, tam sedulo parata et provisa exhibent, ut tempore abuti vel partas opes ignorare videretur, qui nova disciplinae nostrae praecepta excogitare vellet atque praescribere. Non aliud itaque mihi propositum est, quam ut iterum excitem Superiores ad ea in usum deducenda quae tam abunde ac sapienter ordinata sunt, quibus hucusque stetit ac

Ut medico, praeter cognitionem morbi, applicatio remediorum.

Lucae 4. 18.

Porro cum remediis abundet Societas,

Restat id unum, ut per exsecutionem applicentur.

floruit Societas stabitque in posterum, Deo aspirante, atque florebit, nisi neglegantur.

Exsecutioni adversatur omissionis vitium ;

17. Ne vero videar actum agere, dum ordinationum et legum exsecutionem et usum, totiens commendatum, iterum vobis commendo ; libet animadvertere, novis subinde incitamentis opus esse in hoc genere ; quia, quae a moderatoribus peccantur in tuenda legum integritate, pertinent ad errata illa, quae omissionis vocantur. Haec autem non prae se

Quod facile fallit ;

ferunt speciem illam impietatis, quae eminet atque exstat in commissione, qua perduellis animus contra Deum veluti foras erumpit in flagitium. Hinc facile decipiuntur incauti : cum enim omissio non alio modo peccet, quam nihil agendo ; non obicit oculis id, quo cetera peccata conscientiam terrent.

Eo maius est, quo maius bonum cui adversatur,

Verum, si rem metiri volumus ea regula, quam tradit Philosophus ; nempe malum eo esse gravius, quo maius est bonum cui opponitur ; facile intellegemus, quid de omissionibus suis iudicare debeant superiores. Bonum, cui adversatur et cui molitur exitium omissio, de qua loquimur, est Societas, qualem a sanctissimo fundatore constitutam accepimus ; qualem maiores nostri labore, industria, virtute conservarunt et auxerunt, auctamque nobis tradiderunt. Ordo scilicet eo consilio institutus, ut Christi Religionem, pietatem morum, vitae sanctitatem, ubique terrarum propagaret. Unde pronum est conicere, qualem esse illum oporteat, ex quo tantum boni fluere in

omnem partem debeat. Huius porro praestantiam fusius explicare nec est nostrum, nec apud vos necessarium, qui Societatem penitus nostis.

Et solum sufficit ad labefactandum Societatis aedificium,

18. Ad hanc vero a suo statu deiciendam, et in eum deducendam locum ut a pristina virtute degeneret ac, spiritualis expers roboris atque infatuato sali similis, amittat vim divinitus inditam ad afferendam proximorum animabus salutem, nequaquam opus est ut qui praesunt deterioribus exemplis aut consiliis virtutem subditorum labefactent; satis superque est ut, immemores officii, remittant vigilantiam, corrigere, adhortari, admonere desinant. Quantumvis Rector privato studio pietatem colat, dummodo cesset eam in aliis fovere, actum est de regulari disciplina, ruitura paulatim, nisi constanter sustentetur ac reparetur. Dum lustramus aliquando tot sacras ac profanas moles, quas hic suspicimus et advenae passim contemplantur ac stupent, occurrit ea cogitatio: quo demum impulsu, quibus machinis aut cuniculis subrui posse credimus tam operosa aedificia? *In pigritiis*, ait Sapiens, *humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.* Cesset paterfamilias sarta tecta curare, stillicidio ac levi trabium vitio prospicere atque occurrere neglegat: sic habeto, paulo quidem lentiorem, sed non minus certam inde ruinam imminere, quam si vel terrae motu vel alluvione subverteretur domus. Ponamus ob oculos

Eccli. 20 18.

magnificentissimas aedes in acervum lapidum per solam incuriam redactas; inde referamus animum ad Societatem incuria nostra similiter (quod omen superi avertant) perituram. Perseverat adhuc in ea, Dei beneficio, primaevus spiritus; viget domesticus ordo et regularum observatio; ac si quid a recto tramite subinde deflectit, praesto adest qui commonstret viam nec longius errare permittat. Fervet etiamnum ardor cooperandi Deo ad salutem animarum; resonat adhuc et avide excipitur illa Ignatii vox: *Ite, incendite omnia et inflammate.* Hinc tantus est concursus Indicas Missiones etiam laboriosiores ambientium, ut, in iucundissima tot competitorum contentione, unica mihi sit molestia, quod plurium votis facere satis nequeam. Nulla est Europae provincia, quam excursionibus fere perpetuis nostri non excolant. Passim, praeter consueta et publica Societatis ministeria, per Exercitiorum spiritualium auctum in dies usum, omnium ordinum cives ad sanctiorem vitam promoventur.

Etiamnum firmum,

19. Huius aedificii firmitatem ac speciem dum contemplor, mihi videor intueri domum illam quam aedificavit Salomon nomini Domini; cum nostra quoque nomen Domini prae se ferat, et celebrando spargendoque per orbem terrarum nomini Domini nata atque instituta sit. Quod ipsum videtur hebraeo principi fuisse propositum, ut ipsemet profitetur: *Ut sciant omnes populi terrae*

Instar templi Salomonis;

2. Paral 6. 33.

nomen tuum, et timeant te. Fateor tamen, admirationi et gaudio, quo mecum id reputans suavissime afficior, parem mihi timorem ac sollicitudinem incuti, cogitanti tantum boni quam levi negotio eripi nobis possit atque deperdi. Non dubito quin vos pariter tangat hic metus; cum mihi ac vobis communis sit obligatio Societatis conservandae, nihilque facilius sit quam ut mea vestrave culpa praeclarum illud aedificium, divina fabricatum eductumque manu, vitium sensim faciat, ac tristi demum ruina collabatur. Si patiamur rerum spiritualium amorem paulatim intepescere, et ea neglegamus quae anno elapso in memoriam omnibus revocavi, fatiscet statim operosa moles, solventur ea vincula, quibus eius partes inter se colligantur, tota demum contignatio humiliabitur. Dicam apertius: nostrorum animus ab interiore virtutis solidae studio ad externarum occupationum illecebras defluet, in illis totus, in se Deoque parcus et infrequens; detrectabunt plerique laboriosa Societatis ministeria et defugient; implicabunt se negotiis profanis; aures pascent suas et alienas rumorum inanium curiosis nugis; rarus erit de rebus divinis sermo, de quibus tamen agere nos diligenter domi forisque postulat ratio Instituti nostri.

Sed praesidum neglegentia facile ruiturum,

In primis per rerum spiritualium incuriam,

20. Ab huiusmodi cordis dissipatione, alienoque a spiritualibus cogitationibus animo, duo consequi necesse est: alterum, ut domi taedio sit

Quam sequitur taedium vitae domesticae

religiosa inter nos consuetudo, atque intolerabile evadat disciplinae iugum, cui levando iam nobis non adest illa divini spiritus et amoris unctio, a qua una suave reddi potest; alterum, ut apud externos se prodat huiusmodi languor ac penuria virtutis, et obsolescat existimatio illa apostolici spiritus, qua Societatis ministeria tantopere indigent, et qua ornari ad divinam gloriam illi dumtaxat solent, de quibus id praedicari vere possit: *Vos de mundo non estis.* Quod de rerum spiritualium neglectu, id de ceteris ad regularem observantiam spectantibus dictum intellegamus; discamusque a sola cessatione et incuria religiosis coetibus vulnera imminere, numquam, si semel inflicta fuerint, sanabilia. Certe Deus apud Ezechielem detestaturus peccata, quibus divinam indignationem provocaverat populus, non huic, sed populi rectoribus intentat minas: *Vae*, inquit, *pastoribus Israel.* Et postquam alia eorum vitia reprehendit, sistit tandem in officii praetermissi peccatis, tamquam in praecipua malorum causa: *Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis.* Prosequitur fusius dissipationem erroresque gregis ac ruinam, *eo quod*, ait, *non esset pastor.* Et quod mirum videri potest, populo ipsi, a lege iustitiaque tam miserabiliter aberranti, adeo non iratum se

Et scandalum externorum,

Ioan. 15. 19.

Damno numquam reparabili, at Superioribus imputando.

Ezech. 34. 2.

Ibid. 4.

Ibid. 5.

praebet, ut potius spondeat se fore in posterum pastorem eius atque custodem, eiusque saluti et incolumitati consulturum. Ut intellegamus detestabiliorem esse Deo praesidum neglegentiam quam subditorum flagitia : quippe dum his misericordiam pollicetur, illis vindictam et poenam indicit.

Huiusmodi omissionis causa multiplex :

21. Sed hic mirari subit, qua ratione possit fieri, ut inter domorum nostrarum Rectores et Praepositos Provinciarum, viros scilicet, quos ad regendi munus religio non ante deligit quam de illorum virtute ceterisque ad id necessariis dotibus satis constiterit, non nulli tamen reperiantur, quos suorum errata non infrequentia vel nihil commovent, vel ita leviter, ut non excitentur ad indagandas quibus emendentur vias, neque tam perniciosum torporem discutiat vel damni, religiosae familiae per eorum neglegentiam importandi, gravitas, vel artissima suscepti muneris obligatio, vel ipsius Dei, eorum desidiam saepe tam acriter obiurgantis, minae. Haec, inquam, admiranti quaedam in mentem venerunt, quae obstare ut plurimum solent ne superior ea qua oportet sedulitate disciplinam promoveat. Investiganda haec paulo diligentius ac detegenda, ne pergant incogitantem quempiam decipere, dum latent.

1. Levium culparum contemptus

22. Primum illud est, quod sibi falso in animum inducunt non nulli (quae persuasio semper damnabitur, sed malo nostro semper retinebitur), parvas esse vixque dignas animadversione culpas,

quae passim obrepunt in regulis infrigendis; hinc contemnendum potius quam sollicite curandum id quod et levis momenti malum esse creditur, et inter homines vitari vix potest. Quantam afferat religiosis praesertim coetibus perniciem haec opinio, nihil est quod pluribus verbis ostendamus, siquidem hoc non religiosae solum, sed christianae disciplinae effatum longe est certissimum, ac sanctorum sapientumque omnium testimonio comprobatum : cavendum esse a culpis, quae parvitate sua decipiunt, et ad gravissima saepe mala incautos trahunt. Multi sunt in hac doctrina asserenda confirmandaque Sancti Patres et spiritualis vitae ac perfectionis magistri. Praeivit omnibus
Eccli. 19. 1. Sapiens celebri monito : *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ita prorsus est : leves noxae parvitate sua contemnuntur, ac inobservatae subeunt animum ; hic, horrore deposito, cum iis familiaritatem init ; donec auctae numero et gravitate (cum ea sit peccati vis et indoles, ut ad deteriora semper disponat et impellat) vires sumant, quibus pietatem omnem superent et exstinguant. Praesertim cum divina praesidia sensim destituant hominem, qui virtutem favore Dei partam adeo neglegenter custodit. Si rem speculative, ut loquuntur, consideres, omnes id sibi persuasum esse fatebuntur ; si multorum agendi modum animadvertas, contra omnino eos sentire pro certo habebis ; adeo neglegunt omnia, nisi culpae

gravitas insolita specie territos tandem officii commoneat. Quotquot audistis religiosorum hominum familias, olim virtute ac sanctitate florentes, ita defecisse, ut aliquando Ecclesia illas exstinguere quam tolerare maluerit, qua via putatis eo fuisse deductas, ut earum interitus deplorari quidem, non item reparari potuerit ? Non a gravioribus delictis initium sumpsit earum clades ; nec enim potuisset tam eximia virtus prolabi ad immane vitiorum barathrum, a quo tam longe disiuncta erat, nisi viam ei paulatim stravissent delicta, quae levitatis fallaci specie, quasi per insidias, in scelerum taetram voraginem perducunt. Audiamus, quo luctu Ieremias, eorum coetuum personam et vices assumens, conqueratur : *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari ? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Aquas infideles vocat, quae, ut supra diximus, levibus stillis influentes obruunt aedificia ; vel quae vix operire videntur superficiem soli, at si quis imprudens per eas gradiatur, deceptum se misere sentit atque demergitur. Quot huiusmodi infideles aquae religiosis moderatoribus insidias parant ! Quid levius videatur quam regulae silentii violatio ? Si tamen contemnatur, eo devenitur, ut religiosam domum a saeculari vix discernas. Inde, quo magis serpit confabulandi licentia et familiaris congressus, cuius voluptas homini est innata, quippe qui,

Ier. 15 18.

Exempli causa, violationis regulae silentii.

teste Philosopho, *animal sociale est*, eo magis languescit amor secessus ac solitudinis, gravis fit et molestus studii labor, intepescit orandi fervor, exolescit quicquid suavitatis ante percipiebatur ex rebus ad coniunctionem animae cum Deo, et ad proprium atque aliorum spiritualem profectum spectantibus. Et quia *in multiloquio non deerit peccatum*, quid exspectandum a frequentibus collocutionibus, quam frequentes lapsus ? Inter quos ille tolerabilior censeri potest, de quo tamen reddendam esse rationem edixit Christus, loquor de verbo otioso ; tolerabilior, inquam, si comparetur cum querelis, dicteriis, murmurationibus, quibus laeditur caritas, et utinam non aliquando gravius quam sibi non nulli persuadent ! si cum curiosis vanisque narrationibus eorum, quae foris accidunt, quibus saeculi pravae leges ac profana placita et affectiones sensim irrepunt in animam, rerumque terrenarum tumultu internum hominis statum perturbant, ac spiritum opprimunt. Nimius essem, si omnia quae a neglecta silentii custodia nascuntur incommoda enumerare vellem. Inter quae non levis momenti est detrimentum existimationis apud externos, qui claustra regularium ingressi, dum religiosos observant libere colloquentes, offendi maxime solent et inde ferre sententiam de reliqua disciplina. Haec attigi, ut exemplo unius, quae minutissima videtur, regulae constet quam perperam contemnantur

Prov. 10. 19.

Matth. 12. 36.

errata eo nomine quod exigua vulgo iudicentur; atque ut inde intellegamus, si legis unius contemptus tot minatur damna, quid futurum sit, quanta pernicies oritura, si plurium simul regularum, utcumque levium, violatio impune abeat, ita ut iam videri possit licitum id quod passim videt superior et tacet? Ut insistamus exemplo non semel indicato: minime tutam, sed potius ruinae proximam iure dixeris domum, in quam per rimas exiguas quidem, sed innumeras, se penetrant aquae, nec est qui manum apponat, ut vel tot aditus obstruat, vel alio vim aquarum derivet. Detecto hoc mendacio aquarum infidelium, detractoque fallaci tectorio ruinam tegente, quam parva vitia moliuntur sanctitati familiae nobis creditae, nostrum est ita vigilare, ut non fiat *dolor noster perpetuus, et plaga nostra desperabilis ita ut renuat curari.*

2. Earundem excusatio.

23. Quid autem, si res eo progrederetur, ut legum aperta labes non levis iam, sed nulla prorsus culpa videretur? Loquor de illis superioribus qui nati videntur *ad excusandas excusationes in peccatis*; adeo, quicquid agunt subditi, his iudicibus innocenter agunt. Solutior incessus et impatiens atque incompositus agendi modus, quantumvis modestiae leges reclament, impetus vividae indolis est et alacritas animi; loquendi facilitas, quae ab aliis etiam carpendis non abstineat, sinceritas est; huius contentiones, quibus manifeste

Psal. 140. 4.

caritas fraterna laeditur, excusat naturae ardor quidam, rationis vocem et imperium praevertens: illius cura, licet immodica, propriae commoditatis, non sine periculo ne exemplum trahat alios ad similia appetenda, unde tollatur communitas et aequalitas quae eiusdem familiae membra maxime conservat et continet, condonanda est valetudini non ita firmae atque ideo pluribus indigenti. Hoc eodem praetextu tegitur surgendi neglegentia; quae utinam in causa non sit, cur contrahatur meditatio, vel tota penitus omittatur. Cumque alia non suppetit excusandi leniendique delicti ratio, ad mentem delinquentis recurritur; et quem defendendum suscepimus, errasse quidem fatemur, sed specie recti deceptum veniam mereri. Haec facilitas in elevandis aliorum culpis sua non careat laude in privatis hominibus; tribuaturque caritati, quam benignam esse et non cogitare malum tradidit
1. Cor. 13. 4. Paulus; quaeque, ut apostolus alter testatur,
1. Petr. 4. 8. *operit multitudinem peccatorum*; in superiore, nisi intra suos limites contineatur huiusmodi caritas, verissimum erit odium communis boni. Mentem arcanam operantis iudicat Deus; opus externum diiudicare tenetur qui aliis praeest, et ubi deflectat a lege, redigere in ordinem. Secus, experietur vitia tam praeposterae pietatis fomento invalescere in dies, et in se merito convenire minas, quibus ferit Deus per prophetam molles
Ezech. 13. 18. huiusmodi animos: *Vae, qui consuunt pulvillos*

sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis. Quod dictum in rem nostram sic interpretatur Gregorius Magnus: *Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas, atque in huius mundi se dilectione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitum, vel cervicalibus caput iacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter iaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat.* Pastoral. p. 2. c. 8.

24. Longe maior est eorum numerus qui suorum errata probe sciunt, ingenue fatentur, nonnumquam etiam deplorant; verum, cum agitur de correctione efficacius adhibenda, tergiversantur, torpent; uno verbo, nihil agunt. Causa tam perniciosi torporis est multiplex metus, quo nullus infensior hostis religiosae disciplinae; deicit enim unicum aggerem quo inhibetur peccandi licentia, nempe superioris auctoritatem. Quid eiusmodi metum incutiat superioribus non intellego, cum in regimine Societatis videri merito possit vix relictum esse locum timori. Non enim futura superioris sors a subditorum arbitrio pendet; ac si penderet, periculum illud, ne quis ob aliorum offensionem loco caderet, superioribus nostris non esset formidandum; ubi praefecturas, sollicitudinis unice ac laboris feraces, nullus ambit, 3. Metus ex varia causa.

detrectant plurimi. Nihilo minus, cum praeter modo commemoratam aliae fingi possint timoris causae, non erit inutile illas attingere ac detegere, ne quemquam decipiant; praesertim cum homines ita sint a natura comparati, ut, qui gravium malorum metu vacant, levium quandoque formidine obruantur.

In primis ne turbetur pax domestica.

25. Prima quae meticulosos decipit cogitatio illa est, ne, si frequenter in regulae violatae reos animadvertatur, vel reprehensionibus, vel etiam poenis, turbetur quies domestica, in qua gubernationis suae felicitatem omnem constituunt; atque hinc maxime cavent, ne detur occasio murmurationum et querelarum, in quas facile erumpunt qui ob inflictam poenam exacerbato sunt animo; praecipue cum inopia virtutis, qua proni sunt ad lapsum, efficiat impatientes correctionis. Augetur maiorem in modum formido, si forte in acrioris naturae subditos incidat: his enimvero nihil non permittitur, ne forte durius, ut merentur, tractati, peiora tentent, captent sibi patronos, et, cum rei aguntur, actoris atque accusatoris partes sibi adversus suum ipsum iudicem arrogent. Interim qui libertatem affectant, dum ita meticulose secum agi deprehendunt, periculum est ne audaciores facti grassentur in regulas, quas earum custos, proprio metu debellatus, reliquit indefensas. Qui vero compescendis primo erumpentibus noxis impar fuit, qua ratione cum adultis iam et confirmatis congredi audebit?

26. In his angustiis deprehensi consilium ineunt aliqui, quod rarissimum esse scio, sed non dissimulandum, quia religiosae familiae perdendae idoneum. Timent sibi hinc a delinquentibus, quos lacessere periculosum putant; timent inde propriae existimationi, cui non leviter detractum iri non ignorant, patefacta tandem eorum inbecillitate. Ut malo utrique obviam eant, regularum labes, quas prohibere timor non permittit, occultare ac tegere pro viribus student. Si quis domesticorum, desiderio boni communis ductus, ea quae peccari ab aliis animadvertit, ad superiorem defert, adeo frigide excipitur, ut satis intellegat nolle Superiorem excitari a somno cui se tradidit, et quo sponte devinctus tenetur. Vel, si delatio attentius excipitur, statim audias excusari ac elevari culpam, aut, praetextu privatae correctionis adhibendae vel adhibitae, certam delinquentis paenitentiam et emendationem promitti. Cavent praecipue huius indolis praesides a publicis reprehensionibus publicisque poenis infligendis. Nimirum id esset facto ipso confiteri in collegio aut domo quam regunt aliquid peccari contra leges: hoc autem est quod omnibus occultum volunt. Quid si res eo procederet, ut male haberentur illi quos suspicio esset deferre ad superiores remotiores, quae, licet cura indigeant, a praesente superiore negleguntnr? De hoc argumento quia scripsit olim ad totam Societatem unus e decessoribus

4. Occultatio erratorum,

Ne timidi Superioris arguatur imbecillitas.

Huius occultationis funestae sequelae;

meis, agere supersedeo. Sufficiat indicasse, ut omnibus in memoriam revocetur, quod ille fusius explicavit, quanta scilicet ex hoc funesto fonte nascerentur incommoda, nempe non leviora quam quae imminent corpori, quotiens praecluditur mutua inter caput et membra communicatio.

Praesertim si reus vicissim insectetur accusantem ;

27. Quod hic addam, scio longe abesse a moribus Societatis, addam tamen, ut a nobis semper quam longissime absit. Et quidem eiusmodi est, ut detectum statim turpitudine sua percellat oculos, et animos horrore atque odio perfundat. Loquor de arte illa, etiam apud saeculi homines detestabili, cum reus illum, a quo se detegi accusarique suspicatur, insectatur acriter et vicissim accusat et eius elevet auctoritatem et fidem illi abroget. Verum in hoc non immoror, quod inter incredibilia numerandum iure puto. Illud humanum magis et eiusmodi, ut in usum et mores aliquando posse cadere merito censeatur ; cum subditorum pars una cum timido moderatore conspirat in tegendis erratis, sive illos antiqua consuetudo, sive patriae vel gentis conexio, sive indolis similitudo, sive tandem libertatis amor copulaverit. Tunc si quis, vel officii religione, vel pietate in communitatem permotus, ea quae perperam aguntur, ad eos qui periclitanti disciplinae possunt occurrere, fideliter referat ; monitus, et attentius invigilare iussus proximus superior, quid non movet, ut quaerat patrocinium noxis quas

Aut si pars subditorum cum timido Superiore conspiret, et mediatos praesides in errorem inducat.

oppugnare debuerat? Suffultus multiplici testimonio asseclarum suorum, delata partim negat, partim excusat; partim refundit in suspiciones et insomnia delatorum, quos vel nimis credulos, vel imprudenti ac praecipiti zelo abreptos, vel forte livore aliquo impulsos, vidisse ait visiones falsas, quibus sese aliosque in errorem inducerent. Quid igitur, si superior vel absens legat in epistolis, vel praesens audiat haec pugnantia testimonia? Quid consilii capiet, inter ambages asserentium et negantium constitutus? Neutram partem damnare audet; dumque anceps et incertus fluctuat, cogitur culpas, utpote dubias neque satis probatas, impunitas relinquere, et quasi obtenta victoria liberius dominaturas. Animadvertat, si quis umquam religionis perniciem his artibus moliretur, superiorem, quia homo est, haerere posse, circumveniri ac decipi posse; at Deum, cuius agitur causa, non irrideri. Querebar aliquando de Rectoribus, qui manifesta suorum errata corrigere vel neglegunt vel non audent, contenti de iis certiores fecisse remotos superiores, vel ad id exspectantes visitationem Provincialis. Leve istuc et aequo animo ferendum videbitur, si comparetur cum istorum superiorum culpa, qui, excusandis aut dissimulandis reorum delictis, eos et suae et aliorum correctioni subtrahunt. Hos tam exitialis fuci artifices alloqui videtur redemptor, dum minatur: *Vae vobis: quia similes estis sepulcris dealbatis,* Matth. 23. 27.

quae aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum.

5. Praetextus lenitatis.

28. Quamvis hac Christi sententia non eam solam damnari putem dissimulationem, quam hactenus redarguimus. Crediderim illos etiam reprehendi, qui remissionem in gubernando lenitatis ac suavitatis titulo cohonestant. Qua fortasse nulla frequentior ac periculosior origo laxamenti in religiosis Ordinibus. Decipit enim primo, specie quadam prudentiae ac moderationis, quae suadeat adhibenda quidem esse remedia, quae tamen sanent, non quae exasperent morbos. Tegit se larva pietatis; cum praecipiat Apostolus: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Prae se fert humilitatem caritatemque erga proximum, in quem, licet reum, non acriter insurgit; sed modeste rogat potius quam arguat. Uno verbo, virtutes omnes complecti videtur, quae religioso, hoc est paterno regimini congruunt. Cavendum tamen ne nobis imponat tam blandus et pellax virtutis aspectus. Si quam obtendimus lenitatem suasit caritas, et propositum parendi Christo praecipienti: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, pergamus ex infinitae sapientiae praescripto subditos regere. Si enim caritas et mansuetudo quam profitemur, Christi caritas est et mansuetudo, foras mittet timorem, non aget perperam; Magdalenam et pu-

Ad Gal. 6. 1.

Matth. 11. 29.

blicanos vere paenitentes amanter excipiet; pervicaces et sacra profanis miscentes, obiurgationibus et flagellis etiam, si opus sit, castigatos abiciet. Numquam cum delictis pacem inibit; ea constanter insectabitur et nullibi patietur consistere.

Quae sit vera mansuetudo,

29. Nolim itaque a quopiam existimari, velle me ut, ablegata prorsus mansuetudine, uni sit rigori ac severitati locus. Lenitatem damno quam suggerit timor aliaeque humanae affectiones, non quam recta ratio et consilium praescribit. Ut ergo superior facile discernat utram reicere debeat, utram amplecti possit lenitatem, duo animadvertat necesse est; alterum, an sua illa mansuetudine atque pietate id assequatur, ut subditi virtuti studeant et perfectioni, ac saluti proximorum strenue consulant; alterum, an ita sit animo comparatus, ut, si deprehenderit lenitate nihil obtineri, austeriorem inire curandi methodum, reluctante licet aegro, non formidaret. Haec duo si, tam in commissa sibi familia quam in se ipso, experiatur sentiatque moderator, salva res est. Sive enim miti pacatoque regendi modo efficiet, ut omnia domi forisque ex Instituti norma administrentur; tunc nihil excogitari poterit felicius eo regimine, in quo solus regnabit atque omnia gubernabit amor; neque enim alia est condicio ipsius regni beatitudinis, ubi non alia quam caritatis lex imperat. Sive interdum severius agendum erit; tunc paulo quidem gravius exsistet atque molestius

et subditi et ipsi moderatori regendi onus; sed huiusmodi gubernationi non deerit solida illa et germana felicitas, quae non in quavis iucunditate vel indolentia, verum in eo sita est, ut Rector Deo ac suo muneri satisfaciat; subditi vero ad perfectionem promoveantur per legum observationem, quae una rei publicae cuiusque felicitatem constituit. Nec aliud praescripsit Societatis praesidibus S. P. Ignatius, cuius est ea lex: *In correctionibus est advertendum. quod prima in caritate ac dulcedine, qui peccant, sunt admonendi.* Spiritus itaque Societatis adeo non excludit suavitatem, ut ei principem locum tribuat, dummodo eius indoles ea sit quam hucusque descripsimus.

Constitut. p. 3. c. 1.

Quae falsa, et noxia.

30. Si vero mansuetudinis nostrae auctor est metus displicendi hominibus, vel quietis amittendae, larvam deponat: non est qualem se simulat, nec ea quam Apostolus et ipse redemptor praescripsit. Pusilli animi vitium potius est, ac remissio eo perniciosior familiae Religiosae, quo cautius venenum celat et suavius componit. Hinc blandiri sibi audias mitissimi huius ingenii praesides, quod collegio cui praesunt pacem conciliaverint et constantem servent. Verum inde pax oritur, quod delinquentes nemo correctione aut poenis exagitet perturbetve. Si non alia est nostrae lenitatis et quietis condicio ac radix, illud ominari licet religiosis coetibus ubi tam placida lege vivitur, quod accidere solet agris quibus caelum

arridet semper, modo serenitate, modo tempestivis ac placidis imbribus, nullo praeterea aratro eos proscindente, nulla salubri et amica manu lolium et spinas evellente. Quaero quem speremus fructum a solo cui tanta caeli et hominum indulgentia blandiatur? Tribulos dabit et urticas, serpentum erit et sordidorum insectorum receptaculum. Non aliter evenit animis gubernantium cultura destitutis, et nimia suavitate sibi vivere sibique indulgere permissis; nec aliud ab iis exspectandum quam copiosa vitiorum seges. Non melior fuit animorum quam agrorum condicio post primi hominis lapsum; dum status innocentiae floruit, inerat utrisque virtus proferendi fructus naturae suae congruentes; terra sponte ac uberrime fructus suos produxit; post culpam, nihil profert, nisi *in sudore vultus* suorum cultorum. Decreto eodem, homo, qui primum creatus est rectus, post lapsum, *in malum pronus est ab adulescentia sua.* Cum itaque totus naturae impetus feratur ad vetita, cum omnia ad noxiam libertatem alliciant ac propellant, omnia propemodum retrahant a virtute, utpote ardua summeque difficili; putabimus, ad exstirpanda vitia virtutemque inserendam animo ac roborandam, nullo sudore, nullo negotio opus esse; sed suavem quandam et minime incommodam culturam sufficere? Non ea certe fuit Sanctorum Patrum sententia, apud quos nulla frequentior insectatio quam adversus remissum

Genes 8. 21.

et enervem gubernandi modum. Inter quos egregie
S. Cypr. de Laps. S. Cyprianus: *Qui peccantem,* inquit, *blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit, fratrem promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo et castigo. Sic oportet et Dei sacerdotem, non obsequiis adulantibos fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat.* Haec ille. Quibus si accedant ea quae paulo ante notavimus, de paterna et minime fucata lenitate, exsistet illud lenium et asperiorum temperamentum, quo nihil hominibus regendis accommodatius.

6. Timor incurrendi notam nimiae severitatis.

31. Video tamen quid adhuc incutere terrorem possit aliquibus, atque utinam paucis! Notam formidant nimiae severitatis. Quantumvis enim moderatus sit rigor, illum delicati homines impatienter ferunt. Timent itaque ne, si frequenter molestiam subditis creent per crebras admonitiones et correctiones, non desint queruli qui murmurationibus domum impleant, forte intra domestica saepta non se continente strepitu. Timent ne fama per provinciam spargatur, collegium perturbari, Rectorem intractabilem novitates ac reformationes moliri. Et, quod plerosque maxime commovere

solet, in medium affertur exemplum ceterorum per provinciam praesidum; laudatur comitas et urbanitas qua cum subditis agunt; caritas celebratur qua humanae infirmitati compatiuntur, procul a scrupulis ac leviorum rerum odiosa molestaque sollicitudine ; inde mutuus superiorem inter et subditos amor, dum hi non secus ac patrem amant, a quo se paterne haberi et instar filiorum amari non dubitant. Mirum quantum haec comparatio exanimet superiores, quibus alioqui zelus inest ac studium communis boni. Cum enim homines ab aliis probari ac diligi natura cupiant, arduum est illis ea sectari et amplecti quae omnibus insito huic desiderio adversantur. Accedit ad malorum cumulum quod deferantur quandoque subditorum querelae ad superiores, ut loquuntur, mediatos ; ac si forte contingat ut delatorum numerus et auctoritas pondus addat accusationi, pronum est ut superior absens, nube testium obrutus deceptusque, praesidem immediatum, si reum non pronuntiet, saltem omnino non absolvat et aliquid veri subesse suspicetur, ac eius agendi modum in dubium revocare incipiat. Quod si obtinuerint hi qui severitatem omnem proscriptam volunt, hoc iis sufficit ad metum excutiendum ; nimirum vident delationibus timidiorem fieri posse superiorem.

Huic timori remedium.

32. Huic ego non aliud cogitandum aut dicendum propono quam praeclara illa et Christi

Ad Gal. 1. 10. spiritu dignissima Apostoli verba : *An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quibus verbis ita sententiam suam explicat Paulus, ut indignari videatur si quis dubitet an, qui servum Christi se profitetur, sollicitus esse debeat de mortalium opinione aut benevolentia ; cum id extra dubitationem positum esse oporteat, debeatque omnibus constare, non posse placere hominibus eum qui Christi causam strenue constanterque agit ; et Christi causam strenue constanterque agenti nullo modo curandum esse an hominibus placeat. Cum itaque non cum religiosis viris utcumque, sed cum his qui religiosis ceteris praesunt mihi sermo sit, de vobis longe infra meritum me sentire arbitrarer, si, proposita vobis optione, Deone an hominibus placere ac probari velitis, dubitarem fieri posse, ut maior vobis et potior cura sit hominibus placendi quam Deo. Quicquid igitur vobis pro disciplinae sapienti custodia stantibus obiciatur, sive nimii rigoris nota, sive alienae benevolentiae iactura, sive sinistra per provinciam fama, sive praeiudicium aliquod apud superiores vel nimis credulos vel deceptos, illud unum obversetur animo, quod primum omnium propositum esse debet, propriam alienamque perfectionem quaerenti, humana omnia, ubi divinis obstant rationibus, contemnenda. Una hac responsione vobis et aliis quibuscumque faciendum satis : *An quaero*

hominibus placere ? Sed praeter excellentiorem hanc viam, quam nobis demonstrat Apostolus, alia inferius attingam, quae satis ostendant quam parvi pendenda sint inania haec terriculamenta.

Excitant Superiorem ad tuendam disciplinam ;

33. Postquam enim exposuimus multiplicem difficultatem, et obices qui obstare solent rectae gubernationi ac terrorem incutere, supersunt ea indicanda quae ad illam strenue capessendam excitare possunt et animare. Et primo quidem occurrit necessitas imposita moderatori, ea superandi quae obiciuntur impedimenta. Necessitas enim, eadem vi qua redigit animum ad angustias, eum se ipso maiorem quodammodo facit et robustiorem ; dum cogit ad vires omnes exerendas ut eluctetur. Hinc existimavit ille posse excitari milites ad acriter pugnandum, ea voce quae alioqui desperationi proxima videbatur : *Aut vincendum, aut moriendum.* Quae vero sit haec necessitas de qua loquimur, facile constat ex dictis. Aut satisfaciendum est muneri ea quam diximus accuratione, aut praevaricatoris noxa incurrenda est, et quidem in re gravissima. Statuite, quod res est, religionis nostrae fortunam, ut ita dicam, conservationem, incrementum, rationem denique omnem vobis commissam, a vestra fidelitate ac vigilantia unice dependere et quicquid in ea sanctum ac pretiosum est, non alios habere patronos aut defensores quam superiores, quos *constituit Dominus super familiam suam ;* indeque colligite

1. Necessitas vitandi noxam praevaricatoris,

Matth. 24. 45.

Dei indignationem, quid oneris susceperitis. Certe illa verborum severitas, qua saepe Deus animarum custodes compellat : *Super pastores iratus est furor meus ;* Zachar. 10. 3. Ezech. 3. 20. *Sanguinem eius de manu tua requiram*, aliaque non pauca eodem tendentia, quanto sanos praesides afficiant metu, eorum omnium loco declarat S. Gregorius, dum ait: *Penset, qui ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quia quot regendis subditis praeest, reddendae apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet.* Moral. lib. 24. c. ult.

Et gravissima damna imminentia Neque Dei minas aut Sanctorum terrores inanes iudicabit, quicumque serio adiciet animum ad ea mala expendenda, quibus ianuam aperit praeses in legum tutela meticulosus aut neglegens. Quocumque tandem ex praedictis modis in hoc peccetur, perinde est fere : sive defectu vigilantiae, sive noxiae quietis ac pacis studio, sive importuna culparum excusatione, sive levium contemptu, sive inconsulta lenitate ac mansuetudine, sive inani formidine studiove placendi hominibus impunitatem obtineant vel extorqueant osores disciplinae, actum est de religiosa familia. Nemo nos seducat inanibus verbis. Christianam religiosamque perfectionem in sui abnegatione consistere, immo crucem ipsam esse, diserte redemptor pronuntiavit ; hinc omnium calculo approbata est ea vox : *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Hinc fit, ut regularum observatio, qua

Tum singulis subditis, quos remissio ad laxitatem invitat ;

De Imit. Christi l. 1. c. 25.

nobis ipsis libertatem circumscribimus, sine vi quadam reluctanti naturae illata obtineri non possit. Fit praeterea, ut contra nos, dum virtute potiri contendimus, omnia, ut ita dicam, insurgant. Praeter enim communem salutis nostrae hostem, qui nobis perdendis numquam non studet, praeter saeculi illecebras et pravorum exempla, quae ad laxiorem vitam sensim alliciunt, intra nos fovemus domesticos atque adeo magis infensos hostes, concupiscentias, *quae militant adversus animam*, 1. Petr. 2. 11. atque innatum amorem libertatis, qui legum frena impatienter tolerat et excutere nititur. Dum itaque tot externi internique adversarii in id unum conspirant, ut vel aperta vi vel per insidias virtutem exscindant, quae victoriae spes relinquitur, si quis, in medio discrimine, ducis et moderatoris sui praesidio destituatur ? Timendum est ne, qui propriis viribus diffidens religiosae militiae nomen dedit, ut tutius decertaret, se a ductore suo desertum videns, det manus et ad hostes deficiat.

34. Atque utinam experientia non doceret cotidie, ubi impune peccatur crescere in dies peccandi licentiam, et ita propagari roburque sumere a delinquentium multitudine atque frequentia, ut, quae primum timide ac furtim obrepsit, non palam ac libere dominetur, et conatus omnes ei frenandae adhibitos vel superet vel contemnat. Insita homini proclivitas ad libertatem facile persuadet, ea licere ac permitti quae nemo punit aut repre- Tum toti communitati in qua paulatim collabitur disciplina,

hendit. Ubi hac persuasione abusus invaluit, amittit culpa paulatim speciem illam turpitudinis, qua solet religiosos homines a se deterrere et avertere. Dempta vitii imagine, abusus ille, sensim inductus et admissus, incipit usus esse, et consuetudinis nomine ac privilegio gaudere. Inde fit, ut illi etiam qui antea religiosius leges observabant, ceterorum more vivere sensim assuescant, vel sociorum seducti exemplo, vel deposito, ut dixi, horrore quo prius absterrebantur, cum culpas iam domesticas videant et familiares ; vel ad vitandam notam singularitatis, si morem retineant alienum iam a communi vivendi consuetudine. Accidit praeterea, ut liberiores inductam licentiam, exemplo semper, interdum etiam verbo, ceteris suadeant, parati eius defensionem suscipere, ne intra regularum angustias iterum redigantur. Rebus eo deductis, ineat praefecturam praeses, cui recta ratio et conscientia dictet curandum omnino ut abusus tollantur reddaturque pristino splendori regularis disciplina ; inveniet primo non nullos, dum monentur, mirari quod ab illis ea exigantur de quibus nec ipsi nec alii hactenus cogitaverant. Si pergat officio strenue fungi, audiet, quod superius etiam innuebam, induci novitates, onera imponi subditis inaudita, turbari pacem domesticam importuna severitate, averti a superiore omnium animos ; nihil boni sperari iam posse, frigescente caritate, solutaque consensione inter

Vix umquam deinceps reparanda ;

caput et membra, qua una stat et continetur religiosa gubernatio. Difficultatem operis quod aggressus est deprehendens superior, dubius et anceps librare incipiet hinc solutae disciplinae damna, inde perturbatae communitatis pericula ; dumque utrum praeponderet decidere vix potest, id sine dubio consilii capiet, quod in ambiguis praevalere consuevit : eliget quod facilius est, permittet ut res inceptum cursum teneant. Hinc, si detrimenta sub antecessorum regimine tantum virium acceperunt, ut novus superior ad illa expugnanda non audeat aggredi et cedendum putet, annon, postquam novi triennii possessione fuerint confirmata, industriam omnem et conatum facilius eludent ? armatis praesertim ad eorum defensionem tot humanis rationibus, quot supra memoravimus. Itaque nisi quis se ipsum decipere ac propriae neglegentiae adulari velit, fateri oportet, hac via facillime deveniri ad desperationem reparandae umquam disciplinae semel deperditae. Tritum est illud S. Bernardi effatum, qui audiens refloruisse alicubi regularem observationem quae ante deciderat, ita invitabat socios ad mutationem portento similem intuendam : *Eamus ad videndam visionem hanc magnam.* Quippe usu didicerat, vix citra miraculum accidere posse ut collapsa semel disciplina reparetur. Fallitur neglegens moderator, dum sibi persuadet a se non aliud aut maius inferri damnum religiosae familiae cui

praeest, quam illud quod ipse praefecturae suae spatio permittit. Malum invehit ad totam posteritatem manaturum. Nimirum deturbat regulas possessione quam obtinuerant, firmatque laxitatis dominium, nullis postea viribus abrogandum. Hinc intellegere licet, quantum noceat remissa gubernatio, etiam aetate ac virtute provectis. Multo perniciosior evaderet iis qui religiosam vitam recens inchoarunt. Quod ideo addendum, ne umquam elanguescat sollicitum illud studium, quo semper usa est Societas in iuniorum educatione. *Proverbium est,* inquit Sapiens: *Adulescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Pertinet haec admonitio praecipue quidem ad illos qui tirociniis quive universitatibus praesunt. Sed cum ubique fere scholas regant iuniores magistri, omnes fere Societatis superiores admonet hoc oraculum. Quaedam sunt ad virtutem spectantia, quibus si a prima aetate non assuescas, vix umquam accidit ut, cum accedet aetas, colantur; quaedam ad vitium pertinentia, quae imitantur aetatem unaque cum illa incrementum capiunt. Hinc, nisi tironum animus, curis omnibus vacuus, divinarum rerum meditationi se totum tradiderit, qua ratione sperari potest ut huic studio addicatur serio, cum mentem occupabunt litterarum studia, eamque a solitudine ac recessu avellent ministeria Societatis, ac ipsa pro Deo suscepta alienae salutis procuratio ? Si tum, cum aetas

Tum speciatim iunioribus, quos tanta sollicitudine educat Societas.

Prov. 22, 6.

immatura et primum inchoata vitae religiosae rudimenta, humilitatem, silentium, modestiam suadent, non levia tamen vel elationis, vel indolis a disciplinae iugo et ab interioris hominis cultura abhorrentis indicia se produnt ; quid erit, cum ab aetate, doctrina, rerumque gestarum meritis non parum auctoritatis accesserit ? Ideo, nisi Societatem recens ingressi rerum spiritualium amorem penitus concipiant, humanarum rerum ac fastus omnis contemptu imbuantur, affectus omnes moderari ac linguam cohibere assuescant, et oculos, incessum, actus denique externos omnes ad religiosae modestiae leges componere, numquam obtinebit Societas ab adultis, quod in iunioribus neglexit superioris incuria. Immo deteriores habebit aetate provectos, quos in adulescentia ad perfectionem naviter institutos non habuerit. Porro ad avertendum a Societate hoc malum maxima opus esse sollertia et industria, solus dubitabit, qui ignorat parvum errorem in principio fere non emendari in progressu, sed ad peiora sensim deducere. Ex his omnibus patere existimo necessitatem nobis impositam invigilandi conandique pro viribus, ne intepescat in Societate studium perfectionis per Instituti nostri observationem adipiscendae. Quem efficacissimum esse stimulum ad superiores animandos et excitandos merito diximus.

35. Accedit aliud, et maximi quidem momenti 2. Regularum

vigor in Societate,

ad metum omnem depellendum ac fiduciam augendam, nempe, moderatores Societatis praeesse communitati, in qua viget adhuc, qui Dei favor est, et dominatur legum auctoritas. Inscitiae quidem esset et arrogantiae, asserere nihil umquam peccari contra Societatis regulas, cum vel iustum septies cadere in die omnes cum Propheta fateantur. Verum, argumentum religionis a primaevo spiritu nondum lapsae non illud est, si nihil in ea correctione dignum eveniat ; sed illud, ut, si quid humanitus accidat, non respuat correctionem, dummodo illam adhibere non omittat superior.

Numquam interruptus,

Non ea est nostri Ordinis condicio, ut, si quis peccanti revocet in memoriam vel minutissima, quae sanctus fundator nascenti Societati servanda proposuit ac sanxit, aut alii apud nos legislatores addiderunt, respondere ille audeat, ea iam obsoleta in desuetudinem abiisse. Intellegunt omnes, constare vim integram legibus illis omnibus quae statis temporibus denuntiantur super mensam ; nec esse in iis iota unum aut unum apicem, quem praeterire pati debeat Societas. Sciunt, cuiusvis vel minimae ordinationis legitimum vindicem esse superiorem ; ipsum de violatione poenas exigentem non modo iure agere, sed reum ac praevaricatorem fore, si secus fecerit. Novit ipse qui praeest, si forte (quod Deus avertat) aliquem refractarium offenderet, non passuros mediatos superiores ut impune abiret ; paratos tum legis tum praesidis

A mediatis Superioribus assertus,

reverentiam et auctoritatem tueri. Hoc vero est religionem, instituti sui tenacem, iis legibus vivere ac regi quas a conditore suo primum accepit, atque adeo a via quam ab exordio suo inivit non deflexisse. Quae cum ita sint, non potest nisi vana formidine deterreri a custodienda disciplina superior, tot tantisque ad eam tuendam praesidiis munitus. Clamant in eius favorem leges nostrae omnes, nulla desuetudine silere iussae aut suppressae. Iuvat possessio numquam interrupta observationis vel servatae a subditis, vel a praesidibus assertae ac defensae. Praesto adest auxiliaris superiorum manus, ubi res ac necessitas postulat. Quid plura? Non deerit ipsum delinquentis suffragium. Nam qui regulas violat, furtim id facit fugitque, quoad potest, superiorum oculos; quo fatetur, si deprehendatur, plecti se iure posse ac debere. Itaque cui, nisi propriae neglegentiae ac socordiae imputabimus, si dominari licentiam legesque de possessione deturbari permittimus? Accedit patrocinium, quod aequissimae causae suscipient probi omnes quibus maxime cordi est religionis utilitas et incrementum, quam et maiorem et saniorem esse subditorum partem nemo non videt. Laudabunt mediati superiores a se delectum spei de se datae respondisse, et gravissimi muneris partibus sedulo perfunctum. Delinquentes ipsi, ubi cognoverint serio constanterque rem agi, in se tandem reversi et ad meliorem frugem

Et ab ipsis delinquentibus agnitus.

redacti, eum probabunt ac diligent qui a miserrima servitute asseruit ipsos in libertatem filiorum Dei. Ita brevem perturbationem, si constans fuerit Rectoris fortitudo, excipiet quies et laus perpetuo duratura.

3. Dei praesens auxilium,

36. Sed, quod caput est, aderit Deus iustissimam causam tuentibus, quod supremum atque firmissimum esse debet superioris solacium et incitamentum. Ea consideratione ad obeundum fortiter impositum munus accendebat iudices a se constitu-

2. Paral. 19. 6.

tos sanctus ille rex Iosaphat: *Non enim*, aiebat, *hominis exercetis iudicium, sed Domini.* Hac verissima cognitione armatos non video quid terrere possit, immo quid excitare non debeat: causam Dei

Curam poscentis, non curationem.

propugnamus. Vel ille optatum eventum dabit conatibus nostris, tumque, sive humanas sive divinas rationes spectemus, voti compotes erimus; vel, ipso permittente, labori non respondebit fructus, tumque salva nihilo minus nobis res erit. Solabitur nos testimonium conscientiae nostrae, quod officio non defuerimus; et, quod est omnium instar, certa nobis stabit laus et merces apud Deum, qui non eventu, prout homines solent, sed voluntate nostra res metitur. Uno verbo: dicemus quidem, non sine

Luc. 17. 10.

aliquo pudore: *servi inutiles sumus*, quia frustra laboravimus; addemus tamen cum fiducia: *quod debuimus facere, fecimus.* Ipsi viderint, qui conatus nostros, aeternum illis bonum allaturos, irritos esse maximo suo malo voluerunt.

37. Sed quia, secundum superiores quos hic maxime alloquimur, conferre plurimum possunt ad tuendum Instituti vigorem et ad ipsos superiores animandos eorumque industriae maximam vim addendam, illi e nostris qui aetate, doctrina, ceterisque dotibus quibus conciliari auctoritas solet, inter reliquos eminent, ipsos vehementer hortor ut, ad conservandam inter eos quibuscum degunt disciplinae religiosae sanctitatem, utantur illa auctoritate qua ceteris praestant. Quicumque Societati nomen dedimus, aliorum salutem procurandam suscepimus ; huius autem spiritualis auxilii praestandi obligatione multo artius astringimur erga domesticos, quos idem sanctioris vitae institutum nobis coniunxit, et quorum in spiritu profectum commendatum nobis omnibus voluit S. Ignatius. Tenemur omnes curare integritatem ac robur corporis cuius membra sumus ; praestare, praeter fidelitatem, gratum animum atque amorem, quem iure postulat a nobis Societas, tot nominibus, quot vix ulla mater a filiis postulare posset. Vestrum est itaque pro superioris mandatis ac ordinationibus stare, inferiorum querelas et murmurationes compescere, confugientes ad vos contra illius agendi modum solari quidem, ne in desperationem acti peiora meditentur, sed attente considerandum qua ratione oporteat consolationem afferre. Nam proclive est ut, dum aliorum dolori obsequimur, eorum sensibus et affectionibus im-

Graviorum Patrum obligatio tuendi auctoritatem Superiorum.

Exam. c. 4. § 7 et 8. Reg. 9. et 10. Summ.

buamur, unaque cum illis damnemus id quo se laesos a superiore arbitrantur. Quasi via facillima ad aegri dolorem leniendum esset ei assentiri, ac fateri eum indigna atque iniusta pati. Breve minimeque legitimum hoc solacii genus id efficeret, ut, imminuta apud subditos moderatoris existimatione, cresceret peccantium audacia, cum causam viderent gravium virorum suffragio sibi adiudicatam. Multo magis, si suffragio adderetur promissum et re ipsa susceptum patrocinium, creareturque superiori molestia, vel importunis deprecationibus, vel delatione apud mediatos Superiores. Quantum animi inde accederet subdito tot praesidiis vallato, tantum minueretur fiduciae ac potestatis Rectori omni ope destituto, et, quod inde consequitur, tantum detrimenti inferretur disciplinae et gubernationi. Incumbat oportet totum pondus auctoritatis non ad deprimendam, sed ad confirmandam regularum et Rectorum reverentiam. Afflictis et ad nos confugientibus proponatur solidum illud solacium, quod a divinis rationibus ac principiis petitur ; doceanturque veram animi tranquillitatem non aliunde oriri posse quam ab affectionum moderatione constantique virtutis studio. Hinc fiet ut queruli et impatientes disciplinae, humani patrocinii saluberrima desperatione, ad saniora consilia redeant, ac Deum unice quaerere et sequi oboedientiae ductum apud se statuant. Haec eo attentius per-

pendenda, quo facilius seducimur commiseratione erga afflictos opem nostram implorantes, quoque avidius captare solent plerique auram et plausum patrocinantis, unde quaerunt existimationem beneficentiae et auctoritatis.

Obligatio Provincialium.

38. Quod hic privatis hominibus tantopere commendamus, ut superiorum cuiusque loci potestatem tueantur ac roborent, multo magis cordi esse oportet iis qui Provinciis praesunt. Iniungitur id eis disertis verbis vigesima octava inter officii sui regulas : *Tueatur*, ait, *auctoritatem superiorum immediatorum in subditos.* Et, ut regulae sileant, manifesta ratio id suadet. Molesta sunt et naturae minime consentanea, quae perpetuo exigere debet immediatus praeses ; eius tamen praescripto, quod legitimum sciunt, vix adversari audeant subditi, quam diu ab eo pendere debent. At si aeque legitima et maiore alioqui Provincialis auctoritate se tueri possint, ad eam libenter confugient : sic enim, ex una parte, immediati superioris oboedientiae se subtrahunt, ex alia vero parte, tuta id conscientia se putant agere, cum apud competentem iudicem causa pendeat. Praesertim cum longe minoris difficultatis sit regi ab absente, quem multa semper latent, quam a praesente, qui omnia intuetur et libertatem affectantibus perpetuo imminet. Cavendum itaque summopere Provincialibus, ne, dum praesidis immediati iurisdictionem turbant ac enervant, onus

in se suscipiant reddendi Deo rationem culparum omnium quas ille sibi relictus emendasset. Non ideo tamen eos immemores velim eorum quae in indicata superius regula adduntur : *Ita tamen*, inquit, *ut constet posse omnes ad mediatos recurrere.* Immo sanctum hoc esse oportet in Societate, cum fieri possit ut iustam conquerendi causam habeant subditi, postuletque iustitia et caritas ut audiantur ; exaudiendi, cum opus erit ; vel saltem solacio et paterno affectu erigendi, ac opportunis monitis ad frugem reducendi.

Modus tuendae disciplinae praesidis prudentiae relinquendus ;

39. Cum multa hactenus dicta sint, e quibus colligitur quam necessaria sit moderatorum vigilantia et firmitas in conservanda disciplina et legibus custodiendis, res postulare videretur ut modum et rationem id exsequendi proponeremus. Verum satis declaravi superius illud non esse mihi propositum, ut remedia praescriberem ad curandos animi morbos, cum id ab aliis provide et abunde praestitum sit. Addendum est modo, neque definiri posse quaenam ex paratis remediis seligenda potissimum sint et adhibenda. Infinitum id esset, ac impossibile. Quam in rem audire non pigeat Gregorium Magnum, ita admonentem : *Non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit ; saepe namque aliis officiunt, quae aliis prosunt. Quia et plerumque herbae, quae haec animalia enutriunt, alia occidunt : et levis*

sibilus equos mitigat, catulos instigat: et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit : et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pergit explicare quam varia sint hominum ingenia, propensiones, affectus ; quam diligenter dispiciendum quid cuique conveniat, et curandum ut opportuna et profutura cuilibet applicentur. Quae omnia aeque fuse ac sapienter prosecutus, totam tertiam partem operis " de Pastorali Cura „ inscripti in hoc argumento posuit. Quibus aperte conficitur, tum remedii delectum, tum genus curationis prudentiae ac peritiae medentis esse reliquendum. Qui cum solus multiplicem personarum et eventuum condicionem cognoscat, quid agendum in singulis solus assequitur.

Modo curam et correctionem numquam omittat,

40. Illud unice petimus, ut superior numquam sibi commissorum curam deserat, numquam eratorum quae in dies occurrunt omittat correctionem. Utrum pro re nata mitioribus utendum remediis, an asperiora tentanda sint, ipse dispiciat. A primis tamen incipiendum communiter sibi persuadeat, ut ex sancti fundatoris mente superius monui. Poenae formido incussa est homini in subsidium et quasi supplementum, cum ille non ducitur honestate per legem proposita ; quare postrema est machina, quam movere nos oportet, cum cetera non proficiunt. Dei et virtutis amor excellentior est via qua deduci religiosos homines

praestat. Nec aliud dictat paterna quam profitemur gubernandi ratio, et quam praescripsit nobis in singulis fere Constitutionum partibus Sanctus Pater Ignatius: *ut in spiritu amoris, et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est.* Hac via si nihil proficitur, alia tenenda, prout res feret. Unum arbitrio nostro non relinquitur, quod est desperare et curam abicere. Eo consilio non vos ceteris praefecit Societas, ut, post habitam qualemcumque vigilantiam et curam, desistatis ab incepto, emendentur necne errata parum solliciti. Diligentiam postulat numquam interruptam, nullis difficultatibus fractam, rei bene et ex praescripto legum gerendae constanter intentam. Cuius specimen expressit Apostolus paucis illis verbis, hominem graphice repraesentantibus nihil non tentantem ut suos Christo lucrifaciat: *Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina;* et paulo post: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple.* Hanc qui sibi praefixerit regulam, sollicite observabit malorum initia, nec decipietur dolosa culparum levitate; sed in minutarum legum violatione, in exiguis altercationibus, in quorundam facilitate in loquendo et carpendo, et id genus aliis, deprehendet, tamquam in semine, graviores abusus et licentiam, quam nec ipse nec successores evellent

Constitut. p. 6, c. 1. § 1. etc.

Nullis difficultatibus cedat,

2. Timoth. 4. 2.

umquam, si semel adoleverit. Ideo nec adhortationibus, nec obsecrationibus, nec increpationibus parcet ; nec importunus audire formidabit, ne cogatur aliquando queri cum Propheta : *Vae mihi, quia tacui.* Isa. 6. 5.

41. Super omnia id cavebit ut abusus, antequam suboriantur, caute praevideat praeveniatque. Multi sunt qui, ubi lapsus detexerint, zelo commoti in reos acrius invehuntur, omnia implent querelis et tragoedias excitant. Et recte quidem, si quod detestantur malum emendare ac tollere utiliter curent. Sed vellem ut multo sapientius multoque salubrius vim exsererent in malis ipsis praeoccupandis et velut in radice supprimendis. Non est sapientis medici, si imminentem antevertere possit, aegritudinem exspectare ; quae cum advenerit, certa est tum morbi tum ipsius curae molestia et periculum, incertus autem curationis eventus. In muneribus dividendis, in locis ac ministeriis cuique destinandis, praesertim cum extra religiosa saepta degendum et agendum cum externis, dispicere oportet quam par oneri ac discrimini censeri possit cuiuslibet virtus. Quae si succumbat, primam ac praecipuam animadversionem promeritus est superior, qui praecipiti delectu personae suo muneri tam male consuluit. Qui vel ex lapidibus aedificia, vel ex ligno machinas componunt, non temere lapidem quemvis aut truncum, prout sors tulerit, admovent operi. Sed vel

Et abusus, antequam suboriantur, caute praeveniat.

singulis partibus aptum seligunt, vel, si opus est, ita perpoliunt et formant, ut reliquis quibus copulandus est apte cohaereat. Secus, vel ruinam aedificii loco moliuntur, vel saltem opus incompositum intuentium ludibrio exponunt. Mirum, vel deplorandum potius, cum omnes qui ceteris artibus dant operam, toti sint in praecavendo ne quid perfectionis desit operi quod meditantur, in gubernatione, quam artem artium merito sapientes dicunt, quosdam casu ac turbide procedere, de commisso sibi aeque gravi ac difficili munere raro ac leviter cogitare, inque personarum et officiorum dispositione non aliunde quam ex re nata aut ex aliqua necessitate consilium capere. Neque ita difficile est malorum initia dignoscere, si quis paulo diligentius familiae sibi concreditae invigilare eiusque prospicere indemnitati voluerit. Prodit se singulorum indoles et propensio, monetque superiorem quid a quolibet exspectare debeat. Erumpunt aemulationum et contentionum semina, quae facile statim exstirpare possis. Apparent principia nimiae familiaritatis et privatae amicitiae, quibus si tempestive non occurras, perturbabitur aliquando communis animorum coniunctio et caritas. Longum esset ac supervacaneum omnia recensere. Numquam tamen supervacaneum putet, qui curam aliorum gerit, singula secum meditari, et omnia circumspicere quae ad servandam Socie-

tatis integritatem impedimento aut adiumento esse possunt ; ut ab illis caveant, his utatur ad suorum profectum, existimetque nihil esse maioris momenti ad rectam administrationem hac sollertia in praeveniendis erratis. Utile est enim religiosae gubernationi noxas, postquam admissae fuerint, emendare ; sed longe utilius ac felicius est communitatem ab illis, antequam committantur, immunem praestare. Illud enim cum molestia et periculo coniunctum est, ut modo dicebam ; hoc innocentiae statum integerrima sanitate fruentem repraesentat. Ideo sapientissimus nostri Ordinis institutor : *Antevertere*, inquit *oportet tentationes, adhibitis earum contrariis.* Ars huiusmodi prospiciendi in futurum, regimen vestrum quam fieri potest simillimum reddet providentissimae Dei gubernationi ; qui, omnia prospiciens, omnia suaviter simul ac efficaciter ad praestitutos fines disponit ac perducit.

Constitut. p. 3. c. 1 §. 13.

42. Haec quae de superioribus peculiaris cuiusvis loci fere dicta videbuntur, ad se quoque spectare non dubitent ii qui provincias regunt. Ad eos cum dispositio personarum pertineat et officiorum quae praecipua sunt in collegiis ac domibus, constat quam accuratos esse oporteat in ea gubernationis parte, quae circa providentiam, cautionem, et diligentiam in avertendis quae timeri possunt detrimentis versatur. Universe vero, quo latius patet eorum auctoritas et potestas, eo

Hactenus dicta pertinent etiam ad Provinciales,

plus prodesse aut nocere possunt, prout solliciti vel desides fuerint. Et ne dicta repetamus, intellegant sibi potiore quodam iure denuntiata, quaecumque de necessitate disciplinae tuendae hucusque observavimus. Neque existiment conscientiae suae eo satis consultum, quod impositos collegiis habeant aptos superiores et administros, nisi experientia certo didicerint illos re ipsa spei respondere ac officii partes explere. Deprehendent id potissimum in domiciliorum visitatione. Quae cum praecipua sit eorum muneris pars, animadvertant, si in illa perfunctorie se gerant, se reos fore praevaricationis quam adeo formidandam esse superioribus satis monuimus. Properant aliqui ac visitationem angusto paucorum dierum spatio circumscriptam volunt. Ex eo tam exiguo tempore multum saepe detrahunt colloquia cum externis, quae vel urbanitas vel necessitas suadet. Multum sibi vindicant litterae aliunde missae, atque alio mittendae. Interim subditi, quibus erat in votis Provincialis praesentia, audiri vellent per otium, accepturi solacium ac remedium quod speraverant. Petit res domestica, litteraria et spiritualis, diligens et accuratum examen ; et secundum hoc, postulat seriam deliberationem, ut, si quid erratum esse deprehenditur, corrigendi in posterum ratio praescribatur, non ad speciem et pompam, sed efficax et duratura. Inter pugnantes invicem relationes indagare oportebit utri parti

Praesertim in visitatione diligenter instituenda.

credendum Nec mediocrem vigilantiam exigit fucata non numquam pax et animorum consensio inter domesticos, uno ore celebrantes legum observationem quæ domi floret ; accurata et sollers circumspectio dignoscet absintne revera, an dissimulentur culpae. Omnia haec, ut per se liquet, nec primo intuitu perspiciuntur nec levi cura et sollicitudine componi possunt. Moram postulant et multiplicem inspectionem atque consultationem, quam certe non permittit mensura temporis exigua, et quae desiderio discedendi potius quam rerum necessitati accommodata sit. Perpendant, quaeso, caput decimum quartum regularum Provincialis, quod totum est de visitatione, et videant qua ratione tot tantique momenti disquisitiones atque industriae, quae illis iniunguntur, cursim et, ut ita dicam, tumultuaria opera perfici possint. Foret inutilis hoc modo peracta visitatio. Non inutilis tantum, sed noxia evaderet, si, sociis non omnino inter se consentientibus, in alterutram partem plus iusto propenderet, qui aequus arbiter et concordiae sequester esse debuerat. Hic certe non conciliator pacis, sed belli potius concitator haberetur, magis exacerbata parte cui non favisset. Praesertim si in suspicionem veniret plus dedisse privatae amicitiae, aliisque respectibus, quam aequitati et meritis causae. Omitto nimiam lenitatem et metum, qui hominem faciunt studiosiorem tegendi maculas quam deter-

gendi ; de his enim satis actum superius. Si, quod avertat Deus, tales essent Provincialium lustrationes, id efficerent, ut morbus incrementum caperet unde remedium petebatur, proindeque vix quicquam spei reliquum esset restituendae sanitatis.

De subditorum emendatione numquam desperandum.

43. Illud commune sit tam his qui provincias, quam iis qui domos gubernant ; ut si forte illa quam exigimus diligentia usi, aliquem inveniant minus docilem aut monitis resistentem ; non ideo de illius emendatione desperent. Nihil hac desperatione deterius. In primis enim Rectorem ipsum desidem reddit : quis enim conatum adhibet, quem irritum fore sibi persuadet ? Reum vero sibi relictum, nullo ad resurgendum incitamento erectum, perdit. Apte S. Chrysostomus ad spem numquam abiciendam, et curam eorum etiam qui correctione non proficiunt, adhortatur animarum pastores hoc exemplo ; *An non vides*, inquit, *parentes, quomodo filiis suis, licet de vita desperatis, assideant lacrimantes, lamentantes, exosculantes, omnia quæ possunt admoventes, ad supremum usque halitum. Haec tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lacrimis et lamentis morbum depellere, aut mortem imminentem abigere : tu vero frequenter poteris animam deploratam, assiduitate instantiaque per lamenta revocare ac suscitare.* Quod si nusquam permittit caritas ut animum quis despon-

De Laz. cont. I.

deat, multo minus id tolerari posset in Societate, ubi tot suppetunt adiumenta ad mores reformandos, ut, etiamsi quis resistere possit singulis, omnibus vel pluribus opportune adhibitis cedere cogatur ; dummodo superior, taedio vel impatientia victus, resistenti non cedat ; sed imitetur Dei patientiam, longanimitatem, benignitatem, quae, teste Apostolo, *ad poenitentiam adducit*. Merebitur hoc studium iuvandi fratres nostros, ut Deus ipse vires addat aemulatoribus longanimitatis, quam exemplo suo commendavit, et victoriam concedat, quae praemium esse solet constantis et paternae caritatis numquam deserentis filios, quantumvis degeneres. Sin aliquando eveniat ut delinquentis pervicacia superiores conatum omnem atque industriam frustretur, erit certe, ut diximus, in tuto merces nostra apud Deum, cui tandem uni huiusmodi labor impenditur.

Ad Rom. 2. 4.

44. Gravissimum illis onus imponi quibus aliorum gubernatio committitur, ex iis omnibus quae dicta sunt satis constare arbitror ; atque adeo quid ab iis requiratur. Quanta scilicet illos esse oporteat sapientia, quam solida religione ac virtute, quanta animi fortitudine constantiaque, ut pares sint tam arduae provinciae sine suo atque aliorum periculo administrandae. Unde intellegant velim ii omnes quorum est, aptos ad praefecturas proponere Praeposito Generali, quam sancte teneantur ad illos nominandos quos vere idoneos

Fidelitas in proponendis candidatis ad regimen, quam necessaria.

in Domino iudicaverint. Videant an in tanti ponderis deliberatione habenda sit ratio amicitiae, an dandum aliquid deprecationi aut alicuius id postulantis auctoritati, an acquiescendum sit carni et sanguini ferendumque suffragium prout suaserit patriae aut nationis amor, an in consilium vocandae sint aliae humanae rationes atque respectus ; an informationes ab his tantum capiendae quos favere candidato et optima quaeque de ipso pronuntiaturos certo praesumitur. An vero unice attendendum sit Dei obsequium et Societatis utilitas. Exstant hac de re saluberrima antecessorum meorum monita ; quare non est cur diutius in hoc moremur. Tantum res ferebat, ut moneremus eum qui praeficiendos proponit, non debere a se alienam putare obligationem gravem atque multiplicem qua superiores astringi vidimus. Quicquid enim peccabit parum idoneus moderator, illum constituet reum, qui infideli suffragatione tantum intulerit omnibus damni.

Maxima utilitas accuratae gubernationis,

45. Ut ad ipsos redeam ad quos dirigitur haec epistola, postremum quod eos monitos velim, hoc esto. Proposui quantum detrimenti passura esset Societas a neglegenti ac remissa gubernatione. Non omittendum nunc quantum utilitatis consecutura sit ex vestra in legibus custodiendis vigilantia et sollicitudine. Verbo rem absolvam. Quam diu vestro studio stabit Instituti nostri observatio, tam diu florebit in hominibus Societatis

perfectio et virtus, quam idem praescribit continetque; vigebit assiduus in divina gloria promovenda nostrorum conatus ; et, quod inde consequitur, accedet communis utilitas et plurimorum salus nostris laboribus parta. Haec aliaque id genus innumera, tum ad nostros tum ad externos pertinentia religionis incrementa, fructus erunt vestrae in regendo industriae ac laboris; et quidem non exiguo huius vitae spatio circumscripti, sed perennaturi in perpetuas aeternitates. Unde immensus vestris apud Deum meritis accedet cumulus. Neque acriorem stimulum adhiberi posse puto hominibus, quorum laboribus in gubernando susceptis et nostri Instituti ratio et propria ipsorum virtus non aliud praemium quam divinum propositum esse voluit.

Ad quam conspirent cum Superioribus subditi.

46. Reliquum est ut subditi, dum intellegunt quam grave ac periculosum onus sustineant hi qui praesunt, docilitate ac parendi alacritate illud levius ac suavius efficere impense studeant. Dumque corripi se ac libertatem sibi quandoque circumscribi sentient, non id immiti superioris ingenio, vel minus benevolo erga se animo ascribant; sed sibi persuadeant eum, vel invitum, religione ac necessitate ad id cogi. Hac membrorum cum capite consensione ad eundem religiose virtutis scopum fiet ut, quod ait Apostolus, sit *unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae,* quae per legum nostra-

Ad Ephes. 4,4.

rum custodiam ad sanctitatem et tandem ad aeternam beatitudinem nos invitat ac dirigit.

Romae XV. Decembris, M. DCC. VII.

Omnium Servus in Christo
MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

EPISTOLA

R. P. N. ALOYSII CENTURIONI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE SPIRITU NOSTRAE VOCATIONIS

Ob oculos ponendus spiritus Vocationis nostrae,

1. Statim atque imbecillis humeris meis gravissimum totius administrandae Societatis onus divinae bonitati imponere placuit, cum illa animum subiisset cogitatio, quantum muneris suscepissem, non potui quin, intimo animi ipsius sensu permotus, Patribus Congregationis generalis palam atque aperte profiterer, probe nosse me, quantum quisque ex Societate nostra et sibi et proximis deberet suis, me, inquam, unum in memet ipso recipere. Illud enim ab iis, qui hoc in munere aliis praesunt, requiritur atque adeo exigitur, ut non solum integrum totum sodalitatis corpus vegetumque conservent, sed etiam in singulis fervorem ac ministeriorum nostrorum spiritum excitent,

quo omnes et Constitutionibus nostris pareant et, quod propriae vocationis ratio postulat, exsequantur. Optassem utique ut mihi singulos coram alloquendi data potestas foret, quo melius iniuncti mihi muneris partes implere possem, atque ita ferventiores excitare, incitare remissos, omnibus stimulos addere ; ut, quoad eius fieri potest, et celsissimo vocationis nostrae fini, et maiorum nostrorum exemplis, et exspectationi quam Deus atque homines de nostrae Societatis alumnis summam habent respondere conentur. Quoniam vero id mihi concessum non fuit, ut praesens praesentes convenirem, nolui omittere haec ad vos scribere atque ita praesentiam ipsam hisce litteris supplere et aliqua saltem ex parte compensare. Primum igitur patres omnes ac fratres Societatis sincerae caritatis sinu complector ; tum singulos oro obtestorque ut sublimis vocationis suae, ad quam a Deo electi sunt, recordentur, serioque in conspectu Domini perpendant utrum illi, prout uniuscuiusque gradus postulat, eo quo decet spiritu, sincero nempe, fervido, impigro ac numquam cessante respondeant ; qui quidem spiritus propriae atque expressior nostrae vocationis nota et character est. Scio utique Societatem, divina favente bonitate, magna huiusmodi operariorum copia florere ; sed cum numerus sociorum adeo excrescat, est sane cur timeamus ne eorum quoque multitudo augeatur qui huius finis obliti

Qui eius nota et character est,

Et cuius oblivio in summum discrimen Societatem adduceret.

atque otio dediti, propriisque commodis unice intenti, et laborem defugiant, et intra domesticos parietes delitescant, aut prorsus inutiles aut etiam exemplo suo reliquis perniciosi. Atque hi quidem, ut ait sanctus Gregorius Nazianzenus, quam diu pauci admodum sunt, tamquam aegra aliquot membra in hoc religionis veluti corpore censentur, quae, licet oneri sint, non idcirco reliquis sanis ac recte habentibus membris totique corpori vigorem adimunt ; immo vero integrarum partium ope ac multo magis divinae gratiae subsidio sanari ac pristino vigori restitui possunt. Verumtamen, ut subdit idem Nazianzenus, *Cum plura membra acerbe laborant, fieri non potest, quin totum corpus aegrotet atque in perspicuo periculo sit.* Viam itaque, pro muneris mei officio, mecum ipse considerans, qua tantum malum atque adeo Societati nostrae infestum in aliquos perrepere possit, ex hisque ad alios sensim progredi atque ita totius corporis sanitatem labefactare, pro certo habeo illam fere esse qua spiritus vere apostolici nostrae vocationis oblivio inducitur ; qua fit, ut proprios nostri Instituti labores aut detrectemus omnino, aut, si suscipimus, illos non ad Dei gloriam, uti par est, atque ad salutem animarum, quas Deus ipse creavit tantoque studio et quaesivit et redemit, referamus. Quod quidem malum, uti singulis Societatis nostrae hominibus capitale est, et aliorum malo-

Orat. I. in Iulian.

rum, quae multa ab illo derivantur, fons et origo, ita si serpere, quod Deus avertat, coeperit, *multitudine ad proclivia tendente, et remissius agentibus his qui praesunt*, quae duae res, ut recte animadvertit S. Bonaventura, exitium religiosis Ordinibus importare consueverunt, posset, absque ulla dubitatione, in summum certissimumque discrimen totam Societatem adducere. Quare, ut huic etiam desiderio quod mihi Deus impertit satisfaciam, hoc videlicet tempore pristinum in omnibus iterum accensum fervorem instauratumque spiritum nostrae vocationis videndi, statui singulis ad considerandum proponere quale illud sit, quamque vitiosum in uno e Societate existimandum a nostri Instituti laboribus sensim abduci, illosque toto atque indefesso animo et verae caritatis spiritu, qui nostrae vocationis proprius est, non amplecti. Hoc autem uno, spero in Domino, qui nos e multis electos his ipsis laboribus destinavit, spero, inquam, fore ut segnes excitentur et ferventiores inceptum curriculum ardentius celeriusque decurrant ; Societas vero, novis in dies aucta virtutibus, et Deo acceptior et proximis utilior evadat.

Epist. ad Provinc.

Agendum igitur de nostrae Vocationis spiritu.

2. Et primo quidem, cum ego nostrae vocationis spiritum, tamquam praecipuum divinae gloriae serviendi ac laborum ea causa strenue suscipiendorum incitamentum propono, nemo non videt, me non aliud hoc loco intellegi velle quam miri-

Est ille spiritus ardor maioris Dei gloriae et salutis animarum,

ficum quendam ac sanctum animi ardorem, a divina gratia cum ea nos ad hanc vitae communionem vocavit, in nobismet ipsis excitatum ; quae quidem ab initio sic nos illexit, ut celsissimo illo fine quem Societas propositum habet, et maioris Dei gloriae, et salutis animarum, nihil expetibilius nobis atque amabilius videretur. Hic porro ardor, semel in animis nostris accensus, deinceps fovetur, conservatur etiam et cooperatione nostra augescit ; praecipue vero viget, si perpetuo finem illum, cui unice in Societate vivimus, in memoriam revocemus. Atque hac ratione cum ardor ille in animis nostris minime intepescat, non solum cupidos, sed promptos et alacres efficit ad omnia Societatis munia strenue ac fortiter obeunda ; quandoquidem certi sumus, nihil his, tamquam mediis, conducibilius esse posse ad eum quem intendimus finem certius consequendum. Hoc autem quod dicimus, Societatis nostrae auctor ac parens Ignatius, brevi illa Instituti nostri formula, quam summis Pontificibus Paulo III et Iulio III exhibuit, complexus est, in eaque totam spiritus Societatis et omnium nostrum officii veluti ideam mirabiliter expressit. Et certe nemini molestum, immo vero gratum omnibus et iucundum accidet, si sanctissimi Parentis verba recitabo, atque ipsum quodammodo loquentem faciam ; quandoquidem illa novos semper stimulos ad vocationi respondendum alacrioribus addiderunt, segnibus autem

Procurandae per munia Societatis tamquam media,

Ex formula Instituti a S. P. Ignatio summis Pontificibus exhibita ;

segnitiem ipsis suam exprobrarunt, praesertim vero cum se totos, relictis laboribus, otio socordiaeque dedissent.

In qua primum Societatis finem determinat,

3. Primum igitur tamquam basim spiritus atque officii suorum filiorum S. Parens illud posuit: unicuique nostrum, qui a Deo ad hanc Filii sui Societatem vocatus est, persuasum esse omnino debere, se eius sodalitatis partem evadere, quae in eo, tamquam in praecipuo fine sibi proposito, tota est, ut perpetuos labores sustineat et, aut orthodoxam fidem inter haereticos defendat, aut inter gentiles proseminet, aut denique inter catholicos, promovendo animarum spirituali profectu, conservet et augeat. *Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare.... proponet sibi in animo, se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad Fidei defensionem et propagationem, et ad profectum animarum in vita et doctrina christiana praecipue intendat.* En quo S. Parens potissimum spectavit, cum illum spiritum, qui iam inde a suis initiis magnanimus et ad quodvis egregium facinus paratissimus esset, in omnium nostrum animos primum insinuari voluit: debere nempe nos illud cogitare, atque in animo fixum habere, nos eius Societatis quam modo descripsit partem esse; ac propterea vires omnes exercendas, quo finem illum quem totiens diximus consequamur,

nisi partes aut reliquo corpori indecores aut degeneres haberi velimus.

Deinde incessanter intendendum praescribit.

4. Atque hoc illud est quod primum S. Parens posuit; cui adiecit alterum: in illam praecipue curam ab unoquoque nostrum incumbendum esse, ut industria ac diligentia sua huiusmodi spiritum vivum vegetumque conservet; quod quidem obtinebimus, si finem eum, quem intuentes illum ipsum spiritum in nobis primum excitari sensimus, assidue ob oculos habeamus. Quare subdidit illud etiam a nobis, utpote qui vitam viresque nostras ad eum unice finem impendere profiteamur, ut maiorem Dei gloriam, ministeriorum nostrorum ope, tamquam mediis ab Instituti nostri ratione praescriptis, quaeramus, illud, inquam, requiri ut, quoad vita suppeditabit, oculorum aciem tum in Deum, tum in officii nostri munus intendamus; quo finem nobis a Deo praestitutum, quantum eniti poterimus, assequamur. *Curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae via quaedam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi.* Postremo, quoniam animus ita affectus alacritatem quandam ingentemque ardorem, et opera ipsa quae tam sublimi vocationi respondeant, secum affert, totum hunc locum S. Parens ita concludit: aequum utique esse, serio omnes primum perpendere *huius vocationis pondus; et antequam huic*

oneri umeros supponant, diu multumque meditari, ut turrim hanc iuxta dominicum consilium possint consummare; postea vero quam illud onus sustulimus et libera voluntatis nostrae oblatione nos huic militiae addiximus, nihil esse reliqui quam ut prompto atque alacri animo debito illi quod cum Deo contraximus cumulate satisfaciamus. *Sed postquam, Deo inspirante, huic Iesu Christi militiae nomen dederint, diu noctuque succincti lumbos, et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.*

Omnes igitur tenemur ad assiduum laborem pro sanctificatione animarum;

5. Atque hic vocationis nostrae spiritus est, vere Apostolicus, ab omni terrenorum affectuum concretione segregatus, suorum commodorum oblitus, otium et solacia fugiens, laborum unice amans, qui quidem aut in animarum sanctificatione versentur, aut ad hanc, tamquam media, conducant. Praeterea hoc debitum illud est quo nos cum Deo obligavimus, cuiusque solutionem Deus ipse quam severissime exiget; debitum, inquam, sine ulla dubitatione gravissimum, utpote quod cum prima ac praecipua et finis Societatis et vocationis nostrae parte implicitum est et cohaeret; quoque, qui creditorem Deum aut ex toto aut ex potiore aliqua parte fraudare audeat, fateor ignorare me, quomodo levioris tantum momenti culpa obstringi putandus sit.

Neque sufficit, ut quis

6. Etenim, etsi finis Societatis duas complectatur partes, quarum prima est saluti et perfectioni

propriae saluti et perfectioni incumbat,

propriae, altera saluti item et proximorum perfectioni studere ; prior autem secundam ordine, ex praescripto caritatis, anteire debeat, idque eo vel magis quod Spiritus Sanctus diserte affirmat : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ? et non iucundabitur in bonis suis* ; negari tamen non potest, priorem illam partem notam minime esse qua Societas a reliquis religiosis Ordinibus distinguatur. Nota igitur Societatis praecipua, scopusque illi proprius ac singularis est, omnem industriam contentionemque suam ad proximorum salutem et perfectionem conferre. Quare hac de re, uti de primario fine, et in Instituti nostri formula, et in summorum Pontificum diplomatis, et in pluribus Constitutionum nostrarum locis numquam non sermo inducitur. Ita omnibus Societatem ingressuris, cum adhuc in primo eius aditu ac vestibulo sunt, S. Parens prima parte Constitutionum cap. 2. proponi vult : illud ab iis omnino requiri, ut ingentem zeli ardorem et quasdam quasi flammas pro animarum salute concipiant ; atque ob hanc causam Institutum hoc nostrum praecipuo amore prosequantur, *quod ad illas iuvandas ad ultimi sui finis de manu Dei creatoris nostri ac Domini consecutionem recta tendit.* Tertia vero Constitutionum parte, iis qui Societatem ingressi iam sunt, illud in memoriam revocat : *Totam Societatem ad universale bonum et utilitatem animarum institutam esse.*

Ecclus. 4. 5.

Cum non haec sit nota Societati propria, sed labor pro aliis,

Constitut. part. 1. cap. 2.

Constitut. part. 3. cap. 1.

Atque ut multos qui passim occurrunt praetermittam locos, decima Constitutionum parte ea media praescribit quae magis conferant *ad conservationem et augmentum spiritus Societatis, et ad assecutionem finis quem sibi praefigit, auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum.* Constitut. part. 10.

7. Iam si in dubium revocari minime potest obligationem hanc numquam non ad hunc finem consequendum enitendi, quaerendaeque modis omnibus salutis animarum, uti gravissimam in se, ita viritim contributam esse, ut singulos aeque afficiat, poteritne nostrum quisquam sibi blandiri, perinde quasi nulla apud Deum gravi nota se obstringat, si labores, qui proprii nostrae vocationis sunt, aversatus, suo muneri desit, eamque officii partem neglegat, quae illi, tamquam huius corporis membro, iuxta talentorum a Deo acceptorum mensuram atque oboedientiae praescriptionem obtigerit ? Quin immo, si ex vero rectoque sensu iudicare voluerimus, plane constabit eadem via ad aliorum atque ad salutem et perfectionem propriam nobis esse enitendum ; quippe quae magna ex parte in eo sita est, ut veri zeli spiritu in salute ac perfectione multorum elaboremus ; neque vero solum quia perfectio propria requirit ut officio nostro fungamur, sed etiam quia Deus uberiora auxilia, quae ad id praestandum necessaria sunt, neglegentioribus denegat ; quae autem tribuit, pro

Sine quo ne propria quidem salus et perfectio in tuto est,

Sive neglegentibus denegata uberiore gratia,

nostrae cooperationis modo tribuit : quod factum a Iacobo in sacris litteris legimus, qui filiis suis non eandem omnibus, sed diversas et cuiusque ingenio accommodatas benedictiones impertitus est : *Benedixit singulis filiis benedictionibus propriis.*

Genes. 49. 28.

Sive deficiente otiosis omni merito,

8. Hoc autem loco illud animadvertendum est, quod cum verissimum sit, tum pudore summo afficere inertiores debet ; videlicet, si nos, huiusmodi laborum taedio capti, eosdem defugerimus, facile in eum statum, infelicem sane et coram Deo commiseratione dignissimum, adducemur, omnium prope meritorum inopes et nulla religiosarum virtutum commendatione praestantes. Etenim si reliqui religiosi Ordines, non aeque ac nos pro Instituti nostri ratione, proximorum saluti operam impendunt suam, multa tamen praecepta habent cum virtute coniuncta, in quibus se laudabiliter exerceant ; cuiusmodi illa sunt, severae ab hominum consortio secessiones, orationes prolixae, vigiliae, ieiunia, corporum afflictationes, diurna nocturnaque horis canonicis in choro decantandis assiduitas, atque alia huius generis multa, quae etsi sanctissima sint atque a S. Parente nostro laudata, illa tamen, eadem saltem mensura ac modo, Societati nostrae minime imperata sunt, unice ob eam causam, quia *occupationes*, ut S. Parens quarta Constitutionum parte disserit, *quae ad animarum auxilium assumuntur*,

Constitut. part. 4. cap. 3.

magni momenti sunt ac nostri instituti propriae, et valde frequentes. Per nostros autem ea tractari convenit, quae nostrae vocationis ad Dei gloriam magis sunt propria. Iam vero, si unus quisquam e Societate, neque ex vocationis propriae muneribus, quae culpa sua omittit, neque ex piis aliorum Ordinum exercitationibus nobis minime praescriptis, fructum aliquem et meritum colligat, quid tandem erit emolumenti quod sibi promittere de vita ac religiosa vocatione possit; praesertim vero si, uti in animis ita dispositis usu venire solet, domesticam etiam discipliuam aspernetur ac neglegat ?

Sive contracta per desidiam gravi culpa

In Deum, qui nos ad laborem elegit,

9. Et sane, tantam in proprio munere obeundo neglegentiam animique remissionem utut considerare voluerimus, eam certe gravioris momenti culpa minime carere deprehendemus. Nam si ad Deum referatur, qui ad eum finem nos elegit, ut nobis sub vexillo Societatis suae collectis, ad disturbandas Luciferi machinationes et ad tot animarum cladem avertendam uteretur, nonne in nos iure ac merito illa exprobratio converti posset, quae apud Ezechielem legitur : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis iu proelio in die Domini ?* Si vero ipsas proximorum nostrorum animas respiciamus, quae desidia nostra daemoni mancipatae, eandem fortasse brevi, una cum illo sempiternis cruciatibus addictae, criminum suorum poenam luent, quaeque

Ezech. 13. 5.

In proximos, quorum animae pereunt

vindicari a nobis in libertatem servarique poterant; quid est, quam ob rem Deum quodammodo clamantem atque illa nobis terribiliter iterantem non exaudiamus: *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram?* Quid? Si urbes spectemus, quae nos quam liberalissime exceptos propriis sumptibus alunt opibusque sustentant, ea spe, ut suis civibus in iis quae ad animi regimen pertinent praesto simus, quis non videt quanti criminis sit illarum spem fallere exspectationemque frustrari? *Pensemus*, ut in hanc rem Sanctus Gregorius scriptum reliquit, *cuius damnationis sit, sine labore percipere mercedem laboris.* Quod si postremo oculos ad Societatem convertamus, quae nos tanto studio atque amore tot annos tamquam pia mater eduxit, neque alium sollicitudinum ac laborum suorum fructum a nobis exspectat, quam ut ne filii degeneres simus patrumque nostrorum spiritum et opera referamus; quae, obsecro, culpa nostra erit, si matri amantissimae non solum oneri sed etiam rubori erimus; quippe quae non nullorum socordia atque oscitantia, in communi hominum existimatione, optimum caritatis aurum obscuratum restinctumque fervorem illum intueri cogatur, qui maiorum nostrorum haereditas, thesaurus et corona erat; quibus de causis de huiusmodi filiis, qui ab avita virtute deficiunt, illa scripta sunt, eos *esse maestitiam matris suae,*

Ezech. 3. 18.

Et spes frustrantur,

S. Greg. homil. 17. in Evang.

Et in Societatem ipsam, quae zelum exigit

Prov. 10. 1. et 29. 15.

neque vero haec tantum, sed praeterea *confundere matrem suam*. Hoc autem loco, nemo sibi persuadeat mihi solum cum Professis operariisque sermonem esse, ceteros autem a me praeteriri; immo vero omnes Societatis gradus oratione mea complector, cum dubitari non possit quin communis omnibus eius vocationis spiritus esse debeat, quam aeque omnes, diversis quamquam in gradibus constituti, profitemur. Tria praecipue media a sanctis viris proponuntur, quibus proximis nostris adiumento esse possimus, oratio videlicet, exempla sancta, et pia de rebus divinis colloquia; quae certe omnibus in medio posita et communia sunt. Sanctus vero noster Parens inde usque a tirocinio verum zelum ardensque desiderium magna agendi tolerandique pro salute animarum, tironibus nostris tamquam lac in animum insinuari vult; atque ad hunc ipsum finem praecepit ut in domibus probationis solidas sibi quisque comparandas virtutes curet, quibus instructus idoneum divinae gloriae et lucrandis Deo animis instrumentum esse possit. Quod autem attinet ad eos qui studiorum curriculum ingressi sunt: uti quarta parte Constitutionum aperte declaravit, *doctrinae, quae in Societate addiscitur, hunc scopum esse, suis et proximorum animis, Dei favore aspirante, prodesse;* ita voluit ut iidem, ab eo fine oculos numquam deicientes, ea ipsa studia *ex oboedientia* et *caritate* vehemen-

Non a Professis solum et operariis, sed ab omnibus,

Etiam a tironibus,

A Scholasticis studiorum tempore,

ter amplecterentur, atque ut, tamquam generosi fidelesque milites, imperatoris gloriam ducentes suam, sibi persuaderent se in eius castris eo etiam tempore merere, quo, etiamsi cum hoste non confligant, arma tamen sibi quodammodo procu-
Epist. de relig. Perfect. dunt, quibus in praeclaris ad quae erudiuntur facinoribus postea utantur. Praeterea idem S. Parens in una e suis quae adhuc exstant epistolis, enixe iis qui litteris addiscendis dant operam commendat, ut inter reliquas pietatis exercitationes, illam etiam sibi assumant longe utilissimam, qua videlicet plenam suimet ipsorum Deo oblationem cotidie faciant, seque totos in eius manus tradant; quo magis idonea ac certiora, siquidem ab ipso adhibeantur, animarum salutis instrumenta evadant. Quo quidem loco omnes oro obtestorque, quod etiam postrema haec generalis Congregatio sibi vehementer esse cordi declaravit, ut, quantum possumus, efficiamus ne tam praeclara sancti Patris nostri cogitata exitu suo careant; tum uti iuniores nostri tenerum erga vocationem propriam amorem, assiduam iis doctrinis quae propriae Societatis sunt operam navantes ostendant; neque ad aliena ab Instituti ratione studia evagentur; iisque in quibus sunt, nullam neque temporis neque diligentiae partem subducant; spiritum denique sincerae ac flagrantis caritatis in semet ipsis foveant, qui quidem spiritus et alacres ad suscipiendos labores facit, et pluri-

mum ad conservandam cordis integritatem confert, conciliandamque nostris moribus religiosam illam modestiam quam eminentem in omnibus Societas nostra desiderat. Et sane in iis qui ita se gerunt ipso sementis, hoc est, studiorum tempore, uberem meritorum ac virtutum segetem videre est : Deo scilicet bene iuvante, *qui administrat semen seminanti, et augebit incrementa frugum iustitiae.* 2. Cor. 9. 10.

Et a docentibus in scholis.

10. Atque hic multa mihi dicenda occurrerent, quae de tradendarum disciplinarum munere copiose persequi possem : quod quidem munus et sanctus noster Parens tantopere adamavit, et quovis tempore Societati nostrae honorificum exstitit atque hominibus fructuosum. Moneo igitur nostros, munus illud ex Instituti nostri praescripto esse suscipiendum, desiderioque christianae pietatis teneris eorum mentibus instillandae qui nostrae fidei concrediti sunt ; existiment Deum magna ex parte in eorum manibus quodammodo posuisse, non educationem et innocentiam solum, sed fortasse praedestinationem etiam tot animarum, quot adulescentes sunt quos bonis artibus informant. Ostendant omnes se non mercennariorum more eo in munere versari ; nec sibi propositum esse, ut curis laboribusque parcant ; verum se tamquam strenuos operarios et sancti fundatoris spiritu imbutos praestent, nihilque eorum praetermittant. quae ad excolendam cum in pietate tum in litte-

ris iuventutem sibi commissam maxime conducant.

Omnes igitur in spiritum zeli consequendum conspirent,

11. Rogo interim impense Deum, qui nos ad facinora adeo egregia elegit, cuiusque peculiare donum est, posse nos eius gloriae opera nostra laboribusque servire atque ita ingentem meritorum vim nobis quaerere, *ut det illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis.* Non ille utique nos ad hanc Societatem vocavit, ut huic militiae ascripti ignavam otiosamque vitam sub tabernaculis traduceremus, commodis nostris privatisque consiliis unice intenti, eo vel maxime tempore, quo tot animae, certissima tartarei hostis futurae praeda, opem nostram atque auxilium implorant ; sed ut omnia contemnentes vitamque ipsam profundere non dubitantes, nobis probro duceremus non in campum, palmarum adeo fecundum, aciemque prodire. Quod si, nullo cruciari sensu gravissimorum malorum quibus proximi urgentur totque scelerum quibus offenditur Deus, *soporem vitiosae insensibilitatis* S. Bonaventura universe appellavit, quanto magis huiusmodi sopor in uno aliquo e Societate vituperandus erit, qui id maxime profiteatur, se proximi sui damna tamquam propria ducere, iniurias vero Deo irrogatas privatis quibusque malis ac detrimentis anteferre ? Verus enim sincerusque zelus huiusmodi sensu carere

Ephes. 1. 18.

non potest, cum tot peccata quae vulgo admittuntur tantamque animarum iacturam videat ; ac propterea illud Apostoli crebro usurpat : *tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.* Rom. 9. 2. Hinc non solum incensissimo tot tantisque malis, quibus adeo angitur, occurrendi desiderio inflammatur ; sed, cum has flammas cohibere caritas non possit, *ne otiosa sit*, ut ait S. Bonaventura, *nervos omnes contendit, atque omnem familiam suo imperio subiectam in adiutorium invocans*, hoc est cogitationes, affectus, vires, omnes denique animi atque ingenii facultates, *progreditur ad actum boni operis, sive ad promovendum bonum, sive ad removendum malum.* S. Bonaven. de process. Relig. Grad. 6. cap. 6. Quare, etsi verum sit, ut idem sanctus Doctor subdit, solis desideriis et nos meritum consequi posse et officio proprio satisfacere, quotiens per nos non fit quominus executioni mandentur ; tamen illud quoque extra omnem dubitationem positum est, si culpa nostra secus evenerit, frustra nobis de huiusmodi cassis atque inanibus desideriis placituros, quae cum maxime possemus atque adeo deberemus, opere implere noluerimus. *Quantum enim vis, tantum facis* ; si non facis, *non vis.* S. Bonav. ibid.

12. Quam porro felix Societas esset, si, cum filiorum suorum numerum adeo auctum amplificatumque videat, fervidum etiam in omnibus et numquam cessantem propriae vocationis spiritum videret ! Vereri certe non posset ne, cum cotidie

Ne, aucta multitudine Sociorum, augeatur turba.

Sociorum numerus amplificetur, illa quoque, quam S. Parens *turbam hominum appellat*, in domiciliis nostris augeatur, quamque adeo nostri Ordinis rationibus atque incremento inimicam existimavit ; quin immo re ipsa atque experimento nequaquam fieri posse intellegeret, ut, succrescentibus operariis spectati spiritus, eximiae virtutis et doctrinae singularis, *licet multitudo augescat, imminuatur et debilior reddatur spiritus.* Verum, ad hoc ipsum consequendum unusquisque nostrum, et quae agit et quae praeterea agere posset, saepe atque attente coram Deo secum reputet necesse est ; et multo plura ac maiora, Dei, cuius gloriae laborat, fiducia suscipiat, illud pro certo habens, fere plus homines posse quam quantum sibi, proprio amori auscultantes atque obsequentes, persuaserant : *Qui enim sperant in Domino, mutabunt fortitudinem ; assument pennas ut aquilae, volabunt, et non deficient.*

Constit. part. 8. cap. 1. §. 2. et part. 3. §. 7.

Isai. 40. 31.

Indicia spiritus Vocationis nostrae :

13. Verum, cum hactenus spiritum nostrae vocationis inspexerimus, restat nunc ut praecipua quaedam eiusdem indicia videamus, quibus, utrum spiritus ille in nobis vigeat, agnoscere possimus ; si vero languentem deprehenderimus, excitandum et pristino vigori restituendum curemus.

1. Ministeria Societatis libenter amplecti,

Primum indicium ex his quae hactenus diximus nemo non videt, amorem quendam esse quo propria nostrae vocationis ministeria libenter amplectimur, eaque omnia quae ab illis nos abducere

possent, cuiusque tandem generis sint, aversamur. Equidem ingenue confiteor, ignorare me quomodo in homine Societatis otio locus esse possit, ac valde mirari quemquam exsistere qui sibi religioni minime ducat inutilibus in rebus otio et tempore abuti, cum se totum Deo obtulerit vitamque suam proximorum saluti commodisque devoverit. Nam quid solacii Societas caperet, si in tam copiosa filiorum suorum multitudine non paucos otio diffluentes videret, qui aut tamquam formidolosi milites, armis abiectis, aut tamquam operarii desides, propria vocatione neglecta *declinaverunt et inutiles facti sunt.* Verum utique est huiusmodi otium atque ab omnibus omnino oneribus vacationem inveniri inter nos haud facile posse, cum multa munera sint in quibus ex oboedientiae praescripto occupemur. Sed, cum haec quandoque non omnes curas tempusque sibi vindicent, quod superat temporis, otio certe tribuitur, si fuga laboris nihil agamus. Hinc in nobis tantum criminis residere existimandum erit, quantum boni illud est quod facere, cum potuimus, praetermisimus. Et sane non video quomodo a culpa abesse ille putandus sit, qui hanc vocationem professus et modico contentus, graviora atque obscuriora ministeria aut refugiat omnino, aut ex parte detrectet; item, qui ea non ex acri quodam zelo et vero salutis animarum desiderio, sed ne muneri suo omnino deesse videatur, susci- Psal. 13. 3.

piat ; denique, qui, siquidem vellet, multorum partes implere posset, ne unius quidem partes socordia inertiaque sua implendas curet. Qua de causa non nullorum vitio in illam plenam dedecoris reprehensionem merito incurramus, quod, si olim tres quattuorve e nostris ad aliquot obeunda ministeria sufficerent, nunc ne decem quidem aut etiam multo plures sufficiant ; atque utinam hi ipsi, cum ceteroquin tantum illis vacui ac liberi temporis reliqui fiat, se nimio labore premi gravarique non conquerantur.

Et cum proximo non nisi de rebus caelestibus agere.

14. Quod si, uti evenire facile potest, cessatio ista in animi dissolutionem abeat, eo res adducitur, ut tantum malum et summam domesticis molestiam creet, et huiusmodi sit, quod in hominibus adeo sanctae vocationis omnino ferri non possit. Patres ac Fratres carissimi, in ore atque oculis hominum sumus ; universi nos speculantur, et quo quisque nostrum cum iis versatur spiritu probe sentiunt. Atque utinam, quod vehementer opto, spiritum maiorum nostrorum in omnibus agnoscant ; qui numquam prodibant in publicum, quin de Deo de rebusque caelestibus loquerentur ; unde fiebat ut omnes meliores effecti ab iis discederent, secumque auctam nostrorum hominum opinionem auferrent. Hoc autem postrema haec Congregatio generalis adeo cavit, ut inter ea quae ad augendum hunc spiritum maxime conducerent, illud sanxerit : *ut externa nostrorum*

agendi ratio, quae divinae gloriae et animarum bono subservire debet, omnino religiosa sit ; Superioribus vero edixerit, ut videant *an pietatis semper, et aedificationis bonus odor a nostris in agendo diffundatur.*

2. Omnino abhorrere a propriis commodis.

15. Alterum porro veri nostrae vocationis spiritus indicium est, a propriis commodis omnino abhorrere ; quibus male cum ea vocatione convenit, quae incommoda laboresque apostolicos unice quaerit in iisque gloriatur. Atque id eo vel magis, quod huiusmodi animi morbus, quo affecti commoda propria studiosius consectamur, quanto abiectior, tanto probrosior iis est qui se una cum Christo cruci affixos, crucesque ipsas pro salute animarum subeundas non modo non horrere, sed etiam ultro appetere profitentur. Praeterquam quod inexplebilis haec commodorum aviditas sensim omnes animi nervos elidit et levissima ministeria graviora reddit ; uti cotidie experiuntur ii qui proprio amori turpiter serviunt ; qui quidem amor est veluti flamma quaedam, quae virtutem omnem absumit, semperque novo pabulo inhians *numquam dicit, sufficit.* Verum fierine poterit, ut tam abiecta de causa quisquam e Societate aut ab excipiendis assidue confessionibus, aut ab huiusmodi laboribus avocetur qui pro salute animarum suscipiuntur, pro quibus Christus ipse non solum omnia vitae commoda neglegere, sed praeterea maximos cruciatus ac dolores perferre non dubi-

tavit ? *Et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est ?* Quare non est sane, qui ita se gerat, cur meritur si gratiae illae, quibus spiritus alitur et nutritur, sibi a Deo subducantur, iure ac merito hanc poenam illis irrogante qui, sensuum illecebris capti, a divinae gloriae atque honoris studio se abduci patiuntur. In hos enim adeo propriorum officiorum oblitos dicta illa iam est, quam S. Bernardus *terribilem et saevam comminationem* appellavit. *Si ignoras te, egredere, et pasce haedos tuos. Quod est,* inquit, *indignam te noveris familiari et suavi rerum contemplatione caelestium, intellegibilium, divinarum. Quam ob rem egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos sacrosque veritatis ac sapientiae sensus dulciter haurire solebas : et magis, tamquam una de saecularibus, pascendis et oblectandis tuae carnis sensibus intricare. Exitus aquarum deducant oculi mei super huiusmodi animam, quae, cum nutriretur in croceis, demum amplexatur stercora.* Quamquam, ut id quod dico intellegatur, non tam verbis quam seria coram Deo meditatione opus est ; cuius lumine illustrata mens huius status abiectionem agnoscat, ex eoque emergere seque ad immortalia erigere conetur, sempiterna unice spectans, terrena vero omnia ac fluxa contemnens, quo sibi Deum et multas Deo animas lucretur.

1. Cor. 8. 11.

S. Bernard. serm. 35. in Cant.

Cant. 1. 7.

16. His de medio sublatis quae nos et a ministeriis nostris laboribusque avocare solent, tertium indicium sequitur, quo verus vocationis nostrae spiritus ostenditur; nempe si caduca atque humi posita contemnamus, quae labores nostros, si ad eum finem referantur, corrumpunt ac perdunt; cuiusmodi illa sunt, laudes, plausus, honores, aut quodvis aliud eiusdem generis emolumentum, tamquam laborum nostrorum praemium consectari. Etenim, quidnam futurum esset, si tali operario, post tot effusos sudores laboresque toleratos, illud morienti denuntiaretur, se ex eorum numero esse *qui receperunt mercedem suam?* Iam fierine poterit ut nostrum quisquam labores illos, quibus *immarcescibilis gloriae corona* proposita est, malit hic ante tempus compensari, et mercedis loco ducat aut nobiliorem aliquam provinciam, aut honorificentius munus, aut ab oneribus vacationem, aut denique temporarium aliquod eiusdem generis emolumentum; quae quidem tamquam laboribus, quibus in Societate defunctus est, debita exigere et suo se posse iure repetere existimet? Debent utque superiores, quoad eius fieri potest, in partiendis delegandisque muneribus cuiusque, et constantis religiosaeque modestiae, et laborum quos pertulit habere rationem; sed absit ut subditi se adeo abiciant, ut tam vili mercedula labores suos remunerari velint. Hoc profecto esset et in prophetae

3. Contemnere terrena omnia.

1. Pet. 5. 4.

maledictionem incurrere, atque opera nostra, siquidem nullis innixa virtutum radicibus et prorsus infecunda, feno tectorum comparare velle,

Ps. 128. 2. *de quo non implevit manum suam, qui metit, et sinum suum, qui manipulos colligit.* Quo quidem loco, quod ad quamcumque mercedis speciem attinet, omnes etiam atque etiam obtestor ut se veros germanosque Societatis filios ostendant, ut praeclara maiorum nostrorum facta referant, qui praecipuam partem illam Constitutionum, quae de paupertate est, numquam non sartam tectam conservandam putarunt ; debere nempe nos quae gratis acceperimus gratis dare ; quin ea munia eo studiosius affectabant, in quibus plus oneris quam honoris aut humani emolumenti inesset, quibus illici se minime patiebantur, quo 'integrum cumulatumque aeternitati laborum suorum praemium reservarent. Quod si ex iis quaerebatur, quod ex se Apostolum quaerere solitum accepimus :

1. Cor. 9. 18. *Quae est ergo merces mea ?* sine haesitatione percunctantibus respondere cum eodem poterant : se in summae mercedis loco numerare, nullam acce-

1. Cor. ibid. pisse mercedem : *ut sine sumptu ponam Evangelium ;* et illa alia apud eundem Apostolum

2. Cor. 11. 7. et 12. 14. libere vereque profiteri : *Gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis, non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.*

4. Oratonis studio deditum esse. 17. Ad hanc vero zeli adeo puri et integri perfectionem erigere se ac pervenire non poterit,

nisi qui cum Deo versari assuescat, seque numquam intermisso orationis studio dedat; quo fiet ut, terrena omnia despiciens, illud cum Propheta usurpet: *Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Hoc, Patres Fratresque carissimi, postremum ac praecipuum veri nostrae vocationis spiritus indicium est, quod ego vobis diligenter considerandum propono; et quo altius in animis vestris impressum numquam oblitteretur, summopere laetor in postremam hanc epistolae huius meae partem de eo incidisse sermonem. In hac orationis palaestra Societatis spiritus formatus est, in hac virtutes omnes verique zeli proprietates edoctus, quas ad animarum utilitatem ac commune totius Ecclesiae bonum postea contulit. Pro certo habeamus tartareum hostem, qui machinas omnes ad hanc minimam Societatem, a qua tot cladibus afficitur, convellendam movet, illud praecipue conari, ut arma adeo firma ac salutaria, assiduae videlicet orationis aliarumque piarum exercitationum, de eius manibus extorqueat; quibus destituta, nec aggredientis impetum inimici sustinere, nec magnum aliquid ad Dei gloriam suscipere poterit; quandoquidem *arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Et sane si, his etiam praesidiis instructi, summa cura uti et vigilantia necesse habemus ut religiosum fervorem conservemus, quidnam eventurum putabimus, si illa ipsa sub-

Jerem. 4. 23.

2. Cor. 10 4.

sidia a nobis aut neglegerentur omnino, aut perinde ac si ea neglegeremus adhiberentur ? Hinc est, quod S. Parens decima Constitutionum parte, ubi de conservatione Societatis atque amplificatione agit, illud ad conservandum in nobis spiritum, finemque salutis animarum obtinendum, tamquam quiddam quo cetera niterentur con-

Const. part. 10. §. 2. stituit, nempe : *Media illa, quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur. efficaciora sunt quam quae illud disponunt erga homines.* Inter haec porro media, tamquam praecipuum recensuit : *Familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelum sincerum animarum ad gloriam eius qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito.* Rectus divinae providentiae ordo postulat, ut ii quibus Deus ad animarum sanctificationem tamquam instrumentis utitur, cum ipso Deo cuncta movente artius intimiusque cohaereant ; non solum ut certius ad institutum finem adhibeantur, sed etiam ut ab eodem rationem, qua potissimum alios ad eum pertrahant et sono vocis invitent, prius condi-

Apoc. 22. 17. scant. Hinc illa in Scripturis legimus : *Et qui audit, dicat : Veni : Ut nimirum*, sic enim hunc

S. Greg. part. 3. Post. adm. 26. locum S. Gregorius interpretatur, *cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat.* Praeterquam quod experientia ipsa comprobatum est voces illas, quae de

divinae ubertatis fonte profluunt, alias esse ab iis quae ab humanae industriae apparatu atque artificio proficiscuntur. Etenim, ut S. Bernardus recte observat, ex verbis intimae animi affectiones deprehenduntur ; et sicuti timor nescio quid pavidum, dolor flebile, gaudium autem iucundum sonat, ita universe *habent suas voces affectus, per quas se, etiam cum nolunt, produnt.* Hinc animus Deo plenus atque assiduo orandi studio incensus, alio modo atque vacuus et frigidus, proximorum corda movet, iuxta illud : *Cor sapientis erudiet os eius, et labiis eius addet gratiam.*

S. Bernard. serm. 67. in Cant.

Prov. 16. 23.

18. Praeclaro igitur huic ac tam necessario orationis studio, Patres Fratresque carissimi, nos totos dedamus ; quo multo melius quam ego verbis assequi possim, nostrae vocationis celsitudinem agnoscamus, eiusque spiritus proprietates, qui semper aliquid agat, labore non frangatur, numquam non de salute animarum cogitet, ab otio, a commodis, ab omnique propria utilitate prorsus alienus sit. Hanc porro cognitionem incensum desiderium consequetur, debitum quo nos cum Deo obstrinximus persolvendi, implendique partes eas quas, cum hoc vitae genus amplexi sumus, suscepimus ; vitae, inquam, genus, et hic copiosissimis ditandum meritis ; in aeternitate vero praemiis longe nobilissimis, nec humana ratione aestimandis, cumulandum. Neque vero animum despondere debemus : Deus, qui nos amore sin-

Orationis studio spiritus Societatis suscitatur et agit,

Adiuvante Deo,

gulari ad hanc Societatem vocavit, gratia nobis sua praesto erit ; siquidem eius voces audire velimus : *Viriliter agite et confortamini : quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te.* Praeclara maiorum nostrorum exempla studiose intueamur ; vocationem nostram in memoriam revocemus ; memineri-mus nos eorum successores ad eum finem esse constitutos, ut vigentem Societatis spiritum hominum utilitati conservemus ; nos inquam, eorundem, quem ad modum laborum erimus, ita praemiorum socios in beata illa ac sempiterna vita futuros : *Quoniam filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.* Nobis ob oculos severissimi iudicii diem illum proponamus, qui nec opinantes occupabit, quoque Deus ab unoquoque nostrum talentorum illorum, quae nobis, illa usurpans, credidit : *Negotiamini dum venio*, usuram exiget ; si vero subducendis nobiscum rationibus tenui nos adhuc in lucro versatos esse reperiemus, ac propterea nullo modo cum strenuis Societatis operariis comparandos, qui regna et urbes bonis moribus institutas, sudores effusos, incommoda tolerata, pericula adita, vulnera accepta, mortem ipsam ex caritate obitam Deo offerent ; facta hac inter nos fratresque nostros contentione, de nobismet ipsis percunctemur : *Quid nos miseri dicturi erimus, qui ad Dominum*

Deuter. 31. 6.

Stimulantibus maiorum exemplis

Tob. 2. 5.

Et reddenda ratione in die iudicii.

Luc. 19. 13.

S. Greg. hom. 17. in Evang.

nostrum post negotium vacui redimus, qui pastores vocati sumus, et gregem non ducimus. Haec serio perpendentes, omne torporis ac terrenorum affectuum vinculum disrumpamus, nosque ad magnanimum illum nostrae vocationis spiritum nosmet ipsi revocemus ; demus operam ut nova in dies merita cumulemus, quantumque temporis nos inutiliter consumpsisse noverimus, tantumdem multiplicandis bonis operibus, quantocius fieri poterit, insumamus : illud unice spectantes, *ut digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus.* Ephes. 4. 1.

19. Ad hunc finem, quod vehementer opto, plurimum proderit, si unusquisque nostrum, per aliquot dies ab hominum consuetudine se abducens, vias suas in conspectu Domini recognoscat eiusque lancibus opera sua expendat ; illud secum attente considerans, *quae sit spes vocationis suae ;* quo novas vires colligat pristinumque fervorem reparet. Quod si fiat, confido in Domino fore ut, renovato uniuscuiusque nostrum spiritu, Societas quoque, difficillimis his christianae rei publicae temporibus, revocata ministeriorum suorum assiduitate instauratoque propriae perfectionis studio, longe melior effecta reflorescat. Experientia enim ipsa docemur quantum veri zeli spiritus ad animum reliquis virtutibus brevi excolendum conferat, non solum quia assidua contemplatione virtutum quodammodo mollitur, sed etiam quia divinarum benedictionum rore longe pinguior ac

Quare unusquisque dies aliquot renovando spiritui insumat.

fecundior efficitur. Quare in hanc sententiam illa
Prov. 11. 25. scripta sunt : *Anima, quae benedicit, impinguabitur, et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur ;* quae quidem sic intellegenda esse ex S. Gregorio
Pastoral. p. 3. 25. discimus : *Qui exterius praedicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit : et dum vino eloquii auditorum mentes inebriare non desinit, potu multiplicati muneris inebriatus excrescit.* Hinc in huiusmodi operariis perfecta oboedientia, vera humilitas, contemptus sui, sincera erga omnes caritas, exacta domesticae disciplinae custodia, omnium denique religiosarum virtutum splendor elucebit, ob quas ad longe excelsiorem gloriae in caelo gradum, quem ii obtinebunt qui eodem eorundem opera venient, provehantur.

Conclusio. Quare, ut finis sit, eo animi affectu quem praecipuum ac singularem omnibus et debeo et profiteor, plenam caelestium benedictionum copiam et singulis et toti Societati apprecor, illud flagitans, ut omnes eandem mihi vicissim precibus suis a Deo impetrent, quo ad Dei gloriam et spiritualem omnium nostrum et proximorum pro-
2. Cor. 13. 13. fectum iniuncti mihi officii partes exsequar. *Et gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et eommunicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

Romae, XXIX Iunii M. DCC. LVI.

Servus in Christo,
ALOYSIUS CENTURIONUS.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE PRECIBUS ITERANDIS OB CALAMITATES SOCIETATEM PREMENTES EIQUE MINANTES

1. Etsi, post fusas ad Deum superioribus mensibus nostras preces, multae adhuc calamitates nos premunt, multae etiam nobis minantur; non tamen quicquam de divina misericordia subtractum esse dubitare debemus; immo vero misericordiae ipsi divinae ascribendum, quae quos amat corrigit et *castigat*, et *flagellat omnem filium quem recipit*. Duo sane spectat Deus atque a nobis instanter exposcit. Primum quidem ut ad virtutem ac religiosae perfectionis studium nos excitet; postulat enimvero ferventiorem erga se pietatem, qua libenter cum ipso agere delectemur, ac sanctis meditationibus et precibus tempus non modo quod nostris legibus iubemur, sed quod occupationibus superest, impendamus; qua eius gloriam susceptis laboribus ampliare conemur; postulat ardentiorem caritatem in proximos, qua

Calamitatibus permittendis duo spectat Deus:

Hebr. 12. 6.

Primum, ut ad virtutem excitemur;

nulli male velimus, nullum vituperandum, nullum culpandum nobis esse putemus; immo vero prodesse omnibus, quacumque ratione possumus, studeamus; postulat demum maiorem sollicitudinem earum virtutum acquirendarum, quae nos ipsos praecipue respiciunt: mortificationem, qua commoda detrectemus; humilitatem, qua demisse de nobis et sentiamus et loquamur; paupertatem necessariis contentam, superflua respuentem; oboedientiam nullas excusationes obtendentem. Quem quidem nostrarum calamitatum fructum cum plures nostrorum rettulisse ex plurium regionum litteris intellexerim, *virga* eius *et baculus* eius *ipsa me consolata sunt;* superabundavi gaudio in omnibus tribulationibus nostris, iisque nihil nobis contingere posse felicius existimavi. Utinam eundem fructum omnes capiamus, et dicere singuli possimus: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.*

Ps. 22. 4.

Psal. 118. 71.

Alterum, ut ad eum recurrere perseveremus;

2. Sed alterum etiam spectat misericors Deus cum nos affligit, quem ad modum bene intellegunt qui vias Domini norunt. Nimirum placent illi orationes nostrae, placet humilitas, placet fiducia qua in eius sinum confugimus; ac velut timet ne, citius e calamitatibus eruti, ab eius conspectu nos abstrahamus. Quare, Patres Fratresque mihi carissimi, vocem Dei amanter monentis audite, nec vos pigeat iterum ad preces recurrere.

3. Ut vero maiorem vim obtineant, Deo offerri

velim preces nostras per eam quae ipsi gratissima est omnium creaturarum, eademque ad impetrandum potentissima ; Mariam dico, Patres Fratresque carissimi, quam cum Ecclesia advocatam nostram, spem nostram, consolationem afflictorum suavissimo animi sensu appellamus. Quam quidem beatissimam Virginem, cum omnibus eam pie ac fidenter invocantibus praesto sit, confidere debemus auxilio suo singulariter affuturam Societati nostrae ; cum et sancto parenti Ignatio ad eius aram advoluto ac profana arma deponenti novae militiae instituendae cogitationem iniecerit, ac Societatem ipso suo Assumptionis die nascentem sinu veluti exceperit, eiusque alumnos innumeris beneficiis ornaverit. Ipsam itaque adeamus ; *mille* enim *clipei*, id est remedia contra pericula, ut explicat sanctus Thomas, *pendent ex ea*, quibus metum omnium et calamitates depellat ; neque vero preces nostras despiciet piissima Mater, sed suos illos misericordes oculos ad nos convertet.

Quod per Mariam faciamus ;

Cant. 4. 4.

4. Opto itaque et peto, quod singulos vestrum libenter facturos esse non dubito, ut proximum festum immaculatae Conceptionis beatissimae Virginis singulari pietate celebrandum vobis proponatis, eique novendialem iuxta morem piorum hominum praeparationem plenam sanctarum exercitationum praemittatis ad eum finem, ut Societati nostrae praesidio esse velit amantissima Mater. Peculiares exercitationes per eos dies non definio,

In primis novendiali devotione ante festum Imm. Conc. B. V.

quia minus ego praescribere possem quam praestare parati sitis. Liberum etiam superioribus erit preces aliquas aut alias pias exercitationes per eos dies praescribere intra domesticos parietes habendas. Illud nemini liberum relinquo, sed omnibus commendo impensissime, atque utinam possem omnes ad id feliciter adigere, ut pietatem suam erga divinam Matrem, si forte languerit, excitent, ex qua et in singulos et in religionem universam bona omnia proficiscentur,

Conclusio.

5. Itaque, Patres Fratresque carissimi, amantissimam Matrem enixe orate, ut Societati patrocinium suum singulare exhibere pergat, spiritum Filii sui omnibus nobis inspiret, ac mihi praecipue egentissimo omnium ; ne vel religioni, cuius mihi commissa est gubernatio, vel animae meae detrimentum aliquod afferam. Propter quam causam commendatum me esse velim in sacris Sacrificiis vestris et orationibus.

Romae, XXVI Septembris M. DCC. LVIII.

RR. Patres ac Fratres carissimi,

Vestrum omnium in Christo servus,

LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE CONSTANTIA IN ORATIONE OB EIUSDEM TRIBULATIONES

In precibus ob calamitates hactenus fusis

1. Anno praeterito fusis in communi precibus divinam, ut scitis, clementiam imploravimus, et corde humili caelestem consolationem exspectavimus in afflictionibus nostris. Nec dubium mihi est quin ille Pater misericordiarum benigne de caelo respexerit ad nostras preces et lacrimas, quae Angelorum ministerio ad eum perferebantur. Toti quin etiam curiae caelesti perplacuerit, ut ego arbitror, ille spiritus humilitatis et compunctionis, quo ad thronum gratiae Dei prosternebamur; et, si minus quod petebamus concessum est, certe animi solacium ex eo aliasque spirituales utilitates traxerunt animae nostrae.

Necessaria est perseverantia,

2. Verum hoc anno videor mihi a vobismet ipsis admoneri, non esse definiendum divinae misericordiae tempus, neque praescribendum eius miserationibus diem; sed magis insistendum ora-

tionibus, donec opportunum adveniat auxilium in tribulatione. Proindeque taciti rogatis me ut novas preces, nova ad avertendas caelestes iras piacula iniungam toti Ordini. Nihil ego quidem facio libentius ; neque vero alia re tantum vereor, quam cum ipse mecum cogito, tali prorsus die, tali hora totam Societatem stare ante conspectum Dei, ad eumque mittere voces humilium, quae penetrant caelum et placitae coram Deo sunt semper, eidemque offerre cor contritum et humiliatum, quod ipse numquam despicit.

Qua exauditur Deus,

3. Atque ita profecto est, Patres Fratresque carissimi. Divina beneficia non tribuuntur nisi perseverantiae precum earum quae humiles, ferventes ac plenae fiduciae sint ; verissimeque inquiebat Judith : *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis et orationibus in conspectu Domini.* Pro certo itaque habeatis, flectendam aliquando amantissimi Patris misericordiam ; dummodo vos ab ipsius conspectu non recedatis, neque pium precandi institutum taedio atque defatigatione victi intermittatis. Magnanimi namque proprium est, tangi clamoribus miserorum eius opem implorantium ; divina vero misericordia suopte ingenio sublevandis mortalium aerumnis inclinat ; et denique is qui promissorum fidem fallere haudquaquam potest, hortatur diserte nos ut constantes in petendo, quaerendo, pulsando simus, haud du-

Cap. 4. 12.

bie quo indigemus consecuturi : *Quaerite et invenietis, petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis.* Math. 7. 7. Joan. 16. 24.

4. Quid quod perseverantis orationis efficaciam Christus ipse probat, nobisque ob oculos ponit quodammodo ratione suavissima ; quam quicumque apud sanctum Lucam expendat, non sane poterit certam animo fiduciam non concipere ! Vincuntur, ait ille, homines, amici cuiuspiam precantis importunitate ; nec pater est inter vos ullus tam duro animo et immiti, quem filii orantis atque obsecrantis preces aliquando non expugnent. Si ergo tantum apud homines, alioqui natura pronos in malum, valet assiduitas et perseverantia precum, quid non poterit apud Deum, cuius natura bonitas, cuius beneficentia largitionibus non exhauritur, cui non molestae, sed iucundae, sed gratae supplicationes nostrae, quo denique nullus amicus verior paterque amantior est ? *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se.* Ipso Divino Salvatore attestante et probante, Luc. 11. 13.

5. Et hunc prorsus, de quo ipse loquitur, *spiritum bonum* praecipue exquiratis velim orationibus vestris ; spiritum scilicet paenitentiae et compunctionis pro peccatis admissis ; spiritum patientiae et mansuetudinis in tribulationibus ; spiritum caritatis, zeli, et indefessi laboris pro animarum salute ; spiritum humilitatis, mortificationis, Praesertim cum petitur spiritus bonus,

contemptus mundi ac nostrimet ; spiritum pietatis ac religionis in Deum, et perfectae submissionis voluntati eius ; spiritum observantiae regularis ; super omnia vero spiritum, ut Scriptura loquitur, *gratiae et precum*, quo uno omne datum optimum et omne donum perfectum continetur. Ut summam faciam, illum exoretis spiritum velim, quem Deus ab initio Societati huic suae infudit, quo illam deinde conservavit et ad hanc usque diem provexit.

Zachar. 12. 10.

Qui est unice a nobis petendus,

6. Nec vero miremini de hoc uno spiritu me adeo esse sollicitum, quasi aliud nihil nobis magnopere expetendum sit : sive enim propriam ipsius dignitatem, sive provenientem ex eo utilitatem spectare malitis, bonum est adeo excellens, ut prae illo bona vilescant cetera. Et praeterea satis scit Pater ille caelestis alias quibus premimur necessitates, idemque primum inquirentibus regnum Dei cetera quoque bona se adiecturum promittit. Postremo nemini dubium esse potest, quin Deus consilia de nobis sua ad hunc ordinet praecipue finem, ut removeatur ex nobis quicquid spiritum de quo dixi excludit, tum etiam ut idem in nobis spiritus excitetur ac vigeat ; quod ubi evenerit, sperare certo possumus, aliis etiam in rebus nobis propitiam fore divinam benignitatem.

Et sollicite servandus.

1. Thess. 5. 19.

7. His ergo de causis utar ego vobiscum illis Apostoli verbis : *Spiritum nolite exstinguere.* Tribuet certe illum vestris obsecrationibus clementissimus Deus ; at vos cavete diligenter ne se-

mel accensum exstinguatis, sive per incuriam in iis quae ad pietatem pertinent, sive remissius obeundo quae propria cuique sunt munera, sive humanae vitae commoda famam ceterasque res fluxas et perituras immoderatius appetendo. Docilem se unusquisque praebeat divinae voci, ex qua facile intelleget quid ab ipso Deus postulet. Timeat unusquisque ne impedimentum opponat gratiae caelesti, neve privatis culpis, id quod divino consilio saepe accidit, occasionem praebeat publicis calamitatibus.

At nihilo minus pro necessitatibus Ordinis orandum;

8. Ceterum vestrae, dilectissimi, preces excurrere etiam debent ad alias nostri Ordinis necessitates, sicut instituit nos Christus, et Ecclesiae fert consuetudo; at fateamur prius, qua decet humilitate, deberi nostris culpis nostras calamitates; easque modeste accipiamus ut immissas a divina manu, quae nos paterne castigat. Hac animi praeparatione, qua nulla aptior ad emollienda viscera misericordiae Dei nostri, levate manus vocesque vestras in caelum. Audiet misericors Pater more suo vota miserorum. Ubi haec minus valeant, petite in nomine eius qui se mediatorem pro nobis constituit apud Patrem, et sua pro nobis merita interponit. Nihil negatur roganti in nomine eius. Et quia magni etiam momenti sunt apud Christum deprecationes Sanctorum, maxime vero beatissimae eius Matris, illos auxilio vocate, illos vobis deprecatores adhibete; hanc vero Ecclesiae verbis

utentes rogate ut monstret se esse Matrem, offeratque suis ipsa manibus vestras preces ei, qui, cum statuisset nasci pro nobis, ex ipsa nasci dignatus est.

Quem in finem praescribuntur novae preces.

9. Iam vero illud cunctis praecipio, ut per dies novem qui proxime praecedent Annuntiatae Virginis festum diem (ubi nondum allatae fuerint hae litterae, eligatur dies quilibet Beatae Virgini sacer), ad id festum nostri se praeparent praecipuis aliquot pietatis exercitationibus per superiores singulos praescribendis, quae ab omnibus in communi, quatenus id fieri possit, usurpentur; idque praeter privatas preces et voluntarios cruciatus, quorum sibi quisque certam mensuram pro arbitrio, seu potius pro suo pietatis ardore sumet, consulto conscientiae moderatore. Denique ut toto anno proximo MDCCLX singuli Sacerdotes unam quotquot hebdomadis Missam celebrent pro nostra Societate praeter consuetam; et valde cuperem haec Sacrificia in eandem omnia diem incidere, cuius rei gratia designare sibi quisque potest diem sabbati. Praeterea ut in omnibus Missis addatur Collecta *pro Congregatione et familia*. Postremo ut qui non sunt Sacerdotes unam singulis hebdomadis coronam recitent pro Societate, praeter eam quae lege praescripta est.

Conclusio.

10. Restat ut omnes et singulos ego orem atque obtester, quod et facio ex intimo animi mei sensu, ut impetrent mihi a Deo spiritum illum, quem in aliis requiro; ne forte meis criminibus divinam

ultionem accersam supra immerentem Societatem. Illud etiam exorent velim, ut Deus sit mea lux, mea fortitudo, mea salus ; meosque gressus omnes dirigat in conspectu suo : quam maxime ob causam sanctis Sacrificiis et orationibus vestris me enixe commendo.

Romae, VIII Decembris, M, DCC. LIX.

RR. Patres Fratresque carissimi,

Vestrum omnium in Christo servus,

LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE CAUSIS SOLACII, DEQUE RECURSU AD DEUM IN EIUSDEM CALAMITATIBUS

1. In tot tantisque calamitatibus quibus Societas nostra, Deo iuste ac misericorditer disponente, premitur, non tam illud timui, Patres Fratresque carissimi, ne earum vi ac multitudine gravia damna sustineret, quam ne vobis concideret animus atque a patientia et fiducia in Deum deficeret. Etenim quod attinet ad primam causam timoris, occurrit mihi statim *sortes nostras in manu Dei* Psalm. 30. 16.

Ne deficiamus a patientia et fiducia in Deum,

positas esse, amantissimi scilicet Patris ; nihil nisi ipsius nutu fieri, omnia ab eo ad nostram utilitatem ac spiritualem profectum ordinari, omnia ex infinito eius in nos amore proficisci.

Multae sunt causae solacii :

2. Atque ex hoc uno fonte innumerae manant solacii causae ; nam cum, testante Propheta, *multae*

Psalm. 33. 20. *sint tribulationes iustorum,* gaudendum nobis est, quod divina benignitas vocet nos, licet indi-

1.° Tribulatio expiat nostra peccata.

gnos et peccatores, in sortem iustorum. Nec vero quicquam de hac solacii causa detrahat ea cogitatio, quod Deus non tam propositam habeat exercitationem virtutis quam punitionem peccatorum nostrorum ; id ipsum enim eximiae misericor-

Tob. 3. 13.

diae est, quod ille, *qui in tempore tribulationis peccata dimittit his qui invocant* illum, deposcat poenas in hac vita, in qua et multo leviores poenas luimus peccatorum, et tolerantia poenarum coniunctum habet fructum ingentis meriti, nec reservat in alteram vitam, in qua, cum peccata expientur poenis longe gravioribus, omni tamen utilitate

Tob. 3. 21.

meriti caret tolerantia poenarum. Itaque *si vita* nostra, ut dicitur Tobiae tertio, *in probatione fuerit, coronabitur ; si in correptione fuerit. ad misericordiam* Dei *venire libebit.*

2° Parat nobis praemia in caelo.

3. Neque hoc tantummodo propositum habet Deus, ut acerbissimis poenis et minus utilibus levissimas ac utilissimas subroget, verum etiam ut nos comparet obtinendis in caelo praemiis amplissimis ; si tamen patienter, si humiliter, uno verbo

si ad Christi Domini Sanctorumque imitationem sustineamus tribulationes a Deo immissas. Haec enim *via* illa *est arta et angusta quae ad vitam* Matth. 7. 14. *ducit,* eamque tanto feliciorem, quanto angustiore via pergamus. Habent trabulationes rationem pretii, quo immensam gloriam veluti coemamus, quod quanto uberius solverimus, tanto abundantiorem gloriam lucrabimur.

4. Ad hunc porro finem obtinendum nullum est instrumentum magis idoneum tribulatione; illa enim, veluti quodam igne, affectus nostri excoquuntur, et ab omni labe ac vitio expurgantur. Nam si quid aut commodi, aut humanae laudis, tacita quadam animi exspectatione quaerebatur a nobis ex iis ipsis laboribus, quos ad Dei honorem et salutem animarum procurandam suscipimus, vel ex religiosa vivendi ratione, quod naturae nostrae vitio ac fraude communis hostis non raro usuvenit: in tribulatione videmus decipi nostram exspectationem, et, cum bonis illis ceteroqui vanissimis fraudari nos intellegimus, sancta quadam desperatione adducti animum paulatim a rebus omnibus terrenis avocamus, omniaque unice ad Deum referre discimus, de cuius fidelitate dubitare non possumus. 3°. Purgat nos ab omni inordinato affectu.

5. Hinc etiam fit, ut miserrimae huius vitae taedium nos capiat, ac mentem erigamus ad desideria caelestis patriae. Caecitas enim et infirmitas naturae nostrae magis rapitur inanis boni prae- 4°. Inspirat taedium hius vitae et desiderium caelestis patriae.

sentia, quam spe veri boni futuri; quare, cum vita praesens nihil habet boni illius inanis, sed angustiis, metu, doloribus undique premitur, illud unum nobis reliquum esse experimento cognoscimus, ut ad beatam illam patriam suspiremus, in quam ubi pedem intulerimus, *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis* nostris.

Apoc. 7. 17.

5° Fovet studium virtutum.

6. Praeterea eam utilitatem affert tribulatio, quod humiles nos reddat et in agendo ac loquendo cautos, et studium orationis excitet. Etenim uti laudes, plausus, favor et aestimatio insitam omnium hominum animis superbiam fovent, ita contemptus, vituperatio, neglectus, sublatis superbiae stimulis, nos in nostrae vilitatis cognitionem inducunt, nec permittunt appetere quod nobis negandum esse intellegimus. Cum vero hominum oculos intentos animadvertimus, ut nos nostraque omnia carpant, criminentur et in malam partem accipiant, cavere assuescimus ne aut verbo aut actione aliqua occasionem obtrectandi praebeamus. Denique cum nulla humana ope expedire nos ab angustiis possimus, oculos levamus ad Dominum, frequentius atque ardentius clamamus ad illum, qui *non delectatur in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facit, et post lacrimationem et fletum exsultationem infundit.*

Tobiae 3. 22.

6° Reddit nos similes Christo.

7. Et sane videt e caelo Deus tribulationes nostras; quas si perferamus ut decet servos Dei, laetatur de triumpho non tam nostro quam suo,

qui per gratiam vincit in nobis ; cum Deo laetantur Sancti, ac nos exspectant futuros *socios consolationum*, sicuti sumus *passionum*. Etenim tribulationibus, veluti *scalpri salubris ictibus et tunsione plurima*, uti canit Ecclesia, imaginem aliquam ac similitudinem filii sui Jesu Christi efformat in nobis Deus, locandam aliquando in beatae aeternitatis fastigio. In Off. Ded. Eccl.

8. Unam adhuc considerationem adicio ad solacium vestrum, quae praecipua est diligentibus Deum. Nemini dubium esse potest tribulationes nostras, quaecumque tandem eae sint, quamcumque causam habeant et quemcumque exitum sint habiturae, divinae gloriae servire. Nihil igitur est quod illae sollicitos habeant nos, qui nimirum Dei gloriam eamque maiorem quaerere in omnibus ex Instituti nostri praescripto debemus. Satis nobis est derivari honorem in Deum ex tribulationibus nostris ; acquiescere nos illis oportet, immo et vehementer lætari, si Deum amamus. 7. Servit Divinae gloriae.

9. Atque hae sunt considerationes *quibus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Quas dnm mente pervolvo, confidens, vos, Patres Fratresque carissimi, reportaturos uberrimos illos fructus quos dixi, si Sanctorum animum gererem, cum Apostolo dicerem : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Et siquidem Deo placeat, hac potissimum ratione defectuum nostrorum Gaudendum igitur in tribulatione. 2. Cor. 1. 3, 4. 2. Cor. 7. 4.

emendationem a nobis veluti extorquere, timorem in nobis suum augere, observantiam regularum, studium orationis, humilitatem, caritatem, mortificationem, contemptum mundi, zelum animarum promovere, rogarem ne retraheret a flagello manum, et ea *mihi* esset *consolatio ut affligens me dolore non parcat*, dummodo exstet hic fructus tribulationum in Societate nostra.

Tob. 6. 10.

Et omnis spes ponenda in Deo,

10. Ceterum dum illis angor et pro mea imbecillitate obruor dolore praesentium et futurorum metu, illud tamen prae omnibus timeo, ne forte vos patientia et fiducia excidatis. Profecto Deus plerumque non sinit diuturnas esse tribulationes nostras, quia infirmitatis nostrae miseratione tangitur, *quoniam ipse cognoscit figmentum nostrum*, et nobiscum agit more patris cui amor cito retrahit manum a correptione filii, et ut *det gloriam nomini suo*, et ut faciat nobiscum *secundum multitudinem miserationum* suarum.

Ps. 50. 2.

Qui exaudit exorantes se.

11. Nec vero difficile est divinam clementiam exorare : dummodo enim spem in ea collocatam habeatis, sed spem dignam divina potentia ac bonitate, quantum in vobis est, res nostrae in tuto sunt. Quis enim vestrum ignorat eam reddi in Scripturis causam cur calamitosi homines liberentur a malis, quod in Deo speraverint ? *Salvabit eos quia speraverunt in eo*, inquit Propheta, et iterum : *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me*, et alibi : *Quoniam in me speravit,*

Ps. 36. 42.

Ps. 37. 16.

Ps. 90. 14.

liberabo eum. Quis non audivit illa : *Deum esse scutum et protectorem omnium sperantium in se.* Ubi advertendum, neminem vere sperantem excludi ; *confidentem non minorandum, sperantem in Domino sublevandum, circumdandum misericordia.* Quis autem timeat ne irrumpant mala quae circumdederunt nos, si fiducia sua obtineat ut circumdantem se habeat misericordiam divinam ? Demum verba illa non possunt sine magna animi commotione legi capite secundo Ecclesiastici, et libro primo Machabaeorum capite secundo, ubi provocamur respicere nationes omnes ac gentes, et intellegere *quia nullus speravit in Domino et confusus est,* cogitare praeteritas omnes generationes, et videre, *quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur.* Quod cum in omnibus nationibus et generationibus cognoscere possimus, nostra etiam experientia docemur, si recolamus quotiens maiores nostros calamitatibus pressos eruerit a malis Deus, sane quia speraverunt in eo. Si vero maiora nulla aut aequalia perpessi sumus, consequens est, vividiorem esse debere spem nostram quam fuerit maiorum nostrorum ; quia *non* est *differentia in conspectu Dei caeli, liberare in multis et in paucis.* Itaque accedamus *cum fiducia ad thronum gratiae* ; invocemus *Dominum de tribulatione* et exaudiet nos ; extrahet nos *de aquis multis, eripiet de angustia ;* quia *potens est* Deus *ex omnibus salvare,* et *dives est in misericordia.*

2. Reg. 22. 31. Ps. 17. 31. Eccli. 32. 28. Prov. 29. 25. Psal. 31. 10. Eccli. 2. 11. 1. Mach. 2 . 61 1. Mach. 3. 18. Ps. 117. 5. 2. Reg. 22. 17. Job. 36. 15. Sap. 14 4. Ephes 2. 4.

Itaque indicuntur novae preces ;

12. Quare, quod singulis superioribus annis praestiti, ut preces indicerem, tanto impensius hoc anno facio, quanto maiores calamitates et premunt et ingruunt. Et ego quidem libenter feram omnes annos meae gubernationis esse mihi annos tribulationis, dummodo iidem sint vobis anni orationis et precum ; securus videlicet, Deum numquam subtracturum nobis misericordiam suam, quam diu non subtrahit nobis spiritum precum, iuxta illud psalmi : *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.*

Ps. 65. 20.

Et quidem triplex pietatis exercitium,

13. Tres autem in annum proximum exercitationes pietatis suadendas, immo et mandandas putavi : prima est, ut singuli diebus singulis semel accedant ad sanctissimum Sacramentum, ibique pro opportunitate ac pietate sua implorent Societati nostrae propitiationem divinam. Quod quidem etsi non possit, saltem ubique et ab omnibus, fieri certa quadam hora et communi concursu, non propterea de singulorum pietate dubitabo, ne forte omittatur ab aliquo, nisi prohibeatur iusto impedimento. Videant omnes publicam calamitatem ad singulos pertinere ; videant quantum Societati debent, a qua ad virtutem sunt enutriti ; caveant ne aliquorum culpa patiatur diutius tota Societas. Altera sit, ut Litaniis Sanctorum, quae cotidie recitari solent ac debent, praemittantur Litaniae beatae Virginis. Tertia, ut ante quinque sollemniores beatae Virginis sollemnitates, quae de

praecepto celebrantur, per triduum in singulis nostris domibus spatio saltem semihorae oretur ab omnibus ante imaginem eiusdem aut reliquiam, sive in privato sacello, sive in templo ianuis clausis. Ceterum ii in quibus non languet pietas erga Deum et boni communis studium, non contenti his levioribus, adicient ipsi ultro orationes plures, poenas sponte susceptas aliaque pietatis opera. Implorate autem apud Patrem et Filium eius Iesum Christum adiutores et patrocinatores ; primum quidem beatissimam Virginem, de qua non est auditum a saeculo, quemquam ad eius currentem praesidia esse derelictum ; tum vero sanctos Angelos Societatis nostrae custodes, sanctos Iosephum et Ioannem Nepomucenum, quos ipsa sibi peculiares patronos ascivit, atque illos qui virtutibus eam viventes exornarunt, nunc vero e caelo protegunt ; ut multiplicatis intercessoribus largiatur nobis Deus suae propitiationis abundantiam.

Cum precibus autem coniungatur vita iustorum.

14. Denique velim vos diligenter animadvertere, non quorumcumque, sed iustorum precibus et clamoribus auxilium in tribulatione promitti ; nam *oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.* Ps. 33. 16. *Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos ; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.* Ibid. 18. *Exquisivi Dominum et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Ibid. 5. Recolite spem fieri timentibus Deum, iuxta illud : *Qui timetis Dominum sperate* Eccli. 2. 9.

Eccli. 2. 6. Psalm. 36. 3. *in illum. Dirige viam tuam et spera in illum* ; *spera in Domino et fac bonitatem.* Itaque, ut firma sit spes vestra, ut preces vestrae vim habeant, bonitatem facite, sectamini omnem iustitiam, quaerite Deum ac timete, praesertim filiali illo timore, qui omnem vel levissimam Patris offensam horret ; dirigite vias vestras iuxta regularis observantiae sanctissimas leges ; contendite finem assequi quem propositum habet amantissimus Pater, ut per tribulationes mores nostri emendentur in melius, et virtutum studium augeatur.

Conclusio. 15. Haec scripsi, ut qua possum ratione vobis solacium afferrem, quo nullum profecto certius ac solidius ; ac mederer etiam dolori meo, qui ex ipso vestro dolore multum augetur. Itaque finem faciam ; et utens verbis illis Apostoli, quae quicquid fusius exposui breviter complectuntur, rogabo Rom. 12. 12, 13. vos, ut sitis *Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.* Po- Rom. 15. 13. stremo ad caelum conversus oro, ut *Deus spei repleat* vos *omni gaudio et pace ;* ac me in vestris sanctis Sacrificiis et orationibus commendatum impense volo.

Romae, XXX. Novembris. M. DCC. LXI.

RR. Patres ac Fratres carissimi,

Vestrum omnium in Christo servus,

LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE FERVENTI IN ORATIONIBUS PERSEVERANTIA

IN CALAMITATIBUS EIUSDEM

Perseverante tribulatione, perseverare debet in oratione fervor, 2. Petr. 1. 13.

1. Etsi ad ferventem in orationibus perseverantiam satis per se ipsa nos hortatur etiamnum perseverans calamitatum nostrarum acerbitas, nihilo tamen minus *iustum arbitror, suscitare vos in commonitione ;* tum quod humiles quidem sed diligentes nos esse consiliorum suorum indagatores atque interpretes divina jubeat providentia ; tum quod non nullos forsan levius quam par sit publica pungat tribulatio, qua nihil aut certe parum privatis ipsorum commodis detrahitur ; non nulli vero alii, defixis solummodo in visibile flagellum obtutibus, in eam qua agitatur invisibilem manum oculos minime intendant. Quin et contingit, ut, tametsi quantum durat tantum reapse in dies ingravescat tribulationis pondus, attamen stuporem quendam, veluti obducto animis callo, inferat ea ipsa mali diuturnitas, seu quia ab

assuetis non fit passio, seu quia iis facile assuescat malis animus, quibus afferri remedium posse desperat.

Quia a Deo immittitur calamitas,

2. Sed procul a nobis, Patres Fratresque carissimi, ista cordis duritia ; quae uti paterna Dei consilia proposito sibi fine defraudaret, sic nobis patientiae laudem praemiumque adimeret, et ab iis nos retraheret pietatis christianae instrumentis, quae si incessanter fideliterque tractentur, adeo in divinam misericordiam aliquando tandem valitura sunt, ut per ea ipsa tristitia nostra in gaudium convertatur. Quam ob rem numquam, ut verbis utar Apostoli, numquam verborum *consolationis obliviscamini*, quibus vos Deus tamquam filios carissimos compellans ad patientiam hortatur : *Fili mi, noli neglegere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris.* Neque enim fas est, animi aequanimitatem, qua toleranda est tribulatio, tribulatione frangi aut imminui ; namque *iustum est subditum esse Deo.* Haec tribulatio, quem ad modum a Deo est, ita et Deo placet ; quod quidem nobis satis esse debet, ut non modo quiete ac demisse ab unoquoque nostrum suscipienda sit, verum etiam placere debeat, nostra videlicet cum divina consentiente voluntate. Et vero, quid velle sapienter atque utiliter possumus, nisi quod vult ipsemet Deus ; et praeter id quod Deo placet, quid placere nobis uspiam potest ?

Hebr. 12. 5.

Prov. 3. 11.

2. Mach. 9. 12.

Cuius voluntati conformanda nostra.

Sed, ut haec

3. Verum ista voluntatis nostrae cum divinis

placitis consensio tantum abest, ut doloris sensum retundat, ut contra hinc potissimum doloris praesentia arguatur. Ecquid enimvero grati muneris is Deo offerat, in quo omnem doloris sensum dolendi consuetudo compresserit atque exstinxerit? Neque hunc porro exstinguit divinum ipsum auxilium; cuius id unum proprium est, ut nos in patiendo fortes constantesque efficiat; cuius mira plane ea virtus est, ut vel internas animi afflictiones ineffabili quadam suavitate temperet, sic prorsus, ut prae caelestium deliciarum ubertate has Apostoli voces sanctae cuivis animae eliciat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. 4.

conformitas non minuit doloris sensum,

4. Ceterum quem ad modum de doloris acerbitate nihil detrahit christiana divinae voluntati conformitas, ita neque de orationum nostrarum fervore detrahere quicquam debet. Quandoquidem, qui verus magister noster est, Christus postquam humilem hanc orandi formulam, *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra,* praemisisset, alteram hanc continuo subiunxit: *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie*; quin amirum edoceremur, pro impetrando temporali etiam subsidio Patri caelesti esse supplicandum.

Ita nec de fervore orationis quicquam detrahere debet.

5. Itaque, Patres Fratresque carissimi, *cum a Domino qui fecit caelum et terram auxilium* exspectemus, numquam profecto aliunde profecturum, ad hunc denuo recurramus. Ad thronum Psalm. 120. 2.

Quare continuandae hactenus prae-

scriptae preces, gratiae eius gemitus cordis nostri iterum evolent, et ore in novas preces soluto clamare ne pigeat : Ps. 89. 13. *Convertere, Domine, et deprecabilis esto super servos tuos* ; ne pigeat, inquam, maiore fervoris intentione obsecrare ut, sin minus meritis nostris, at solitae saltem benignitati suae aliquid indulgeat ; ut tam diuturnis servorum suorum precibus ac suspiriis exorari se tandem et expugnari patiatur. Quapropter volo atque iniungo ut, quae annis proxime superioribus, eadem et per annum proxime venturum pietatis exercitia nostri omnes obeant : singulis diebus recitentur Litaniae beatae Virginis Mariae, triduum orationis ante praecipua eiusdem festa peragatur, et fiat cotidiana sanctissimi Sacramenti visitatio.

Quarum usus aeque facilis, utilis, et suavis ; 6. Et harum quidem exercitationum usus admodum facilis est, privatae singulorum utilitati promovendae appositus, immo et suavis.Eccui enim non suavis Mariae invocatio ? Eccui non suavissima Iesu Christi praesentia ? Hanc igitur ne ullus praetermittat neglegatve, non est quod vereri debeam.

Et communiendae sanctitate morum, At meminisse vos oportet, tanto acceptiores Deo, tanto ad commovendam ipsius misericordiam potentiores orationes fieri, quanto qui orat moribus sanctior est et virtute perfectior : Ps. 33. 18. *Clamaverunt iusti*, ait regius vates, *et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos* ; Prov. 15. 29. et in Proverbiis : *Dominus orationem iustorum exaudiet.* Quid quod et ipsimet nos in

efflagitandis precum subsidiis commuui fidelium opinione ducimur: eo enim se vertit maior nostra fiducia, ubi maiorem deprehendimus vitae sanctitatem ; eosque nobis inter homines apud Deum patronos seligimus, quos Deo gratiores opinamur, neglectis profecto iis qui in Christi familia numerus tantummodo sunt, nullaque conspicua virtute commendantur.

Qua oratio fit efficax,

9. Porro hac dote, morum scilicet sanctitate, orationes vestras ornari ac communiri vehementissime cupio ; quae quidem dos quamquam orationi extrinsecum quid haberi potest, ab ea tamen vim omnem suam intrinsecam trahit oratio ; quippe quod non tepidae, non remissae, sed piae et sanctae animae sit, humilitatem, fiduciam atque perseverantiam precibus suis innectere. Quod si omnes ac singuli Societatis homines in Dei obsequio ferventes forent, si quot socios tot sibi cerneret eximie amicos Deus, an quicquam, rogo vos, an quicquam tanti umquam pretii sit, quod a divina benignitate exspectare ac merito sibi vindicare coniunctae simul universae Societatis supplicationes non valeant? Quam velox, quam certa reportandi subinde beneficii nostra ad thronum Dei evolaret oratio, si, quo tempore ad cotidianam sanctissimi Sacramenti adorationem, seu ad Litaniarum recitationem tota religio convenit, tum eadem ferme hora preces ab hominibus funderentur, qui sincere ab iis abhorrescant quae mundus amat et amplecti-

tur, deliciis, magni nominis existimatione, honoribus, at admittant ac concupiscant quicquid Christus amavit et amplexus est, contemptum, paupertatem, dolores; quorum maius ac impensius studium sit quaerere maiorem in rebus omnibus abnegationem; qui rectam habeant intentionem non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares; qui eo prompti sint ad minimum superioris nutum pergere, quo maius Dei obsequium vocat; demum qui eo *igne* ardeant, quem Christus *venit mittere in terram?* Iam vero qui vel unius fidelis servi preces exaudit Deus, an fieri queat, ut tot hominum sibi religiose supplicantium votis non annuat, ipsimet pronuntiate.

Luc. 12. 49.

Et perfectione vitae iuxta nostras regulas.

10. Atqui tales revera dum oramus nos esse deceret; quippe, quae a me superius delibatae sunt regulae, eae ipsae sint praecipua Instituti nostri fundamenta, eae ipsae, quibus observandis studiosius incumbendum. At enim haud ab omnibus par exspectanda aut exigenda perfectio: et istud quidem novi; sed novi etiam, praestari multum ab omnibus posse pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae; et certe uberrima est in singulos divinae gratiae effusio: praeterquam quod ab ipso vitae Instituto omnibus impositum est, ut ad egregium quempiam perfectionis gradum singulus quisque aspiret. Scio equidem, et maerens scio, numerosam religiosorum familiam ineluctabili quodam fato, et ita ferente imbecilla hominum natura,

non nullos tepidos ac remissos complecti; scio *necesse* esse iuxta divinum Christi oraculum *ut veniant scandala*; at tepidis istis hominibus, praecipue vero iis qui, ut ait Hieronymus, *quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo faciunt ut per se fiat*, iis, inquam, in mentem haec eiusdem Christi verba revocare libet, ac serio perpendenda proponere: *Verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit.* Matth. 18. 7. Comment. in Matth. 18. Matth. 18. 7.

11. Verum contracto dicendi argumento, tres iuvat virtutum species attingere, quas prae ceteris suadeam; non quasi de iis fuse disserere mihi propositum sit, sed quod practica quaedam consilia suggerant ad illud quod efflagitamus beneficium consequendum aptissima; et has forte virtutes vult Deus perfectius excoli a non nullis, paratus postmodum, si iuxta voluntatem suam excolantur, preces nostras exaudire. Tres praecipue commendandae virtutes:

12. Igitur ab humilitate mihi exordium sit. Nostis apprime, Patres Fratresque carissimi, a Deo nos ad procurandam promovendamque sui gloriam fuisse servi sui Ignatii opera vocatos ac destinatos. Porro si, postposita Dei gloria, privatum cuiusque honorem unicum sibi finem labores nostri definiant ac constituant; ecquis nostrum adeo stolide sibi blandiatur, ut speret Societatis nostrae saluti Deum paterne invigilaturum, aut ipsummet Societatis fundatorem Ignatium pro conservando opere suo divinae maiestati sollicite supplicaturum? Tunc 1.° Humilitas, qua privatus honor contemnitur.

Matth. 5. 13. profecto, tunc fieret Societas *sal* istud *infatuatum*, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.*

Defenditur Societatis decus,

13. Neque nos decipiat Societatis decus. Tuendum sane diligenter, strenue promovendum decus istud Societatis; sed eo tantum consilio ac fine, ut uberior hinc dimanet in proximum utilitas, ut efficacior in amplianda Dei gloria virtus enascatur. Tuendum Societatis decus morum puritate, colloquiorum sanctitate, indefesso animarum salutis studio; non vero putidis propriorum meritorum encomiis, non maledicentia, non aliorum contemptu. Praeterquam quod valde metuendum est ne sub hoc laudabili communis famae velamine perversa lateat privati hominis cupido; eo quod non nisi qui ex privato nostro splendore redundet, publicus nos ut plurimum oblectet splendor, et vilescat plerumque quae per alios parta sit religioni gloria, unde nihil in nos derivatur.

Et promovetur gloria Dei.

14. Facile quidem dictu est: Ad honorem et gloriam Dei; sed, ut etiam sancta illa verba nihil inanis gloriae interdum redoleant, utinam in gloriam Dei operari tam facile sit! Qui velit in hunce finem agere, illi procul dubio propria despicienda sunt commoda; privatus omnino posthabendus honor adeo, ut soli Deo intentus sui plane obliviscatur. Denique Deum, ut sanctum suum nomen clarificet, numquam sincero corde precabimur, nisi simul precemur cum Davide, ut nulla nomini

nostro gloria obtingat: *Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam.* Psal. 113. 9.

15. Paupertas altera illa virtus est quae ad consequendum orationum nostrarum finem videtur potissimum conducere. Haec Christi, *qui egenus factus est, cum esset dives,* insigne est ; atque adeo ab evangelicis de voluntaria paupertate consiliis suas de rebus caelestibus institutiones auspicatus est: *Beati pauperes spiritu!* Sequitur socios Christi paupertate tamquam propria quadam nota esse dignoscendos ; cum nulla alia vel ipsimet Apostoli sectatores se eius ac socios professi sint: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Hace igitur nota insignitas in caelum penetrare preces nostras oportet ; ut has, tamquam filiorum, non vero extraneorum preces admittat Sanctus Ignatius, supremo offerat numini, de procurando earum exitu confidenter satagat, ac denique ut Christus Societatis suae, genuinis signis decoratae ac sibi probatae, tutelam tandem suscipiat.

2°. Paupertas, imitatione Christi. 2. Cor. 8. 9.

Matth. 5. 3.

Matth. 19. 27.

16. Christum equidem imitandi animo paupertatem vovisse nos Deo verum est ; sed angustioribus haec sane circumscribi finibus videri possit, si extra dominii privationem et superioribus in rerum usu subiectionem non excurrat, neque amet aliquos paupertatis effectus experiri. Namque si post impressa Christi crucifixi vulneribus oscula, si post fusas piae in patientem commiserationis lacrimas, conversis in eundem denuo oculis,

Experiendo etiam eius effectus,

paupertatem eius cum nostra conferemus, erit profecto, erit cur prae pudore vultus nobis concidat, ac legitimo utique rubore suffundatur. Quod quidem plures sanctae animae, etsi multo magis quam nos divinae conformes imagini, expertae sunt.

Et regulas de illa perfecte servando.

17. At eo saltem procedat paupertas nostra, ut, si quid desit, id ferat sine querelis ; ut solito Societatis victu contentus sit, ac supellectili iuxta regulae praescriptum ut pauperibus accommodata ; ut, servata in omnibus religiosa simplicitate, quicquid saecularem luxum, mundanas prae se fert delicias, constanter repudiet ; ut ab omni abhorrescat singularitate, nihil ultra necessarium appetat, atque, quod extra usus nostros positum sit, id omne pro superfluo habeat et procul ableget. Ad hunc perfectionis gradum, in quo certe, cum neque altior sit nec nimis arduus, deberent omnes conscendere, facilis futurus est cuivis ascensus, si, rite ea per meditationem perpensa paupertate quam amplecti haud sibi dedecus arbitratus est Christus, tanto nos exemplo commoti atque illecti eiusdem in cordibus nostris amorem exsuscitaverimus.

3°. Oboedientia, qualem docuit S. Pater, et Societatis esse voluit signum proprium,

18. Postrema demum ea virtus est qua Societatem inter ceteras Religiosorum familias tamquam signo proprio distinctam voluit Sanctus Ignatius, perfecta nimirum oboedientia ; de qua certe non ausim ego disserere, posteaquam naturam eius ipsemet Societatis auctor in sua mirabili epistola

tam scite explicuit, gradus distinxit, praxim edocuit, eius consequendae rationem commonstravit, et potissima quaeque, quibus ad eam perfecte exercendam invitamur, argumenta atque excitamenta subministravit. Quam ob rem sat mihi erit, si vos obiter praemoneam, ne in re utique gravissima in errorem quempiam impingatis.

19. Advertit beatus Pater, minime vetari, si quid forte a superioris sententia diversum occurrerit, quominus ad eum referri id queat ; atque in Constitutionibus diserte pronuntiat omnibus, cum animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliud necessarium esse circa victum, vestitum, officium aut habitationem, de eo licitum esse superiores praemonere. Ea, per me licet, Patres Fratresque carissimi, ea tam legitima, tam prudenti, tam paterna fruamini indulgentia ; at numquam, obsecro vos, ab eiusdem usu varias quibus circumscripta est cautiones seiungite. Nostis enimvero, ipso edocente Ignatio, in qualibet proprii iudicii contra superiorum ordinationes manifestatione magnum subesse periculum, ne nos amor nostri decipiat. Ergo interrogandus luminum Pater ac dator, utrum necne ad superiorem referre expediat ; sed ne perfunctoria neve anxia sit oratio ; sit vero quieta, atque divinae voci audiendae excipiendaeque accommodata ; nec pro divino habeatur oraculo dolosum cupiditatis commentum. Habenda insuper ante et post propriae sententiae manifestationem

In primis cum quid occurrit a Superioris sententia diversum.

ea tantopere a sancto fundatore inculcata animi aequanimitas, non solum quod ad exsecutionem et voluntatem, sed quod ad ipsum etiam iudicium. Neque porro voluntatem Dei in superioris ordinatione intuentibus difficilis videbitur ista animi indifferentia.

Alia S.Patris documenta

20. Vobis praeterea reclamationem quampiam contra oboedientiae placita cogitantibus cetera in mentem redeant Sancti Ignatii documenta. Advertite, ab eo passim inculcari non esse renitendum, non contradicendum, immo ne vel minimam quidem nostrum inter et superioris iudicium propalandam diversitatem; haud exspectandum expressum superioris praeceptum, sed ad levissimum voluntatis eius signum alacriter parendum; haud satagendum de detorquenda ad nostram eiusdem voluntate; contra vero ei liberam nostri rerumque nostrarum dispositionem relinquendam; nostras in omnibus ubi peccatum non cerneretur, quod semper intellegendum est, cum eo quod ille vult ac sentit conformandas voluntates; et ubi difficilia ac secundum sensualitatem repugnantia iuberi contingat, tum etiam prompte, fortiter, cum debita humilitate, sine excusationibus vel obmurmurationibus oboediendum.

Et incitamenta.

21. Veniat item in mentem desumpta ista a senis baculo et a cadavere tam apta similitudo, per quam religiosi vere oboedientis docilitas adumbratur; veniant et nostrae incitationi pariter atque

admirationi proposita veterum coenebitorum istorum exempla, quorum, iubente superioris voce, in suscipienda non inutilia tantum, sed et impossibilia, voluntas conatusque ferebantur.

22. Demum cum de oppugnando superiorum iudicio agitur, has, quaeso, quam suaves tam efficaces in memoriam rationes revocate, quibus ad perfectam nos oboedientiam Sanctus Ignatius hortatur ac stimulat. Pudeat, inquit ille, religiosos pudeat viros, propter humanum quempiam finem oboedire ; a vobis tam futtilem, tam vilem agendi causam avertat Deus ; haec oboediendi unica causa sit, amor Dei ; quam ille vobis libertatem largitus est, hanc ei per oboedientiam plane redditis ; perficitur, non perit, quod datur Deo. Verius enim Deo quam homini oboedientiam profitemur ac deferimus ; cum homo nihil aliud sit praeter Dei ministrum, ac vivum quoddam organum, per quod divina nobis voluntas declaratur. Hance virtutem Spiritus Sanctus in sacris litteris diserte praedicat ; hanc ipsis interdum miraculis Deus comprobavit ; hanc sancti quotquot fuere homines exercuere ; hanc vel ipse Dominus noster Iesus Christus ad institutionem nostram, traditis eiusdem admirandis plane exemplis, amplexus est. Ceteras omnes menti vestrae virtutes perfecta oboedientia inseret, omnes vos suavi ac mutuo caritatis vinculo colligabit. Eam afferet animae quietem et exsultationem, quam nesciunt neque scire umquam possunt viri

Quibus nos docuit oboedire Superioribus tamquam Deo,

indociles. Haec ad summos in virtute qualibet atque in divino obsequio progressus viam sternet; haec ad veram Dei cognitionem, ad verum amorem animos vestros trahet, quae vos in hac vitae peregrinatione gubernabunt ac regent, et ad felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam perducent.

Et ad idem hortatur e caelo.

23. Hic procul dubio, Patres Fratresque carissimi, Patris vestri amantissimi non sensus modo, sed ipsa etiam verba agnoscitis; Patris, inquam, Ignatii, cuius, dum viveret, id unicum studium fuit, ut per rectissimum perfectionis tramitem ad altum in caelo gloriae gradum quemque vestrum eveheret. Ex eo autem ipso quem iam obtinet caelestis splendoris throno, uti olim in terra, obsecrat vos atque obtestatur, ut ad oboedientiam comparandam tota virium contentione incumbatis, vosque exhibeatis ea virtute praestantissimos. Tam dulcem adhortationem eius ac documentorum memoriam nolite umquam abicere; at tum praesertim vestris obversentur oculis, cum superiorum ordinationibus repugnare subit; haec scilicet ab omni vos errore propriique iudicii illusione tutissimos praestabunt.

Conclusio.

24. Has itaque speciatim virtutes, sed et ceteras praeterea expedit, ut sui comites, atque ut ita dicam ad thronum Dei veluti proxenetas, preces nostrae habeant; quas quidem nisi adiungamus, perinde futurum est ac si iuxta Ieremiam densis-

simam nubem, qua preces ipsae intercipiantur ac retorqueantur, nos inter et Deum opponamus: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Contra vero iisdem stipata ac suffulta virtutibus nostrum omnium oratio ea ipsa erit quae teste Iacobo apostolo *multum valet*, si *assidua* sit; erit enim *iustorum* illorum deprecatio, quibus, ut Spiritus Sanctus loquitur, *a Domino salus*; quorum Deus *protector* est *in tempore tribulationis*, a quibus non aufert oculos suos, quorum *calles custodit*, *habitacula benedicit*, vias *dirigit*, debilitatem confirmat. Sic parati, Patres Fratresque carissimi, orate; et plus etiam pro impetrandis mihi ceterisque sociis iis ipsis virtutibus, quam pro depellenda tribulatione, orate. Sorte etenim nostra semper contenti erimus, si hoc nobis poterimus cum Apostolo testimonium tribuere: *Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.* Vestris sanctis Sacrificiis atque orationibus me enixe commendo. Thren. 3. 44. Cap. 5. 10. Psal. 36. 39. Prov. 2. 20. Prov. 3. 33. Rom. 14. 5.

Romae, XIII Novembris, M. DCC. LXIII.

RR. Patres ac Fratres carissimi,

Vestrum omnium in Christo servus,

LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE CONFIRMATIONE NOSTRI INSTITUTI FACTA

A SS. D. N. CLEMENTE XIII

Novam Instituti Confirmationem excipiamus cum gratiarum actione et humilitate,

1. Mitto Reverentiae vestrae exemplar nuperrimae Constitutionis Apostolicae, qua Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XIII, divina Sanctae Romanae Sedis iura asserturus, et nostrarum calamitatum pro eximia sua in afflictos pietate misertus, denuo approbat et confirmat Societatis nostrae Institutum. Quid enimvero in hac temporum iniquitate opportunius ad nostrum solacium optari potuit, quam quod voce sua ipse in terris Christi Vicarius, quem qui audit Christum ipsum audit, erigere nos dignetur, et ad susceptam vitae rationem tuendam ac diligendam excitare ? Curandum modo nobis est, ut ex hoc singulari Dei beneficio fructum quem possumus uberrimum percipiamus. Ac primo quidem corda nostra effundamus coram Deo, gratias agentes patri misericordiarum ac Deo totius consolationis, qui

consolatur nos in omni tribulatione nostra. Contra vero caveant omnes ne beneficium divinum arrogantia corrumpant ; sed laetitiam modestia, sobrietate, atque humilitate debita temperatam coram hominibus exhibeant.

Eius finem et media novo ardore amplectentes,

2. Deinde meminerint omnes quantopere conveniat suo Instituto congruere eos qui illud profitentur : pius est ac sanctus finis quo Institutum spectat, pia ac sancta media quae ad eius consecutionem adhibenda proponit, testante Christi in terris Vicario. In eum itaque finem intendant cogitationes nostrae omnes et consilia, nullumque putemus medium neglegendum ex iis quae nostris Constitutionibus continentur ; ita porro fiet, ut ad pietatem et sanctitatem actiones nostrae et vita universa conformetur.

Et devoti erga summum Pontificem,

3. Praeterea summum esse oportet obsequium nostrum in sanctam Apostolicam Romanam Sedem, paratissimam oboedientiam et eximium studium ; quod a nobis requirit tum auctoritas ipsi a Christo collata, tum peculiaris nostri Instituti ratio, tum denique postulant plurima eaque singularia beneficia quae in nos ab ea profecta sunt. Porro si hos fructus ex caelesti hoc beneficio ceperint nostri omnes, quod maxime opto, dignos se reddent novis divinae misericordiae largitionibus.

Pro quo praescribuntur preces.

4. Denique cum Sanctissimus Pontifex Clemens XIII et alia sane multa, et publicum hoc ac sollemne monumentnm dederit paternae erga nos

pietatis ac benignitatis, oportet nos ea qua possumus grati animi significatione amplissimum beneficium prosequi. Itaque Reverentia Vestra haec omnia animi mei sensa in tota provincia promulgabit, et iubebit a singulis sacerdotibus celebrari sex Missas, et a fratribus recitari totidem coronas, pro eodem Summo Pontifice ; ut Deus nobis et universae Ecclesiae Pastorem ac Patrem optimum diu servet incolumem, eique prospera omnia concedat, ac sancta ipsius consilia caelesti auxilio secundet. Ac me in SS. SS. et orationibus commendatum velim.

Romae, XVI Ianuarii, M. DCC. LXV.

R. V.

Servus in Christo,
LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PROVINCIALES SOCIETATIS

DE PRECIBUS FERVENTIUS PRAESTANDIS PRO GRAVIORIBUS EIUSDEM PERICULIS

Tribulationes, quae

1. Superioribus annis, cum gravissimis calamitatibus undique premeremur, non defeci muneri

meo ; et quamvis dolore obrutus omnium maxime indigerem qui me in amaritudinibus animae meae consolaretur, et ad fortiter ferenda tot adversa erigeret, non destiti quibuscumque potui rationibus exhortari vos ad patientiam, ad sperandum in necessitatibus nostris auxilium a Domino Deo nostro per Iesum Christum eiusque sanctissimam Matrem, quos praecipue advocatos apud Deum constitui *ad interpellandum pro nobis.* Neque vero sollicitudo mea et preces vestrae optato fructu omnino caruerunt. Constantia animi ac fortitudo, nullis incommodis fracta, nullis aerumnis debilitata, qua fratres nostri, a patria extorres, terra marique iactati, tot tantaque infortunia maxima omnium admiratione non patienter modo, sed hilari ac laeto vultu, ut olim Apostoli, tulerunt, argumento sunt, et quibus ipsi principiis tot inter aerumnas niterentur ac regerentur, et peculiari quadam ratione Deum affuisse ad illos corroborandos in patientia. Nondum tamen Deo placuit nos eruere a tribulationibus nostris, vel quod nondum plene liberi simus ab iis culpis quibus causa malorum nostrorum humili ac sincero corde a nobis tribuenda est, sive quod nostra patientia delectatus in aliud opportunius tempus consolationem nostram reiecerit.

nondum cessarunt,

Ad Hebr. 7. 25.

2. Quaecumque tandem fuerit causa, non nimis curiose inquirenda, quod inutiliter fieret, cur nostris votis non omnino obsecutus sit Dominus ;

In patientia et spe sustinendae,

Eccli. 2. 3. *sustinendae* aequo animo sunt *sustentationes* eius; et exspectandum tempus miserationum eius in patientia et spe. In patientia quidem exspectabimus, si cogitaverimus quaecumque nobis adversa accidunt ex iustissima Dei voluntate et consilio accidere, Patris scilicet nostri amantissimi, omnia ad utilitates nostras et gloriam suam dirigentis. In spe vero, si cogitaverimus non consuevisse amantissimum Patrem suos filios in se sperantes deserere et orantes repellere. Hac spe freti non cessemus clamare ad Dominum : exaudiet ipse aliquando preces nostras, si manentes permanserimus in ieiuniis et orationibus. Quod eo ferventius praestandum est, quod ad praeteritas calamitates mora et diuturnitate acerbissimas nova accedant et graviora immineant pericula : neque enim una aut altera pars, sed postremis hisce temporibus, ut notum est, tota ipsa Societas vehementer impetitur. *Dirigatur* igitur *oratio* nostra *sicut incensum in conspectu Domini* : nempe ex corde dolore contrito et igne caritatis incenso, ut pro periculi magnitudine et uniuscuiusque in communem Matrem periclitantem studio, sint preces nostrae.

Eo ferventius orando, quod nova pericula immineant toti Societati.

Psal. 140. 2.

Quare praescripta pietatis officia peragantur cum animi contentione et fiducia,

3. Et quoniam omnia pietatis officia alias a me praescripta, quibus insistendum est donec Dominus misereatur nostri, pertinent ad obsequia quaedam certis temporibus exhibenda vel beatae Virgini, vel sanctissimo Cordi Iesu, velim vos, cum ad ea

praestanda acceditis, et tota animi contentione, et certa quadam spe ac fiducia obtinendi quod petitis, accedatis. Animi contentionem excitabit praesens periculum ; fiduciam vero, cum Virginis patrocinium imploramus, si cogitemus eandem et matrem Dei esse et matrem nostram : nam, quod mater Dei sit, eam plurimum apud Filium suum auctoritate valere ad impetrandum, quod vero mater nostra sit, eam vehementer tangi ac commoveri calamitatibus nostris necesse est. Cum vero vel in cotidiana sanctissimi Sacramenti visitatione, vel in festo sacratissimi Cordis Iesu, ad ipsum oraturi accedimus, velim vos ad spem excitandam fovendamque recordari immensi illius erga nos amoris, ac praesertim eorum verborum quibus, cum apud nos viveret, veluti Cor suum amantissimum ostendens, omnes laborantes et sub onere fatiscentes, ut ad se, tamquam ad domum refugii, solamen in aerumnis suis reperturi confugerent, suavissime impellebat dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Sua haec ipsi promissa et nostras calamitates quibus obruimur proponamus : non poterit ad haec Cor Iesu sua iam sponte ad misericordiam pronum non commoveri. Quod si, ut aliquando fit ad exercendam nostram fidem, surda aure veluti dormiens nostras preces videatur excipere, ne cadamus animo, sed validius clamemus, usurpantes confidenter ea Psalmi verba : *Exsurge,*

Ad Mariam,

Et ad SS.Cor Iesu ;

Matth. xi. 28.

Ps. 43. 23, 26.

quare obdormis, Domine ; exsurge, et adiuva nos ; vel quibus usi sunt Apostoli, cum ex subito exorta tempestate vehementer periclitarentur : *Salva nos, perimus.* Ad quae verba surgens Iesus, qui in eadem navi vehebatur et dormiebat, *increpavit* ventum et tempestatem aquae ; et cessavit, et *facta est tranquillitas.* Illud tamen cavendum maxime, ne nimius timor spem nostram obruat vel infirmet ; ne et ipsi increpemur ut tunc Apostoli : *Quid timidi estis modicae fidei ?* Nihil enim magis infringit vim precum nostrarum quam modica fides nostra, quae tamquam nubes opponitur ne transeat oratio nostra.

Matth. 8. 25, 26.

Et fiat praeterea novendialis devotio ante festum S. P. N.

4. Ad haec pietatis exercitia a me iam statuta, tota animi contentione etiam in posterum peragenda, hoc anno alterum addatur velim ; nempe ut novendialibus ante festum sancti Parentis nostri Ignatii omnes conveniant oraturi saltem per mediam horam. Quo tempore omnes, ad optimi Parentis pedes provoluti, intimis illum precibus exoremus, ut filios suos et quam instituit Societatem, ad proelianda proelia Domini et eius gloriam propagandam ipse apud Deum suo praesidio tueatur. Ut autem vim suam nunc obtineant preces nostrae, illis addantur ea virtutum ac praesertim mortificationis exercitia, quae pro cuiusque studio ac superioris arbitrio opportuniora videbuntur. Atque ad illius erga nos studium maiorem in modum provocandum, velim ut his novendialibus unusquisque animum

ad se serio intendat, sinceroque corde recogitet de vitae suae ratione emendanda ad formam, exempla, documenta, quae nobis ille reliquit, ut ita S. Pater reperiat in nobis agnoscatque se ipsum imitatione expressum. Iuverit quoque huiusmodi reformatio, ut tacita quidem at nihilo minus clarissima maximeque convincens defensio quae a nobis adhiberi queat. Hoc tempore, plus quam alio quocumque, *spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Omnes intentos ad nos oculos habent, omnes nos studiose considerant: amici quidem, ut ex vita nostra ad regularum normam composita fortissimum capiant defensionis nostrae argumentum; adversarii vero, ut, quod in nobis reprehendant, et quo aversum a nobis animum probent, reperiant. Quapropter maximo animi affectu omnes exoro Apostoli verbis utens, *ut operam detis, ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.* Ne simus contenti interiore illa virtute quae nos oculis Dei acceptos reddit; sed curemus insuper ut eluceat, ac etiam oculis hominum manifesta fiat; adeo ut, qui censore nos intuentur oculo, quem ad modum heu nimium faciunt, ea nos in agendi, tractandi, loquendi ratione, modestia ac moderatione utentes, ac Iesu Christo ita supervestitos secundum Apostoli ipsius dictum inveniant; ut opera nostra revereri cogantur ii ipsi qui sunt magis a nobis alieni infestique animi: *ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

In qua se quisque recolligat, et externos etiam naevos emendet.

1. Cor. 4. 9.

1. Thessal. 4. 11.

2. Tim. 2. 8.

Haec qua possum maxime virtute omnibus commendo ab omnibusque exspecto, pro ea tenera caritate qua Societatem prosequuntur, quae vitae nostrae sanctitate potius quam sermone defendi a nobis optat, atque domibus provinciae sibi commissae nota faciet Reverentia Vestra, cuius sanctis Sacrificiis me impense commendo.

Romae, XVII Iunii, M. DCC. LXIX.

R. V.

Servus in Christo,
LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. LAURENTII RICCI

AD PROVINCIALES SOCIETATIS

DE NOVO AD PRECES INCITAMENTO IN SUMMO SOCIETATIS DISCRIMINE

Oratio nostra sit perseverans;

1. Monet sanctus propheta David, ut in angustiis nostris oculos ad Deum conversos constanter habeamus, dum ipse ad commiserationem permotus auxilio nobis veniat: *Oculi nostri semper ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Confido, Patres et Fratres in Domino ca-

Ps. 122. 2.

rissimi, vos perseveranter precibus insistere, quod a vobis pro vestra erga Societatem iam diu afflictam caritate alias postulavi. Sed quamquam amor in religionem vester stimulis non indiget quibus denuo ad faciendas precationes excitetur, meus tamen dolor exigit ut novo in eandem rem incitamento vobis instem.

Sit humilis, et fiducialis,

2. Non nisi confusione mea video, Dominum nondum esse dignatum manum suam ad nos sublevandum extendere. Amoris quidem ac misericordiae erga nos suae quam plurima argumenta nobis tribuit; nosque praesentiam et peculiare ac paene mirandum eius patrocinium multifariam experimur; liberum nihilo minus calamitatibus nostris cursum permittit. Adoro eius iudicia numquam non aequissima; calamitatum causam culpis nostris ac potissimum meis attribuo, eique sincera confessione dico: *Peccavimus.... Omnia ergo quae fecisti nobis,* Domino, *in vero iudicio fecisti.* Daniel. 3. 29, 31. Quid tamen? An propterea immemor erit exercendae misericordiae Deus noster, cuius natura bonitas est? *Numquid obliviscetur misereri Deus?* Ps. 76. 10. Immo compertum habemus solere ipsum, vel cum irascitur, eximiae misericordiae suae meminisse. Scimus multo esse plura huius misericordiae quam iustitiae ceterorumque eius attributorum effecta. Quare eum precor, vosque una mecum precamini, ut fragilitatis atque imbecillitatis nostrae recordetur, et ad misericordiam et commi-

serationem flectatur; quod si eius iustitia velit peccata nostra respicere, precamini ut ea respiciat in filio suo Iesu, qui omnia in se suscepit et tanta pro eis exuberantia satisfecit; precamini denique ut dono cor illud contritum et humiliatum habeamus, quod ipse non despicit nec solet a se reicere. Nostra itaque peccata impedire non debent, quominus vehementer confidamus Deum sancto nomini suo gloriam daturum, nobiscum agendo secundum infinitae misericordiae suae propensionem. Multo minus fiduciam nostram infirmare debent ea tempora quae nos terrent; immo, si rem probe intellegamus, iis magis confirmanda est. Omnino deserti sumus atque omni humano studio destituti; igitur Deus uni sibi curam reservat nostri gerendam, vultque ut nemini auxilium nostrum nisi ipsi acceptum feramus. Hac certe ratione peramanter nobiscum agit; nos enim docet quam non sit hominibus fidendum, nec patitur a nobis aut spei nostrae partem in aliis collocari, aut aliis praeterquam sibi accepti beneficii gratiam referri. Sed hac ipsa de causa maior erit misericordiae eius triumphus, utpote magis perspicuus et aspectabilis. Nos autem quid timebimus, si Deus ipse scutum sit nostrum et protectio nostra? Immo ab hominibus derelinqui nobis est emolumento: quandoquidem Deus velle se esse patrem orphanorum ac derelictorum praesidium testatur. Talibus humilitatis et fiduciae affectibus, iis tamen vehe-

Vel hoc ipso, quod omni auxilio destituti sumus;

mentibus ac sinceris, manus oculosque ad caelum extollamus, ubi Dominus ille habitat, qui adiutoris in tribulationibus opportuni appellatione gloriatur, opem ab eo et levamen implorantes.

3. At praeterea fervida debet esse oratio. Sanctus David in psalmis suis, quibus quaedam recte orandi continetur practica disciplina, saepissime repetit se de profundo tribulationum suarum Dominum deprecari, idque non submissa voce, sed vociferationibus et clamoribus: *De profundis clamavi ad te Domine : Ad Dominum cum tribularer clamavi;* aliisque identidem in locis hanc eandem loquendi formulam usurpat. Eiusmodi vociferationes et clamores fervidam significant contentionem qua orare oportet ; quae tanta esse debet, quanta est tribulationis quae suffertur magnitudo, quantumque et quam vehemens impetrandae liberationis desiderium. Non est cur vobis exponam quae et quantae sint quas patitur Societas afflictiones; norunt omnes summa esse damna praesentia, summum futurorum timorem. Eam ab iis liberari malis tam vehementer cupitis, quam magna ipsam caritate prosequimini. Et merito: vias enim salutis ea vos docuit; quo sane beneficio aliud maius, et quod vestra magis intersit, haberi non potest.

Sit fervida; Ps. 129. 1. Ps. 119. 1.

4. Reliquum est ut precationes nostrae in nomine Iesu Christi fiant; nam id quoque habere debent, ut efficaces esse possint et ad cor divini

Fiat in nomine Iesu Christi;

patris flectendum aptae, iuxta illud quod idem
Ioan. 16. 23. Iesus asseveravit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Cui tamen dubium esse potest nostras eiusmodi orationes in nomine Iesu Christi fieri? Petere in nomine Iesu, ut explanat sanctus Augustinus, est petere id quod expedit et aeternae saluti conducit. Nos autem quid aliud petimus, dum pro conservatione Societatis et nostra in Societate conservatione preces ad Deum fundimus? Dominum precamur, ut in ea vocatione perseverare nos sinat, qua fuimus ab ipso vocati ad hoc Institutum pium, sanctum, laudabile, summopere frugiferum, et ad promovendum Dei honorem atque animarum salutem maxime accommodatum, quem ad modum Ecclesia et Dei vicarii declararunt; precamur, ut nobis detur ea fideliter solvere quae Deo promisimus, cum religiosa vota nuncupavimus; vitam nostram ad eas leges conformare, quas nobis praescripsit parens ille sanctissimus, summo erga salutem animarum ardore flagrans, superno lumine ad eas condendas divinitus illustratus; leges, inquam, a divinae sapientiae praeceptis haustas et ex sancto Evangelio conscriptas, ut perspicuum est eas attente considerantibus; precamur denique, posse vestigiis insistere multorum iam rite Sanctis annumeratorum totque aliorum eximia sanctitate hominum; qui nimirum observantia istarum legum se ad altissimae perfectionis apicem evexere, immensum

collegerunt meritorum cumulum, et singularem in caelo felicitatem ac gloriam sibi compararunt. In quantam igitur spem ingredi debemus ea consideratione, quod precationes nostrae vere proprieque in nomine Iesu fiunt, eaque recordatione, quod factis in ejus nomine precationibus nihil non conceditur?

Eamque corroboret innocentia vitae, et exercitium omnium virtutum,

5. Sed praeter memoratas condiciones, quae orationi intrinsecae sunt, alia ipsi extrinseca plurimum valet ad eam corroborandam eiusdemque efficaciam augendam. Quantum robur accedit nostris precibus, cum eas inculpatae vitae innocentia multique sanctarum virtutum actus comitantur? Benignius accipiuntur ac facilius postulata impetrant supplices libelli, quos principibus porrigunt homines apud ipsos maxime gratiosi; et orationes Deo oblatae ab innocentibus sanctisque animabus, quae ipsi sunt acceptissimae, beneficia consequuntur etiam summa; adeo ut in earum gratiam interdum relaxentur naturae leges et miracula patrentur. Quam ob rem quo plus in Dei amicitia proficiemus, eo maiorem efficaciam pondusque orationibus nostris conciliabimus; eas Angeli multo libentius ad Dei thronum perferent; et Sancti, quos nobis patronos advocamus et adiungimus, studio maiore suas nostris preces coniungent, praesertim Sanctus Ignatius, totque alii Societatis homines, qui beatam in caelo vitam degunt et vehementius nunc amant illud Institutum, quod

ipsos eo perduxit, sollicitudine longe maiore rescriptum curabunt propitium orationibus eorum, qui idem Institutum fidelius observant.

Et animet spiritus Societatis.

6. Preces igitur vestras, Patres Fratresque carissimi, animate omni pietatis exercitio accurate fervideque obeundo, mutua inter vosmet ipsos caritate, oboedientia et observantia erga eos qui vobis Dei loco sunt, tolerantia laborum, aerumnarum, paupertatis, contumeliarum, secessu et solitudine, prudentia et evangelica in agendo simplicitate, boni exempli operibus piisque colloquiis. Societatis hoc spiritu informatae conservationem a Deo petimus. Si eam hoc spiritu spoliari contingeret, quod avertat Deus, nihil admodum referret si esse desineret ; quia ad eum finem, ad quem condita fuit, inutilis evaderet. Qui hunc spiritum in se excitare neglegerent, et multo magis qui eum in aliis exstinguere studerent, inducentes contrarium spiritum inobservantiae, dissensionis, contumaciae, audaciae, certam Societatis ruinam inveherent, cum maximo divini honoris, proximorum salutis ac propriae detrimento. Sed avertat Deus ut unus aliquis istorum inter vos degat.

Conclusio.

7. En, Patres et Fratres carissimi, postulatio mea, et causa quae me unice movit ut has litteras ad vos scriberem. Orationes a vobis peto totius religionis nomine, pro ipsa religione peto, ac denique pro vobismet ipsis ; pro ea re quae vobis est carissima, pro re quae vestra maxime interest,

qua nulla est de qua magis solliciti esse debeatis. In animo mihi non est novas preces indicere ; commendo tamen ut eae continuentur quas iam alias praescripsi, praesertim cotidiana sanctissimi Sacramenti visitatio, quam in Societate perpetuari velim. Extraordinarias orationes, quas postulant praesentes rerum angustiae, uniuscuiusque arbitrio relinquo, et caritati qua quisque Societatem amplectitur. A superioribus etiam ad certum tempus praescribi poterunt. Quod superest, me sanctis vestris sacrificiis et precibus commendatum habete.

Romae, XXI. Februarii, M. DCC. LXXIII.

RR. VV.

Servus in Christo,
LAURENTIUS RICCI.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE AMORE SOCIETATIS ET INSTITUTI NOSTRI

Scripturus de amore Societatis

1. Quod primo quoque tempore facere constitueram, cum onus gubernandae Societatis hisce meis infirmis umeris impositum viderem, quod-

que et a me vobis deberi, et a vobis ipsis, PP. reverendi ac FF. in Christo carissimi, desiderari facile intellegebam, ut vos omnes eo quo liceret modo alloquerer, et ad grandis debiti, quod in hac nostra vocatione erga Deum proximosque contraximus, solutionem novo semper studio, novo conatu procurandam, primum quidem me ipse, tum omnes vos adhortarer ; id nunc saltem, cum iam unus fere annus meae administrationis ad finem vergit, omnino tandem praestandum mihi esse censui. Quamquam enim satis frequenter, tum ad superiores, seu provinciales, seu locales, tum ad alios etiam quosvis ex vobis pro rerum temporumque vel necessitate, vel opportunitate, litteras darem, nequaquam tamen meo me muneri satisfacere existimabam, nisi etiam aliquid identidem ad omnes vos in communi, more atque instituto maiorum perscriberem. Cum vero multa occurrerent, quae utilem scribendi materiam offerebant, unum tamen prae ceteris placuit argumentum, quod et commune omnibus esset et latissime pateret, atque hisce Societatis temporibus maxime opportunum videretur : ut nempe de amore huius nostrae vocationis atque Instituti, ad communem omnium nostrum adhortationem, quae sentirem, cum omnibus vobis, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, communicarem.

Potissimum intendit movos

2. Neque tamen hic ego illud mihi proposui, ut vos ad Societatem Institutumque hoc nostrum

amandum adhortarer, id quod ferme inutile, certe minime necessarium esse arbitror ; sed potius, ut de modo quo hunc vocationis nostrae amorem exercere unusquisque nostrorum debeat, aliqua in medium afferrem, quae si minus necessaria, certe non inopportuna, immo vero utilissima fore existimo.

dum edocere, quo exercendus sit hic amor ;

3. Ac fuit quidem semper proprium quoddam Societatis nostrae donum, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, ut quotquot in eam divina vocante gratia fuissent admissi, artissime illi adhaererent, eam unice amarent, eius successus seu prosperos, seu adversos, non aliter ac suos proprios aestimarent, eam denique vel ipsa vita cariorem ducerent ; donum, inquam, hoc fuit semper Societati nostrae proprium et quodammodo singulare, unde etiam Societatis inimici occasionem criminandi non semel arriperent, id scilicet vitio vertentes quod in eius laudibus merito ponendum erat. Fuit certe hic amoris sensus ita infixus in sociorum animis, ut etiam post universalem illam Societatis cladem, omnes, si paucissimos excipias qui monstrorum instar fuere inter tot sociorum milia, ab amanda semper vel exstincta iam Societate non cessarent ; cumque haec ab immortali Pio VII ad novam revocata vitam esset, qui superstites erant e communi naufragio socii, plerique, licet annis graves ac laboribus fracti, nil tamen antiquius haberent, quam ut ad matris sibi caris-

Qui quidem semper fuit proprium quoddam Societatis donum,

simae sinum veluti in portum se reciperent, ad quaevis etiam laboriosa ministeria, quasi renovata iuventute, promptissimi ; quibus vero id per aetatem, per valetudinem, per alia impedimenta omnino iam non licebat, hi studiis illam omnibus, ac beneficiis etiam, filiali plane affectu prosequerentur. Quem quidem vocationis amorem cum in patribus nostris fuisse gloriamur, tum et in vobis omnibus nunc vigere non est quod dubitem, et ut porro semper nostris hominibus proprium maneat ac perpetuum bonum, vehementer nobis optandum est.

Sed ut recte exerceatur, primum cavendum ab erroribus, scilicet :

4. De modo tamen quo hunc amorem Societati exhibere omnes debeant, quaedam non levis sane momenti animadvertenda mihi occurrunt. Vereor enim interdum, ne a quisbusdam hunc amorem Societatis, vel non recte intellegi, vel perperam exerceri contingat, unde tandem non Societatis incrementa quae ipsi desiderant, sed detrimenta gravissima quae maxime nollent, tristi quadam necessitate enascerentur.

1.° Ne intempestive extendatur Societas,

5. Atque ut aliquot ex erroribus qui in hoc genere obrepere nostrorum animis possent sane perniciosissimi attingam, primus mihi sese offert eorum qui Societatem intempestive quam latissime extendi, domibus, collegiis, convictibus augeri unice exoptant, ac tum demum bene beateque cum illa actum iri existimarent, si eam longe lateque sparsam quam brevissimo tempore vide-

rent. Laudabile sane, si in se spectetur, desiderium, et amantis erga matrem Societatem animi. Equidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, Societatem, ad Dei gloriam ac proximorum iuvamen, per universum, qua late patet, orbem spargi et ego desidero quam qui maxime. Utinam etiam brevi, etiam cito! Sed nimirum ne inconsulto festinetur, id tam necessarium est, ut, nisi modus adhibeatur, nihil certius, nihil propius Societatem ad extremam perniciem adducere facile possit. Quid enim, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, si hac tempestate, renata paucis abhinc annis Societas, et adulescentiae suae, ut ita dicam, aetate vix egressa, ad plura se extenderet quam praesentes eius vires ferant, et alumnos suos, antequam rite formentur, ad gravissima sui Instituti ministeria adhibere cogeretur, quid, quaeso, accideret ? Illud scilicet quod in humano corpore fieri videmus, cum vel praeter modum aetatis excrescit, vel laboribus ultra vires gravatur ; quod inde quidem enervari atque elumbe reddi solet, hinc brevi fatiscere et ad immaturum interitum praeceps ruere. Simili prorsus modo, si domus, si collegia, si convictus multiplicarentur, antequam qui seu spiritus, seu studiorum praefectos agant, antequam qui litteris bonisque moribus iuventutem imbuant magistri idonei suppetant ; si iuvenum, si recentium hominum operam ad huiusmodi munera adhibere cogeremur, antequam illis imbuan-

Antequam rite formati sint eius alumni ;

tur principiis quibus verus Societatis finis et media continentur, et quod caput est, vitam agere nostra vocatione dignam didicerint : Societas vires suas pessumdaret, enervaretur, languesceret ; tandem, si minus nomine fortasse, re certe Societas Iesu esse desineret.

Quibus non sufficit qualiscumque virtutis et recti amor ;

6. Profecto, si quis vitam Societatis homine dignam sola quadam probitate et qualicumque virtutis rectique amore contineri existimat, ne ille vehementer errat. Grande enim est, RR. PP. Fratresque in Christo carissimi, vocationis nostrae propositum, si tamen, qualem S. P. N. Ignatius Societatem condere voluit, intellegamus. Neque eiusmodi est vitae nostrae ratio, quam mox ut amplexus quis fuerit, etiam continuo assequatur, aut quae una cum veste Societatis arripi atque indui possit ; sed quae in primis longam veteris hominis mortificationem, qua sine novus non induitur, postulat. Nam etsi vitae nostrae modus in exterioribus communis est, neque adeo a piorum sacerdotum vita multum differt, alia tamen longe atque altiora sunt, quae a nobis, quam quae a quibusvis piis sacerdotibus et Deus exposcit, et homines exspectant, et nostrum Institutum requirit.

Sed eorum omnimoda prius intendenda formatio, deinde labor.

7. Quare patres qui in provinciis auctoritate maxime pollent, ac praesertim praepositi provinciales monendi mihi sunt, atque in Christi visceribus, per quantum ipsis incolumitas Societatis

cordi est, obsecrandi, ut ne de novis domibus vel collegiis aperiendis, aut cogitent ipsi, aut iis qui importune postulant spem proximam ingerant, antequam hominum copia suppetat, quibus tum Societatis ministeria, tum praecipue gubernandi munus tuto committere possimus. Semper, quaeso, prae oculis habeamus, primum Societatis vitam ac salutem, deinde eius ministeria ; primum formationem nostrorum, dein eorum labores ac laborum fructus ; primum interna nostra, dein externa curanda esse ; nobisque persuadeamus, nec Societati consuli, nec gloriae divinae, nec proximorum utilitati, si homines vel a virtute, vel a scientia nondum quantum satis est instructi, ante tempus in solem atque aciem educantur ; qui scilicet, ubi tandem appareant minus habentes, et spes de Societate conceptas fallent, et ipsi gravissimis periculis obicientur, et Societas ipsa dedecori. Quae detrimenta utinam in quibusdam provinciis non iam plus minusve passa sit Societas, dum principum ac populorum importunis votis, ex quadam insuperabili necessitate, fuit obsecundandum. Meminisse nos in hanc rem iuvabit illius sententiae Sapientis : *substantia festinata minuetur ; quae autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Prov. 13. 11.

8. Errori quem dixi affinis est alter, quo quidam, amore ut existimant Societatis ducti, ea sectanda praecipue putant quae plurimum habeant 2° Ne sectemur speciosa in oculis mundi.

speciositatis, quae hominum scilicet, litteratorum praesertim, plausus excitent, ac mundo celebres reddere nostros homines queant. Videntur illi scilicet matri suae illud suadere velle, quod olim Salvatori vani quidam homines ingerebant : *Ostende te, ostende te mundo.* Hi profecto, vereor, ne specie fallaci capti non tam *esse* velint nos aliquid, quam *videri*, et umbram veritati, famam rebus bene gestis, denique splendorem nescio quem, verae utilitati reique publicae anteponant. Vivimus quidem tempora, in quibus, quae colore quodam splendent, a multis unice extolluntur, ac fere maioris fiunt quam vera in hominum salutem obsequia. Sed, si qua in re necesse nos est etiam tempori servire, ne nostra ministeria fastidiantur, absit tamen, ut quicquid est vanae ostentationis, sive in litterarum cultura, sive in Dei verbo praedicando, sive in aliis nostrae vocationis muneribus, adamemus. Nimium discrepat ista vanitas a spiritu Societatis, quae tota in proximorum utilitate ad Dei gloriam procuranda versatur; non in quaerenda humana gloria, quae, ubi bene factis parta non sit, fallax ac fucata est, ac tandem in ignominiam vertitur. Patres certe nostri, si gloriam hominum etiam assecuti sunt, praeclaris eam meritis, non hoc agentes, consecuti sunt. Haec nos aemulari, haec quaerere decet. Quicquid vero est honoris et nominis tum demum erit Societate nostra dignum, si iuxta nostrae vocationis spiritum omni hominum

generi vere prodesse, et non vulgaris virtutis exemplo, et doctrina solida, et nostri Instituti ministeriis conabimur ; ut qualiscumque illa gloriae umbra res a nobis bene gestas sequatur, non illam umbram vanam nos ipsi sectemur.

3° Ne de Societate eiusque laboribus superbiamus :

9. Hic vero aliud sese mihi offert malum, quod sane longissime velim ab omnibus nostris abesse, et quo vel solo, si, quod avertat Deus, in nostrorum animis haereret, omnis a Societate divinorum munerum largitas prohiberetur. Non ignoratis, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, quam saepe Societatis nostrae homines in suspicionem nescio cuius arrogantiae vel superbiae vocati fuerint ; quam saepe recantatum homines Societatis, quantumvis pro se singulos humilitatis studiosos, in communi tamen pro Societate superbos, ceteros fere qui de Societate non essent facile despicere, eorum merita extenuare, eorum invidere successibus, nec quicquam fere magni facere quod ab aliis quam a nostris hominibus fieret, omnem denique doctrinam, omnem virtutem, omnia in Deum et proximum merita in sola Societate, si fieri posset, contineri affectasse. Quam falso ista, si universe de Societatis hominibus intellegantur, conficta sint, quamque iniuriose, ad invidiam scilicet Societatis nomini conflandam, non ignoro. Verum ego, huiusmodi spiritu si vel unus nostrorum duceretur, dolendum graviter, totique Societati vel ob unius culpam multum timendum esse

Quae superbiae nota, iam olim Societatis hominibus falso inusta,

mali existimarem. Quid enim, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi ? Quod singulis turpe foret et crimini vertendum coram Deo, id si Societatis nomine in animum quis suscipiat, legitimum esse, amorem esse Societatis quisquam sibi persuadere umquam possit ? Si Ecclesiam Christi, *pusilli gregis* nomine ab ipso designatam Venerabilis Beda ideo existimat, quod ipsam, *quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate velit crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire* : quanto magis cuivis congregationi, quae ipsius Ecclesiae pars exigua est, competit huiusmodi sensus fovere ? De Societate vero nostra quid dicam ? Sanctus quidem parens noster illam semper appellare *minimam* consueverat. Ipsa, cum tota sit in Christi ducis sui humilitate sectanda, iis a parente suo instituta est documentis, iis praesidiis munita, ut a mundi gloria, ab honoribus etiam sacris non abstinere modo, sed etiam abhorrere sese profiteatur. Eius primi patres, quales et quanti viri, quantique apud Deum et homines meriti, vaticinia quaedam a sanctis quibusdam viris edita cum passim a vulgo sibi applicari audirent, numquam in animum induxerunt ut de se tam praeclara, tam honorifica intellegi posse crederent. Quo plura ab ipsis et insigniora redundabant in rem publicam christianam commoda, eo sibi magis ingeminabant illa Evangelii verba ; *Servi inutiles sumus, quod*

Tum spiritui Ecclesiae,

Tum Societatis Instituto summopere repugnat.

debuimus facere fecimus. An vero nunc, cum pauperes facti sumus nimis, et numero pauci, et meritis profecto patribus illis nostris tanto intervallo minores, poterit quisquam sensus fovere altos, nec timere ne suo vitio Societas universa humilietur, cum vera semper maneat sententia aeternae veritatis : *omnis qui se exaltat, humiliabitur ?* Aut quisquam existimabit, ubi de aliqua societate hominum agatur, oppositam sententiam veram fore, ut scilicet quo se illa magis exaltaverit, eo sit a Deo muneribus et gratiis copiosioribus exaltanda ? Ego vero timeo ne, si qui forte sint inter nostros qui Societatis quam dicunt gloriam maxime loquantur, gloriam Societatis unice praedicent, de his timeo, inquam, ne similes fere sint quorundam, qui in mundo generis quidem sui nobilitatem iactant, sed ipsi degeneres maiorum suorum merita minime omnium aemulantur. Ita quidem interdum videre est quosdam, qui coetus ad quem pertinent laudes mirifice extollant, at maiorum suorum meritis divites satis atque abunde sese existimantes, nihil iis addere ipsi de suo cogitant, immo sibi licere, ob merita maiorum, vitam degere fere inertem atque otiosam arbitrantur.

4°. Ne aliorum laudibus ac recte factis invideamus.

10. Quod vero ad illos sane non bonos aemulatores attinet, qui in alienis laudibus ac recte factis invidia tanguntur, equidem nescio quid possit cogitari magis nostrae vocationi contrarium. Nonne maior Dei gloria totius vitae nostrae studiorumque

nostrorum ac laborum omnium scopus est ac meta ? Hanc autem si vere quaerimus, nonne gaudendum nobis et gratulandum de omnibus quae ad Dei gloriam feliciter a quocumque fiant ? Quis nobis det ut omnes quotquot sunt cuiuscumque religiosi Ordinis alumni et apostolicae vocationis homines, iunctis omnes viribus, in Ecclesiae subsidium, quam possint maximo conatu ac successu felicissimo annitantur ! Profecto ea sunt tempora, eae christianae rei publicae necessitates, ut quotquot, ubicumque sint, qui Dei causam promovere velint, etiamsi maxime numero Deique donis augerentur, habituri abunde sint omnes in quo operam ponant Deo et Ecclesiae nomine paenitendam. *Particeps ego sum omnium timentium te, Domine;* ita fidelis ille Dei famulus sentiebat et loquebatur. Ita sentire ac loqui decere veros Societatis filios, quis est qui non videat ?

Hos igitur errores in exercendo Societatis amore vitantes,

11. Equidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, persuadere mihi non possum, ut a quoquam vestrum amorem Societatis in eo poni credam, quod cum spiritu Societatis tam aperte pugnare manifestum est. Volui tamen ista quae identidem etiam hisce temporibus, sane perquam invidiosis, hominibus nostris obiciuntur, commemorare, quo magis unusquisque nostrum in dictis factisque suis ab omni etiam specie vel superbiae, vel invidiae caveat ; ut nostri ubique eos qui Dei causam suscipiunt ac tuentur, amore

et honore prosequantur ; ut cuiusvis alterius religiosae familiae alumnos, earumque praesertim quae tot ante Societatem saeculis Ecclesiam Dei doctrina ac meritis illustrarunt atque optime de illa mereri numquam desierunt, ea qua decet veneratione et affectu sincero complectantur ; in omnibus denique humilitatem et caritatem decora Societatis esse praecipua meminerint, neque umquam tali Societatem amore prosequi videantur, qui, cum Societatis institutis repugnaret, tum ei non proficuus esset, sed noxius, neque eius incrementa promoveret, sed retardaret, aut etiam plane intercideret.

Considere-mus deinde in quo consistat,

12. Atque haec de male intellecto Societatis amore attigisse sufficiat, et ad ea iam transeamus consideranda, in quibus amor hic revera consistat, et qua ratione ab omnibus nostris exercendus sit et comprobandus.

Nimirum in mutua communicatione bonorum.

13. Hic porro omnia facile reduci possunt ad illud simplicissimum principium, quod ab humana philosophia ad divinam traductum a B. Parente nostro in aureo Exercitiorum libello (cuius utinam studium, studium, inquam, et usus perpetuus omnibus nostris, ut meretur, cordi esset !) ita exponitur, ut scilicet *amor, qui ab operibus magis quam a verbis pendet, in mutua* consistat *communicatione bonorum.*

Communicat nobis Socie-

14. Ac bona quidem quae a Societate in nos derivantur, quaeque ipsa nobiscum summa pro-

tas bona inaestimabilia,

fecto atque inaestimabilia communicat, breviter saltem ac per summa capita perstringere volo, quo facilius quid a nobis vicissim Societati debeatur intellegamus. Neque enim decet nos ignorare

1. Cor. 2. 12.

quae a Deo donata sunt nobis, neque, si fas non est Societatem aliis religiosorum Ordinibus praeferre, ideo eius gratiam ferventi spiritu magnificare in Domino prohibemur.

Scillicet :

15. Quid ergo nobiscum boni communicat Societas ? Videamus, quaeso, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, ac de vocatione nostra, quacum una tanta nobis bona venerunt, in Domino gaudeamus nobisque gratulemur.

1° Finem suum.

16. Communicat nobiscum Societas finem suum, quo tota est in procuranda impense salute ac perfectione, primum quidem suorum filiorum, tum ceterorum, ad maiorem semper ac maiorem Dei gloriam ; qui quidem finis ac scopus tam excelsum tamque nobile vitae genus constituit, ut merito S. P. N. *neque in hominibus neque in ipsis Angelis sublimius quicquam reperiri posse* affirmet, actionesque nostras omnes atque exercitia etiam maxime communia, si ex nostri Instituti ratione fiant, singulari modo nobilitat, dum illis omnibus formam imprimit zeli gloriae Dei ac salutis animarum.

2° Media ad finem praestantissima.

17. Communicat, una cum fine nobilissimo, media quae habet praestantissima summeque efficacia ad finem sibi propositum assequendum ; inter

quae primum facile locum obtinet in spiritualibus exercitiis magisterium orationis proprium ac peculiare, quo quicumque nostrum ex ordine utatur, et sibi fundamentum ponet spiritualis vitae solidissimum, cui perfectionis evangelicae quantumvis sublime aedificium tuto superstruatur, et arma comparabit ad peccatorum conversionem, ad iustorum profectum, ad omnium salutem ac perfectionem operandam potentissima.

3° Institutum S. P. Ignatii.

18. Communicat Patris Ignatii Institutum, caelestis sapientiae plenum opus, adeo sanctum, adeo perfectum et omnibus partibus absolutum, ut nemo illud sapiens legat, qui non admiretur, non digitum Dei ibi esse agnoscat. Hoc nobis proprium tribuit Societas, auctum praeterea sapientissimis patrum nostrorum documentis ac praeceptis, quibus facilior redditur, et expeditior, et certior ipsius Instituti observatio.

4° Vinculum, quo Sedi apostolicae astricta est.

19. Communicat nobiscum Societas sanctissimum illud vinculum, quo Sedi apostolicae artius astricta est ; quod quantum sit beneficium, quantumque praestiterit semper nostris praesidium inter saeculi procellas ac pravarum doctrinarum pericula, ille intellegit, qui feros errorum fluctus quaquaversum per orbem debacchantes cum non sine horrore prospexerit, in sola illa petra ac rupe inconcussa novit esse securitatem, super quam aedificata a Christo Ecclesia, ipsas inferorum portas, ne praevaleant, non pavescit.

5° Hereditatem Patrum nostrorum,

20. Communicat nobiscum totamque nobis tradit hereditatem patrum nostrorum sane multis nominibus locupletissimam ; eorum, inquam, doctrinae thesauros, eorum exempla sanctitatis, eorum in Ecclesiam Dei merita, ob quae nos, indignos licet, caelo tamen caros esse propter patres non immerito confidimus.

6° Gloriam suam,

21. Communicat nobiscum gloriam illam suam plane singularem, qua et bonis omnibus semper cara et improbis exosa semper fuit, quorum utrum magis gloriosum sit, non facile dixerim ; utrumque certe ab ipsis Societatis exordiis ad eius usque occasum constans illi semper adhaeserat ; utrumque, etiam excisa iam Societate, non tamen exciderat ; utrumque eam post octo lustra redivivam protinus mirabiliter excepit, et etiamnum bonorum ille favor, illud pravorum odium in Societatem, Deo miserante, perseverat.

7° Divinae Providentiae erga se benignitatem,

22. Communicat denique nobiscum Societas ac fruendam tribuit illam admirabilem plane divinae providentiae erga se benignitatem, quae illam, continua quadam prodigiorum serie, et ab universali interitu vindicavit, et ad novam reduxit vitam, et miris plane modis conservat, fovet, promovet, Iesu nomine insignitam, Iesu vitae imitatricem, Iesu crucis participem, eiusque sacratissimo Cordi peculiari quodam modo coniunctam ac devotam.

Societas,

23. Haec sunt, PP. RR. ac FF. in Christo

carissimi, bona, nec tamen omnia ; quis enim omnia enumeret ? Haec itaque pars aliqua summatim expressa bonorum, quorum in partem nos vocat Societas, quaeque liberaliter cum unoquoque nostrum communicat ; quibus nos vicissim obstringit ut nostra pariter, non segniter, non repugnanter, non avare, cum illa communicemus, nostrumque hoc modo amorem matri optimae contestemur.

communicans nobis sua bona, nos vicissim obstringit, ut ei communicemus nostra :

24. Verum, nonne iam, cum, saeculi relicta vanitate, Societati nomen dedimus, ac votis Deo nuncupatis ad vitam in Societate perpetuo degendam nos obstrinximus, nonne, inquam, hoc ipso nos totos et omne id quod sumus Societati tradidimus, ut quod illi praeterea demus nihil omnino reliquum nobis sit ? Ita sane, RR. PP. et FF. in Christo carissimi. Holocaustum plane vocatur et est, quod obtulimus Deo, quodque propter Deum Societati consecravimus. Sed nimirum, cum hostiae simus vivae, quae, utut perfecte oblatae, offerri tamen in dies, continuando semper sacrificio, et possint et debeant, cumque natura humana sui licet abdicati iuris tenacissima sit, suarumque facultatem ac virium, etiamsi semel ac saepius dominium resignarit, usum tamen liberum, quam diu vivitur in hac mortali vita, conservet, habemus profecto etiam nunc quam plurima, in quibus ad Societatis obsequium impendendis nostrum in illam amorem, non tam verbis quam factis demon-

Quae etsi iam omnia nobiscum obtulimus per vota,

Offerre nihilo minus denuo cotidie debemus, impendendo nos,

stremus. Campus hic se nobis amplissimus aperit, per quem dum vos exhortor ut cogitatione frequenter discurratis, ego quaedam pauca dicendo attingam.

Ut eius instituta probe cognoscamus,

25. In primis itaque amor Societatis id a nobis postulat, ut eius instituta probe cognoscere, eius spiritum, modos, fines rite intellegere impenso studio curemus. Quo in genere vereor, ne a multis non tantum fiat, quantum pro ratione officiorum, quibus funguntur, ad ea rite obeunda fieri aequum esset. Fortasse non nulli, ea lectione regularum quae in publica mensa fieri solet contenti, quarum ipsarum vim ac sensum parum fortasse penetrare student, de ceteris propriorum officiorum regulis, quae instrumenta quaedam sunt aptissima ut ea iuxta Societatis modum recte ac perfecte expleantur, vix umquam cogitant. At deberent illae esse unicuique instar speculi, in quo frequenter se suique officii actiones considerans, quid sibi desit, in quibus a se peccetur, et qua ratione se suaque ad Instituti, quod amat quodque admiratur, normam efformare possit, observaret. Certe quidem iam dudum, idque saepius, animadversum fuit, et ab universa Societate in Congregationibus generalibus, et in litteris Praepositorum generalium repetitum, si qua sint quae a nobis interdum non recte agantur, nullis opus esse novis legibus, non excogitandas novas industrias, satis et abunde esse provisum, ut adeo si quis nova invenire, nova

praescribere vellet, tempus frustra contereret, et vero ostenderet ignorari a se thesaurum quem prae manibus habet. Sed nimirum, si, quae a maioribus inventa sapientissime ac statuta sunt, ignorantur, fiat necesse est quod apud Ecclesiasticum dicitur : *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque ?* Hic tamen obiter notare non omittam (quod observare interdum licuit), esse aliquos qui Institutum legant, constitutiones, decreta, ordinationes pervolvant diligenter, sed aliis scilicet, non sibi. Ita fructus quem ex huiusmodi lectione capiunt, omnis eo refertur, ut, quae ab aliis errantur, acute notent et amare reprehendant, quin tamen ipsi ea quae vel communia omnibus, vel sui officii propria sunt, studiosius exsequantur. Qui quidem certe, si vero Societatis amore ducerentur, utique, quae sibi, sibi, inquam, ipsis in suis muneribus agenda praescribuntur, ante omnia cognoscere curarent et exsequi. Eccli. 41. 7i.

26. Neque enim amor Societatis, si nos ad Institutum studio non perfunctorio cognoscendum vehementer impellere debet, huius sola cognitione contentos esse sinit. Enimvero, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, quidnam inde, quaeso, Societati accedet commodi, quod plures e nostris eius instituta et leges cognoscant, earum sapientiam admirentur, earum sanctitatem laudent ? Quodnam inde Societati obsequium, si, quae cognoverunt, Et probe cognita perfecte exsequamur.

quae laudant, quae admirantur, in opus usumque non deducant ? Liceat mihi, quod S. Hilarius in alio, sed simili argumento dixit, huc transferre. In eos scilicet qui dicunt Christo : *Domine, Domine*, et voluntatem eius non faciunt ; *quid enim meriti*, inquit, *Domino dicere* : *Domine ? Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus a nobis ?* Simili modo dicamus et nos : quid enim meriti est alte de Instituto sentire ac loqui, atque illud frequenter usurpare : *Sanctum Institutum ! Sanctum Institutum !* Numquid sanctum non erit, nisi fuerit dictum a nobis ? Profecto Societatis ipsius status optimus non a scriptis legibus pendet, sed ab earum accurata in nobis observantia ; quae ubi defuerit, Institutum quidem, ut est, ita erit sanctum ; at haec Societatis, quae in terris agit, quae ex nobis viventibus componitur, procul a sanctitate distabit.

Speciatim

27. Equidem in his duobus quae dixi, cognitione scilicet et exsecutione Instituti nostri, omnia dixi quae Societatis amor a nobis requirit. Prorsus enim omnia his duobus continentur. Sed ne forte ista nimis generaliter ac propterea minus utiliter dicta sint, iuvat unum alterumve singulatim commemorare, in quibus amorem Societatis factis potissimum nos exhibere necesse est, si eam vere amemus.

Omnimoda abnegatione

28. Horum primum est illud quod S. P. N. in omnibus nobis tamquam *fundamentum* huius

nostrae in Societate vitae requirit ; illud in quo *maius atque impensius* vult esse *unius cuiusque studium* ; cuius necessitatem summam, tum ad nostram perfectionem, tum ad alterum Societatis finem consequendum, proximorum scilicet auxilium, frequentissime in constitutionibus inculcat ; est, inquam, abnegatio nostri ipsorum, propriae nempe voluntatis et iudicii, et *universi amoris sensualis*, ut ipsius verbis utamur. In hac quam dico abnegatione exercenda, quo naturae accidit haec difficilior, eo magis amorem Societatis probari, per se satis manifestum est. Sed illud utinam aliquando probe intellegamus, huius abnegationis tantam esse tamque absolutam necessitatem, ut sine hac, quem ad modum Christus Dominus illud suum *non potest, non potest meus esse discipulus*, usurpabat ; ita *non posse* nos, omnino sine hac *non posse* veros esse Societatis filios sentiamus ; et quem ad modum in hac sese exercere assidue eos, qui *serio* Christum Dominum sequuntur, S. P. N. affirmat, ita nos sine hac neminem *serio* Societati adhaerere, neminem *serio* eam amare nobis persuadeamus. Profecto, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, si quando aliquis nostrum ab officio deflectit, si qua aliquando vel domi turbatio pacis, vel foris aedificationis iactura, sicubi minus quam par est proximorum servitur utilitati, si in paupertatis, in oboedientiae, in ceterarum virtutum exercitio, quae nostrae vocationis

nostri ipsorum,

propriae sunt, deficimus ; si quis aut sua nimium commoda sectatur aut molestius vel sibi minus gratum oficium repugnanter assumit, vel neglegenter exsequitur ; si quis aut domesticam disciplinam aegre sustinet, aut in agendo cum proximis impatientem se, vel fastidiosum et inamabilem, vel vanum suique amantem praebet, et quantumvis ceteroqui strenuus operarius, tamen de numero est eorum qui altera manu destruunt quod altera aedificant : non aliunde magis, quam ex neglecto huius abnegationis studio damna haec ac detrimenta proficiscuntur ; neque illud Societati praestatur obsequium, quod ab amantibus filiis mater amantissima suo merito exspectat. Quare hoc prae ceteris ratum fixumque sit nobis, si vere Societatem amemus, paratos nos esse debere ad generosum nostri ipsorum sacrificium, voluntatis, inquam, ac iudicii nostri, et inclinationum nostrarum, et temporis omnis nostri, eorum denique omnium quae natura nobis pretiosiora fecit et cariora ; cumque huiusmodi sacrificii faciendi sese offeret occasio, quae quidem in nullo non officio frequens adesse solet, tum vero nobis offerri existimemus, in quo nostrum erga Societatem amorem verum ac sincerum demonstremus, ne alioqui vana sit nostra amoris protestatio, *ne diligamus verbo neque lingua,sed opere et veritate.*

Et assiduo ac fideli labore

29. Alterum, in quo amorem nostrum Societati probemus oportet, illud est, ut quae divina boni-

tas cuique dona tribuit, ea in commune obsequium Societatis unusquisque pro ratione demandati sibi muneris fideliter conferat ; neque contentus sit officium suum quocumque modo implevisse, si melius, si utilius, si perfectius, adbibita maiori diligentia et industria, facere potuisset. Hic, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, hic, si usquam alias, illam habemus *bonorum communicationem,* in qua praecipue amorem consistere ex S. Patre nostro annotavimus. Sive quinque talenta quis acceperit, sive duo, illa quinque, illa duo, ut navus et industrius negotiator, in Societatis emolumentum exponat; ac si quis etiam unum tantummodo accepisse sibi videatur, ne illud ipsum defossum servet. Quem ad modum enim ille in Evangelio, qui duobus talentis instructus, duo lucratus erat, eandem prorsus laudem promeruit quam qui talentis quinque altera quinque acquisiverat; ita si, qui unum acceperat, illud sua industria duplicasset, dubitandum non est quin et ipse *servus bonus et fidelis* auditurus fuisset a Domino, et laude superaturus etiam illum cui quinque talenta commissa fuerant, si is neglegentius agendo non nisi duo vel tria lucri nomine attulisset. Neque enim amor noster Domini liberalitate, sed nostra industria, nostro labore, nostra in operando fidelitate metiendus est. Non ignoramus quidem, in hac *domo Patris nostri mansiones multas* esse ; at nullam tamen esse otio ac desidiae

pro uniuscuiusque munere ac talento.

meminerimus, nec vero quemquam reperiri debere, qui, dum corpore bene valeat, in aliqua re utilem Societati operam praestare non possit aut non debeat. Ut vero sunt in Societate, quae Dei bonitas est, plurimi ita animati, ut quicquid obsequii ab ipsis vel necessitas postulat, vel superiorum desiderium, id ultro libenter suscipiant, etiamsi consuetis officii sui muneribus satis esse occupatos existimare merito possent ; ita etiam quosdam interdum videre est, quod non sine dolore commemoro, qui, dum alicui officio sibi demandato satisfaciant, cui minima quaedam pars virium facultatumque suarum sufficere possit, ab alio tamen quovis onere, quod facile sustinere simul possent, se subtrahant vel excusent. Quorum quidem utri vere Societatem amare, utri bona sua cum Societate vere et ex animo communicare dicendi sint, quisque, vel me tacente, intellegit.

Beata erit Societas, ut olim, si haec serventur.

30. O utinam, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, utinam haec, ut facile intellegimus omnes, ita opere ab omnibus implerentur ! Quanto speciosior esset Societatis nostrae forma ! Quam illa propius ad pristinum illum decorem suum accederet, ad illum inquam verum decorem, quem illi accurata sociorum omnium in suis officiis diligentia, studium, industria, totiusque animi ac virium applicatio in obeundis ex Instituti praescripto muneribus, ad Dei maiorem gloriam ac proximorum iuvamen, conciliabat ! Hac certe ratione patres

nostri illam sibi veram gloriam pepererunt, quam nobis reliquerunt fruendam; neque alia ratione nos eandem conservare tueri debemus, ne, si nos, vel ignorantia Instituti nostri, vel eius explendi socordia, nimium videamur patribus illis nostris dissimiles, et ipsi, coram Deo et hominibus, pro incrementis iustitiae et gloriae damna feramus ac dedecora, et ipsa Societas mater nostra, quam quotquot sumus filii amamus tenerrime, detrimenta capiat, vix ac ne vix quidem longo annorum intervallo reparanda. Ceterum illud, quaeso, unus quisque sibi persuadeat, quicumque sit gradus, quicumque locus quem in Societate teneat, sive superior sit, sive operarius in vinea Domini, sive studiis litterarum, sive spiritui excolendo praefectus, sive scholasticus sit, ac vel discat ipse vel alios doceat, sive etiam ad res domesticas adiutor, unusquisque, inquam, ita existimet, se in illo suo gradu ac munere, in partem vocari communis utilitatis procurandae, ut a se, a suis studiis ac laboribus Societatis existimatio, incrementum, status denique optimus pendeat. *Deus,* Eph. 1. 17.
Domini nostri ac ducis optimi *Iesu Christi pater gloriae, det omnibus spiritum sapientiae, et illuminatos oculos cordis, ut sciamus quae sit spes vocationis nostrae,* ut ne degeneremus ab excelsis cogitationibus patrum ac fratrum qui nos praecesserunt, sed eorum exemplo *caritas nostra magis ac magis abundet in scientia et* Phil. 1. 9.

in omni sensu, repleamurque fructu iustitiae per Iesum Christum in laudem et gloriam Dei. Amen.

Omnium vestrum, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, sanctis sacrificiis ac precibus me enixe commendo.

Romae, VII. Iulii, M. DCCC. XXX.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE TRIBULATIONIBUS ET PERSECUTIONIBUS

Tribulationes et persecutiones,

1. Quamquam non est quod dubitem, RR. PP. et FF. in Christo carissimi, quin omnes, quotquot Societatis se ac Sancti Ignati filios esse gaudent, eo sint animo, ut non modo vocationis suae munera alacriter exercere et in iis labores quoscumque suscipere, verum etiam adversa quaeque fortiter tolerare parati sint, eaque divina gratia aspirante exoptare etiam soleant et gaudentes excipere; tamen quae vivimus tempora illud a me postulare videntur, ut optime animatos confirmare, et qui

forte infirmiores sint in vobis excitare, omnes denique in verbis Domini consolari pro modulo meo non omittam. Etenim quod S. Pater noster inde a primis Societatis exordiis divinitus intellexisse visus est,, quando Dominus, *ita ut erat cum cruce*, propitium se ipsi sociisque futurum promiserat; quodque eundem parentem nostrum Societati deinceps et expetiisse, et a divina bonitate enixe postulasse accepimus, ut ne umquam persecutionibus careret; id cum alias semper nec parce consecuta est haec familia, tum maxime hisce nostris temporibus sane abunde experitur. Equidem certe nescio an umquam antea tam multis in locis simul eodemque tempore, tamque universalis in eam et in eius nomen malevolorum cuiusque generis invidia vel odium insurrexerit, fecunda seges calumniarum, contumeliarum, vexationum, spoliationum, exsiliorum, ceterorumque, quae hominibus mala dicuntur, sunt autem insignia Dei dona. Plura etenim in hoc genere variis in locis unius fere anni spatio plurimi e nostris, ut non ignoratis, experti sunt, et an statim futurus sit finis, an non alibi etiam similia nostris aliquando maneant, saltem fas est dubitare. Itaque quod coram voce non licet, id per litteras saltem efficere constitui, ut ad ea vos sentienda, quae his sunt accommodata temporibus et nomine nostro et vocatione digna, qua possem ratione adhortarer.

Quas ab initio passa Societas, etiamnum abunde patitur,

Excitare in nobis debent:

2. Et in primis quidem res est maxima sane 1° Gaudium

de vocatione nostra, gratulatione digna, nec video equidem an quicquam aliud magis nos ad vocationem nostram artissime summoque affectu complectendam, et ad gratias de illa divinae maiestati agendas excitare debeat, quam ista ipsa consideratio: quod summa illa bonitas nos, fors nescientes quid nobiscum ageretur, ad eam Societatem perduxerit, quae tantam habere partem meruit in illa praeclara sorte, quam beatitudinis nomine insignire Christus Iesus dignatus est. *Beati eritis*, inquit, *cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me;* et iterum: *Beati, cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis.* Certe quidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, illa Domini verba in hac nostra familia impleri non sine maximo animi solacio videmus. Vere enim maledicunt nobis homines et persequuntur nos, et quod omnium vexationum compendium quoddam est simul et fons uberrimus, dicunt omne malum adversum nos, et utique mentientes dicunt. Testis enim nobis est Deus et conscientia nostra, non eam nos vitam profiteri omnibus devotam sceleribus, quae in nos congererere non cessant, et ob quae nos non homines, sed hominum monstra quaedam ac portenta, reique publicae labem ac pestem esse iactitant, multisque ignorantibus persuadent. Vere etiam separant nos

Quam Iesus beatam dixit,

Matth. 5. 11.

Luc. 6. 22.

Quia vere patimur pro eius nomine,

et tamquam extra ius fasque positos habent, quibus ea, quam reliquo generi humano magno ore venditant, libertas legumque tutela neganda sit, quasi facinorosis et plane absque omni causae examine convictis ac damnatis; et ipsum denique nomen nostrum eiciunt tamquam malum, utique non aliam ob causam nisi propter filium hominis qui nos in sui nominis communionem vocare dignatus est. Huic scilicet nomini sanctissimo bellum indixerunt, hoc illi nomen oderunt; quod quidem et verbis et factis demonstrant, cum et nomen nostrum omnibus iam, qui fidem, qui pietatem sectantur, commune faciunt, et quod in nos exercent odium, eodem et Christi Iesu vicarium, et Sanctam eius Ecclesiam, et quicquid est usquam virtutis, castitatis, pietatis christianae apertissime prosequuntur, religionis universae osores infensissimi.

Et participes sumus gloriæ crucis Christi,

3. Quod ergo ita habeamur a mundo, qui Dominum Iesum priorem nobis odio habuit, quodque in tam nobilem partem contumeliarum atque iniuriarum crucis Christi vocemur, est profecto quod nobis gratulemur, PP. ac FF. carissimi, atque equidem fateor me haec sine intima animi confusione commemorare non posse. Et quis ego sum, Domine, ut me talis ac tantae gloriae participem esse volueris? Et unde hoc mihi, ut hac me sorte carissimorum fidissimorumque famulorum tuorum dignareris? Certe quidem Apostolus divi-

Philip. 1. 29. num exaggerrat beneficium in iis, *quibus donatum erat non solum ut in Christum crederent, sed etiam ut pro illo paterentur.* Et Petrus pro
1. Pet. 4. 16. Christi nomine opprobria ferentes hortatur *ut glorificent Deum in isto nomine; quoniam,* inquit,
Ibid. 14. *quod est honoris, et gloriae, et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Quorum verborum vim qui attente perpenderit, vix vel in caelis ipsis quicquam maius reperiri posse sentiet, si solam purissimi gaudii iucunditatem excipias. Quamquam et hac ipsa carere fortes
Rom. 12. 12. athletas suos noluit Dominus, saltem *spe gaudentes*
Matth. 5. 12. ; ait enim: *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis :* Quin etiam paratis iam ac praesentibus gaudiis inter ipsas crucis aerumnas frui quibusdam ferventioribus
2. Cor. 7. 4. concedit, quem ad modum illi qui dicebat: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.*

Quod quam deplorandi, si qui non intellegant! 4. Primus itaque hic sit sensus noster, PP. RR. ac. FF. in Christo carissimi, dignus Iesu socio, dignus Ignatii filio sensus, ut *omne gaudium*
Jac. 1. 2. *existimemus, cum in varias tentationes inciderimus.* Tantumque absit ut cuiquam ex nobis minus grande iam beneficium videatur sua ad Societatem vocatio, quod eam in signum positum videat cui contradicitur, ut vel hoc ipso nomine maioris illam facere, donumque Dei tanto praeclarius aestimare ac studiosius conservare disca-

mus. Est profecto amaris lacrimis deplorandus quorundam paucorum casus, quos, sive quod *ventum videntes validum timerent*, seu quod alioqui non satis in Deo fixi, non satis *in caritate radicati* essent *ac fundati*, tempestate a nobis avulsos ingemiscimus, qui scilicet miserunt manum ad aratrum, et respexerunt retro. Verum absit ab unoquoque nostrum huiusmodi opprobrium, ut inferamus crimen gloriae nostrae, cum iure merito S. Bernardus dixerit: *bonam vitam ego puto, multa bona facere, et multa mala pati, et sic perseverare usque ad mortem.*

Matth. 14. 30.
Ephes. 3. 17.

5. Ast haec paucorum quorundam, quos modo commemoravi, inconstantia ac tristis ruina alterum suggerit animi sensum, quem occasione earum quas experimur vexationum excitari in omnibus nobis vehementer exopto. Est autem, ut cum animo ob causae bonitatem laeto atque erecto, veram simul ac profundam humilitatem cum sancta sollicitudine coniungamus. Etenim si nihil gloriosius esse potest quam vocationis nostrae causa, id est virtutis, religionis, Christi Iesu causa aliquid pati, illud tamen cogitare utiliter et possumus et debemus, fieri utique posse, ut cum mundus quidem exosos nos habeat eodem illo odio quo Deum ipsum prosequitur, fieri tamen posse, inquam, ut Deus mundo potestatem faciat ita nos exagitandi in vindictam nostrarum culparum, culparum, inquam, etiamsi non communium

2° Profundam humilitatem cum sancta sollicitudine

Ne ob aliquorum culpas, etiam minores, universi huiusmodi poenas mereamur;

sed aliquorum dumtaxat, culparum fortasse, quae, si tam graves non videantur oculis hominum, sint tamen eiusmodi coram purissimis illis ac lucidioribus super solem oculis Dei, ut omnia ea quae patimur, et graviora etiam mereamur. Quid enim, PP. ac FF. carissimi, numquid nobis ita blandiri, ita nobismet ipsi placere possumus, ut tales nos esse quales vocationis nostrae ratio nos esse postulat, nobis persuadeamus ? Eritne quisquam inter nos, qui facile sibi satis fecisse videatur, si quadam mediocritate virtutis contentus vivat, quae quidem, ut S. P. N. aiebat, in communi hominum vita bonitas foret non contemnenda, at in nobis parum omnino esset ac pro nihilo reputanda, si cum eo scilicet conferatur quod a nobis Institutum nostrum, quod regulae, quod tessera nostra *ad Maiorem Dei Gloriam*, et grande nomen quod gerimus *Societatis Iesu*, quod denique tot tamque insignia in nos Dei beneficia requirunt ? Quanta, quaeso, deberet esse in omnibus nobis intentionis rectitudo atque sinceritas ? Quanta cum Deo in orando et in agendo familiaritas et coniunctio ? Quanta in unoquoque nostrum nominis proprii atque existimationis et omnis figurae huius mundi despicientia ? Quantus propriorum commodorum neglectus ? Quanta laborum pro Christo cupiditas at tolerantia ? Quanta oboedientiae promptitudo atque perfectio ? Quanta proprii iudicii propriaeque voluntatis abnegatio ? Quanta vitae apostolicae et

Sed perfectionem Instituti nostri meditantes,

angelicae puritas, atque a levioribus etiam culpis mundities ? Quanta caritatis inter nos unio atque concordia ? Quantum salutis proximorum studium, quanta industria ? Quanta denique cura respondendi vocationi suae propriique explendi muneris, non utique pro cuiusque arbitrio, sed iuxta eas leges quas sapienter maiores nostri praescriptas reliquerunt, quibus unis potissimum stat religiosus ordo et floret, ac divinum meretur uberiorem influxum ? Equidem de me fateor, identidem eo me timore pulsari ne fortasse ob quorundam, ob paucorum fortasse in acquirenda solida ac perfecta virtute neglegentiam, videat Dominus Societatem suam non probationis modo, verum etiam purgationis indigere ; vereor, inquam, ne, cum inde quidem *Satanas expetivit nos ut cribraret sicut* Luc. 22. 31. *triticum,* inde etiam ipse Dominus constituerit *purgare aream suam.* Certe quidem illius verba sunt, quae merito quemvis seu torpentem seu dormientem excitent atque percellant : *omnem palmitem non ferentem fructum tollet eum* caelestis Joan. 15. 2. agricola, *et eum qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.*

6. Hic itaque est alter animi sensus, quem calamitatibus, quas vel patimur vel merito timemus, excitari in nobis desidero, ut *humiliemur sub potenti manu Dei.* Nihil enim profecto iuverit, PP. ac FF. carissimi, si nobismet ipsi blandiamur, ipsi nos decipiamus, ac tam facile nos tamque

Lugeamus imperfectum nostrum, et cotidie ad altiora tendamus. 1. Pet. 5. 6.

exiguo labore, tam levi, ut ita dicam, pretio veros nos Ignatii filios, veros Iesu socios esse nobis molliter persuaeamus. Contra vero, humilitatis uaqm dixi sensus numquam non utilissimus est.

Eccli. 3. 20. *Humilia te*, inquit, *in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Humiles si vere fuerimus, gratiam inveniemus apud Deum, apud quem solum gratia invenisse sat est, etiamsi gratia apud homines, quae per se fallax est, imminuatur vel etiam penitus nos destituat. Quare sollicite vocationis nostrae rationem perpendentes, illud a Domino

Ps. 38. 5. quanta possumus humilitate petamus : *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi ;* ut finem, ob quem non modo conditus quisque est homo et vocatus Christianus, sed eum etiam, ob quem et religiosus, Societatis Iesu, sacerdos, finem denique, ob quem in suo isto gradu et munere positus quisque nostrum est, attenta mente et illustratis caelesti lumine oculis considerantes, videamus quam multa nobis desint, et imperfectum nostrum lugeamus, et novos colligamus spiritus ad insistendum firmius et artius inhaerendum patrum nostrorum vestigiis, Christique Iesu, qui dux noster est et vivum exemplar, fideli imitationi. Equidem nulla re magis quam hac quam dixi humili sollicitudine placandum nobis esse Deum sentio ; hac immo vim etiam persecutionum retusum tandem ac infractum

Prov. 16. 7. iri confido, ut, *cum placuerint Domino viae*

nostrae, quem ad modum Sapiens ait, *etiam inimicos nostros convertat ad pacem* ; caecas videlicet eorum mentes illuminet, corda tangat, et ex adversariis infensissimis aliquando etiam cupidos reddat operae nostrae, qua bene illis ipsis non optare modo ac precari, ut nunc quidem facimus, sed bene facere etiam pro nostro munere possimus. Ceterum, eo quem dixi animo si fuerimus, quicquid tandem, Domino permittente, acciderit, veritatem experiemur celebratae illius ab Ecclesia sententiae ; *quia nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.*

3° Summam in Deo fiduciam,

7. Neque enim ex iis quae de humili concipienda sollicitudine dixi, imminui vel minimum fiduciam cuiusquam velim, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi ; quin potius illud ad ultimum desidero ac postulo, ut, quo humiliores in nobis fuerimus, eo maiorem concipiamus in Deo fiduciam, eamque divinae gratiae virtute et sanctae orationis ope excitemus in nobis ac foveamus quantam possumus maximam atque amplissimam. Quid enim, PP. ac FF. carissimi, si qui sunt in vobis quos futurorum fortasse eventuum timor deicit, *quid,* inquam, *timidi estis modicae fidei ?* Num- Matth. 8. 26.
quid *erit malum in civitate, quod Dominus non* Amos, 3. 6.
fecerit ? Aut poterit omnino malum esse quod fecerit Dominus ? Quod si non ea omnia quae Dominus permittat, continuo bona esse necesse est, nonne tamen fide certum est *omnia*, etiam mala

illa, *diligentibus Deum cooperari in bonum* ? Et re quidem vera, quid tandem illud erit quod nobis, si Deum amemus, nocere possit ? Quid, quod non etiam summe profuturum sit ?

Rom. 8. 28.

Praecipientes animo mala omnia, quae mundus inferre potest, ne ea timeamus, scilicet:

8. Etenim quantacumque vel gravissima mente praecipere velimus, quo tandem, quaeso, mundi totius totiusque etiam inferni furor recidet ? Fortasse violentas inferet manus, carcerem, vulnera, mortem minatur ? Haec quidem extrema sunt, quibus graviora, quantumcumque saevierit, non est quod inferre ultra possit. Atqui de his ipsis nonne ait Dominus : *nolite timere eos qui occidunt corpus* ? Ego vero sic existimo, PP. ac FF. carissimi, idemque vos existimare non dubito, summum esse bonum sanguinem ac vitam in tam bona causa profundere ; ut, si quid huiusmodi vel timentes exspectemus, mihi nescio quid praesumptionis habere videatur, quasi ad tantam gloriam aspiremus, qua plane sumus indigni. Quamquam utinam digni essemus ! Utinam vel pauci quidam ex nobis tam beata sorte dignarentur ! Quam multi, quaeso, ex patribus nostris, viri apostolici, huius tanti boni spe aliqua in suis laboribus ac aerumnis unice se sustentabant ? Hanc unicam metam sibi ac veluti mercedem proponebant, quam tamen multorum annorum laboribus atque aerumnis consecuti non sunt. Sed si tanto nos bono indignos esse sentimus, saltem, quaeso, ne illud timeamus. Quin potius cogitemus Dominum,

1.° Carceres, vulnera, mortem.

Matth. 10. 28.

gravissimas illas mundi minas cum denuntiaret : *et eritis odio omnibus* hominibus *propter nomen meum,* sermonem suum tandem inexspectata illa ac plane admiranda sententia conclusisse : *et capillus de capite vestro non peribit.* Quod quidem singulari modo hisce etiam temporibus experti sunt e nostris quam plurimi, e mediis periculis divina protegente providentia erepti incolumes. Luc. 21. 17. Ibid. 18.

9. Quid ergo timebimus ? fortasse, ne spoliati iis quae ad vitam sustentandam adhuc divina providentia suppeditavit, ad angustias rei familiaris redacti et egestate pressi, rebus non opportunis modo sed et necessariis careamus ? Ast utinam digni essemus qui aliquando uberiorem gustaremus fructum sanctae paupertatis, quae nunc quidem satis commode nos habet et eleemosyna cotidie sane lauta nos sustentat ! Similiores scilicet redderemur patribus illis nostris, quos equidem tanto virtutibus ac donis caelestibus et meritis apud Deum et homines locupletiores fuisse existimo, quo erant ipsi in suae vitae ratione egentiores, cum paupertatem non affectu modo tenerent, sed re etiam experirentur, non raro necessariis etiam vitae subsidiis destituti. Quam in rem verba S. Patris nostri, quae, quotiens lego, valde me movere solent, lubens commemorabo : *Cum enim,* inquit, *qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati* 2° Rerum penuriam. Exam. gen. c. 4. n. 26.

fuerint, qui post eos accedent, curare debent ut quoad poterunt eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur. Ceterum meminisse iuvat eorum quae S. Evangelista Lucas refert de Domino Iesu discipulos interrogante : *quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis ? At illi dixerunt : nihil.*

Luc. 22. 35.

3° Separationem ac dispersionem Sociorum.

10. Sed, si nec mors adeo nec rerum penuria timenda est, aliud fortasse malum imminet, scilicet, ut invicem separari et hac illac dispergi necesse sit, quo vim persecutionis declinemus ? Haec, non diffiteor, PP. ac FF. carissimi, mihi quidem certe, nec minus etiam vobis, ut existimo, omnium gravissima foret probatio. Nihilo minus tamen, si talem etiam probationem, duram sane, permitteret Dominus, probatio utique foret, non perditio. Et numquid non *Domini est terra et plenitudo eius ?* Aut ubicumque fuerimus, nonne filii semper erimus illius providentiae quae nescit amare et deserere, quia tota paterna est ? Denique si quid tale accideret, non nisi ad tempus, ad exiguum tempus accideret, quo virtus nostra et constantia probaretur. Haec certe fiducia, fore ut, si dispergi nos contingat, iterum colligendi simus, idque brevi, mihi quidem ita inhaeret animo defixa, ut de ea usurpare illa Prophetae verba non dubitaturus sim : *reposita est haec spes mea in sinu meo.* Nequaquam, PP. ac FF. carissimi, tot illae ac

Ps. 23. 1.

Job. 19. 27.

tantae misericordiae Domini, quas Societas experta est adhuc hisce ultimis temporibus, et quibus non immerito aliquam miraculi speciem inesse multi etiam externi existimant, illae, inquam, tantae Domini misericordiae dubitare nos non sinunt, quin, quod coepit opus, ipse etiam velit perficere. Quod si percusserit nos, et sanabit; si disperserit, et congregabit. Quare animum, quaeso, quotquot sumus obfirmemus, et quaecumque tandem futura sint ea quae disposuerit Dominus, *gloriemur* cum Apostolo *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Rom. 5. 3

11. Fluctibus iactatur cymba Societatis; et quid mirum, quando Petri navis teterrima procella pulsatur? Scilicet, *nox* ingruit ac potestas tenebrarum. *Laboramus in remigando:* remiges enim a Pio VII vocati sumus; utinam strenui nullisque frangendi laboribus! *Laboramus*, inquam, *in remigando; est enim contrarius ventus.* Ast, modo ne cessemus, PP. ac FF. carissimi, *illucescet* aliquando *dies*, et *Iesus veniens*, qui suos nunc *laborantes videt* utique, aderit, et *ambulans super mare* fluctus feros divino vestigio calcabit, et *cessabit ventus*, et *fiet tranquillitas.* Clamemus utique, oremus: *Domine salva nos.* At pereundi timorem nimium, quaeso, ne concipiamus, ne forte, quem ad modum Apostoli, a benignissimo Conclusio. Matth. 8. et 14.

Ps. 26. 14. Domino *modicae fidei* arguamur. *Exspectemus, viriliter agamus, confortetur cor nostrum et*
Hebr. 10. 37. *sustineamus Dominum.* Adhuc *modicum aliquantulum, qui veniens veniet et non tardabit.* Illud interea precari a Domino non ullo die omit-
Jac. 1. 5. tamus, ut, *quia dat omnibus affluenter et non improperat,* donet quod Apostolus *optimum*
Hebr. 13. 9. vocat, donet, inquam, omnibus nobis *gratia stabilire cor.* Simul etiam illud Petri monitum prae
1. Pet. 4. 19. oculis habeamus, ut *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent*
Ib. 5. 10. *animas suas in bene factis. Deus autem omnis gratiae qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*

Vestrum omnium SS. SS. ac precibus me commendo.

RR. PP. ac FF. in Christo carissimi.

Romae, XXIV Iulii, M. DCCC. XXXI.

Servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS

DE MISSIONUM EXTERARUM DESIDERIO

EXCITANDO AC FOVENDO

1. Nobile sane est et excellens, ac vocationis nostrae maxime proprium ministerium, Iesu Christi evangelium, fidemque catholicam in remotissimis etiam orbis terrarum partibus propagandi. Atque illud quidem Societas nostra, Dei nutum ac vocationem minime dubiam secuta, inde ab ipsis suis primordiis amplexa est ; illud patres deinceps nostri nullo non tempore summo studio maximaque industria prosecuti sunt, eoque insignem per duo saecula Deo Domino nostro gloriam et innumeris animabus salutem aeternam pepererunt. Ad hoc tam insigne ministerium denuo capessendum cum haud obscuris neque infrequentibus invitationibus provocemur, Patres ac Fratres carissimi, facere non possum quin vos in communi per litteras alloquar et ad tantum opus desiderandum vos excitem, eosque inter vos, qui desiderio tam

Ad Missionum exterarum ministerium, quod semper amplexa est Societas, denuo nos stimulant

sancto iam sunt accensi, quos non paucos esse certo scio, ad necessariam tanti operis praeparationem quibus possim modis exhorter.

1.° Exempla maiorum nostrorum usque ad ultima Societatis tempora.

2. Equidem neminem esse vestrum existimo, qui, ubi memoria repetat quid in hoc genere a patribus nostris quanto labore quantoque fructu gestum sit, non inflammari se sentiat desiderio in partem aliquam ac societatem veniendi tantae in Domino gloriae. Initio enim facto a magno Indiarum apostolo, qui primus e Societate difficillimam adiit missionem, cum necdum pontificio diplomate Institutum Sancti Patris Nostri confirmatum esset, sequentibus dein temporibus tot viros apostolicos in omnes orbis partes Societas expedivit, eosque tam strenuos, tam sudoris et sanguinis prodigos, ut magnus ille Xaverius, in mystico isto apostolicae praedicationis caelo, non tam ut sol inter sidera quam ut stella primae quidem illa magnitudinis, at inter plurimas splendore vix ac ne vix quidem minores refulgere videatur. Exstant etiam nunc, nec umquam excident zeli eorum praeclara monumenta, ex quibus quanto studio et per quantas aerumnas sementem evangelicam fecerint, quamque copiosos collegerint frugum aeternae vitae manipulos, nemini non est manifestum. Indiarum tam multa regna, Sinarum Iaponumque imperia, Syriae, Aegypti et Aethiopiae regiones,vastissimas utriusque Americae plagas vixdum iis temporibus cognitas, incredi-

bili animi fortitudine libentes adierunt, nullis laboribus, nullis periculis territi, ut vel ab ipsis Ecclesiae ac Societatis hostibus admirationem extorquerent. Tantusque erat in Societate ad ultima usque tempora, sociorum ardor longinquas illas missiones exposcentium, ut numquam potuerit omnium eas postulantium votis a Praepositis Generalibus satisfieri; et in aliquibus quidem provinciis adeo commune id erat ac sollemne omnibus fere sacerdotibus desiderium, ut vix ullus esset, qui sacris Ordinibus initiatus missionem sibi ad exteras regiones non expeteret.

2° Religionis detrimenta in remotis illis regionibus.

3. Quo vero quantoque fructu in hoc apostolico ministerio ad ultima usque tempora patres nostri versati sint, et quantum postea, illis in universae Societatis clade sublatis, in remotis illis regionibus religio detrimentum ceperit, a nobis taceri potius quam commemorari convenit. Equidem, Patres ac Fratres carissimi, cum tot animarum, immo tot gentium miserabilem ruinam vel lego, vel etiam, ut identidem accidit, ab oculatis testibus referri audio, earumque plures etiam nunc patrum nostrorum memoriam servare, at operariis evangelicis destitutas esse, aut etiam ab impiarum sectarum ministris tentatas et magna ex parte seductas, non possum non intimis visceribus commoveri, illaeque Prophetae lamentabiles voces alto cordis gemitu una cum illis gentibus et pro illis ingeminandae occurrunt : *attende de caelo*, Domine, *et* Is. 63. 15. seq.

vide de habitaculo sancto tuo et gloriae tuae. Ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ?.... Tu enim Pater noster... Redemptor noster... quare errare nos fecisti, Domine de viis tuis ?... quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos... Civitas sancti tui, Ecclesia inter barbaros quondam populos florentissima, *facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostrae, et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Numquid super his continebis te, Domine ?* — Neque vero quemquam fore existimo inter vos, PP. ac FF. carissimi, quem tot miserabilium animarum strages non tangat, qui eam non acerbe doleat. Etenim si tale est huius nostrae vitae Institutum, ut nemo nostrum, cum de sua salute sollicitus Deo se commendat, non continuo in eam veniat cogitationem, id quidem sibi non sufficere in hoc suo vitae genere, nisi etiam ceterorum hominum aeternam salutem ardenter commendet Deo ac pro viribus promoveat ; quid sentire nos decet de tot miseris derelictis, et omni ope atque auxilio ad finem ad quem conditi sunt obtinendum destitutis ?

Is. 64. 10. seq.

4. Ne vero solo commiserationis sensu ac precibus et gemitibus in tanta tot animarum necessitate contenti simus, sed opera etiam nostra illis prodesse aliquando conemur, faciunt illae quas dicere incipiebam invitationes, ex quibus ostium magnum, idque forsan brevi, nobis apertum iri non immerito sperare licet. 3° Invitationes, quibus provocamur ad operandum

5. Ex Americae quidem Statibus foederatis, nostri, qui non exiguo iam numero ibi nec sine magno fructu laborant, novas operas sibi submitti postulant, idque in omnibus fere quas inde ad nos scribunt litteris etiam atque etiam flagitant; quod iam ne excolendis quidem catholicis, et colligendae ex illa omnium fere sectarum colluvie evangelicae messi sufficiant; cum tamen etiam ad illos aliquando Indos excurrere oporteret, quos olim patres nostri in Christo Iesu per Evangelium genuerant, quique nunc ex suis sedibus a novis habitatoribus exturbati, et in desertas oras versus Occidentalem plagam compulsi, vel omni prorsus religiosa institutione carent, vel quod magis etiam dolendum est nostrisque pudendum, ab errorum ministris ex Europa illuc submissis in perditionem praecipites rapiuntur. In Americae Statibus foederatis,

6. Deinde pauci illi ex nostris qui ad montem Libanum missi nuper fuerunt, et qui in maris Aegaei insulas, augeri sociorum numerum vehementer desiderant, cum utrobique et messis multa sit, et periculum imminens ne, ut in America, ita Ad montem Libanum et in maris Aegaei insulis,

et in illis regionibus, variarum sectarum emissarii incautos ac male sanos populos perfidis artibus occupent et in transversum agant.

Ad varias Asiae et Africae oras,

7. Praeterea nostrorum opera postulatur ad varias non Asiae modo, verum et Africae oras, ubi plurima christianorum milia, sacerdotum ope destituta, in praesentissimo periculo versantur aeternae salutis amittendae, nec sibi solum amittendae, sed et posteris suis, ubi fidei catholicae, quae in grave discrimen vocatur, iacturam fecerint.

In Indiis orientalibus, Sinis, etc.

8. Taceo de Indiis orientalibus, de Sinis, aliisque antiquis huiusmodi missionibus, de quibus pariter a nostris aliquando instaurandis iam non semel facta nobis mentio fuit ab iis, quibus pro suis in universali Ecclesia muneribus haec cura incumbit.

Ne igitur obstet operariorum penuria,

9. Quid iam me sentire existimatis, Patres ac Fratres carissimi, quid vero etiam vos sentire par est, cum me intellegatis, quominus tam multis postulationibus obsecundari tantisque necessitatibus serviri possit, operarum penuria prohiberi?

Qui Missionum desideria in se sentiunt, nomen dent;

10. Quod itaque officii mei partes postulant, in primis omnes in Domino invito et exhortor quam possum maxime, ut gratiam vocationis suae quisque suscitare in se satagat, et qui desiderium apostolatus huiusmodi immissum sibi senserit, illud in primis tamquam insignem Dei gratiam toto pectore suscipiat, illud diligenter foveat in animo, ac saepe se Deo ad illud aliquando, si eius sanctis-

sima voluntas tulerit, explendum offerat; deinde, re cum suo patre spirituali collata, nomen suum inter aspirantes ad tam nobilem provinciam ad nos transmittere, sive datis ad nos litteris, sive per suae provinciae Praepositum, non omittat.

Neque timeant Provinciales Provinciarum suarum detrimenta.

11. Praepositi autem Provinciales detrimenta suarum provinciarum ne extimescant velim. Nam evangelicum illud verbum : *date, et dabitur vobis*, etiam hic locum habere dubitandum non est. Neque vero exspectandum, donec tanta in provinciis copia suppetat sociorum, ut ex abundantia ac veluti ex superfluo aliqui ad missiones destinari possint. Verum ut in illo promisso Domini : *date, et dabitur vobis*, non utique tum solum liberalitatem exercere monemur, cum largae prae manibus habeantur opes ; non enim ait : *cum datum vobis fuerit, date ;* sed ut etiam de ipsa tenuitate sua dare nemo gravetur, certa spe nixus fore, ut quod ita dederit magno cum fenore a divina liberalitate refundatur, *date* inquit *et dabitur vobis* : ita plane in re de qua hic agimus nobis persuademus necesse est, quo fuerit generosior aliqua provincia, neque invita optimos sibique utilissimos homines ad missionum opus, Deo eos vocante, obtulerit, eo fore liberaliorem divinam bonitatem, ut novis accessionibus idoneorum sociorum eadem provincia locupletetur. Certe quidem generosis animis stimulus ad Societatem petendam unus ex acerrimis atque effi-

Luc. 6, 38.

cacissimis et fuit olim, et porro nunc erit, opera diligenter navata in remotissimis etiam gentibus ad Dei veraeque religionis cultum vocandis, aut in eo conservandis. Quam multos quamque insignes viros vel unius Xaverii apud Indos labores, cum primum in Europa percrebuissent, ad Societatis institutum amplectendum allexit! quantum etiam deinceps fructum Europae ac Societati Missionum exterarum attulit opera! Constat sane ex Societatis historia, eas olim provincias insignium virorum copia ac meritis in Europa floruisse maxime, quae liberaliores sese in sublevandis gentium barbararum necessitatibus, missis eo lectissimorum operariorum manipulis, praestiterunt. Nulla ergo hic timenda sunt detrimenta, sed potius magna fiducia sperandum fore, ut *populus* Deo in Societate *serviens merito et numero augeatur*, si quam plurimos idoneos miserimus in Domini vineam operarios.

Praeparatio ad Missiones

12. Sed iam ad alteram propositi mei partem transeamus, quae est de praeparatione ad missionum opus necessaria. Cum enim iam non pauci, ex iuvenibus praesertim, hanc sibi spartam longinquarum missionum ardentibus votis expetant, et plures etiam fore non dubitem, qui hisce excitati litteris eundem ardorem vel iam pridem conceptum expromant, vel eum hac occasione concipiant, necesse omnino esse arbitror aliqua hic attingere, quae iis inesse oportet qui ad tantum opus adeun-

dum aspirant ; ne forte, desiderio quantumvis pio sanctoque abreptus, aggredi quis velit quae perficere non possit, *turrimque aedificare* quam deinde *non possit consummare*, quod scilicet non *prius sedens, sedens,* inquam, multa quiete coram Deo, *computaverit sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.* Luc. 14. 28.

13. Atque hic de valetudinis quidem firmitate, deque indolis morumque ingenita quadam facilitate ad missionum istarum opus necessaria dicere supersedeo. Taceo etiam de doctrina ad tantum munus tuto suscipiendum requisita. Illud solum obiter hic monuisse sufficiat eos qui ad missiones aspirant eo diligentius debere ad studia incumbere, quo minora solent esse hoc in genere subsidia in longinquis illis regionibus. Cum enim in europaeis provinciis nec libri fere, nec docti viri desint, quos in dubiis consulere commode quisque possit, in missionibus non raro quisque sibi bibliotheca et consiliarius esse cogitur, qui, nisi a doctrina bene sit paratus, in errores scilicet quandoque non leves incurrat necesse est. Praeter valetudinem, bonam indolem, et scientiam diligentius hauriendam,

14. Verum de virtutum solidarum praesidio comparando ab iis qui missiones adire cupiunt potissimum mihi sermo est, Patres ac Fratres carissimi. Nam si ceterorum quae dixi donorum naturalium atque humanorum minor adsit copia, virtute non vulgari magna ex parte suppleri defectus huiusmodi potest. Nam et valetudo infirmior vigore Requirit virtutum solidarum praesidium.

spiritus non raro erigitur, et ad multa in Dei laudem operanda convalescit ; et indolis naturalis asperitas virtute facile mollescit aut mitigatur ; et doctrinae licet tenuis mediocritas ad non pauca praestanda potest valere, ubi non desit vitae sanctimonia. Ast virtutis defectum compensare nihil omnino potest ; ut adeo, si haec desit, etiamsi cetera sint omnia atque eximia, nec fructus animarum nec gloriae Dei solidum incrementum sperari possit ; sed detrimenta potius gravissima cum propriarum animaram periculo timeri debeant.

Quare, qui Missiones optat, videat qua ducatur puritate intentionis gloriae Dei et salutis proximi,

15. In primis ergo, qui missionum exterarum desiderio tenetur, hoc ipsum desiderium velim diligenter examinet, et qua potissimun re, qua spe moveatur, secum ipse coram Deo attento animo disquirat. Satis enim manifestum est, nisi purus sit intentionis oculus, nisi sola Dei spectetur gloria et animarum salus, errari graviter in isto desiderio posse nec sine ingenti periculo. Verus ergo ac sincerus Dei amor, in quo omnis veri zeli ratio consistit, tam sancti desiderii initium sit ac finis necesse est. Certe, si alia quaevis humana ratio, vel naturae quidam impetus, ad exoptandas missiones impelleret, constaret profecto tale desiderium a Deo non esse. Quid enim ? si quis vel vitae huius suae, munerumve quibus in praesens fungitur, pertaesus, exteras regiones cogitaret ? Quid ? si vitae ad exactam regularum nostrarum

observantiam accommodatae minus amans, missiones spectaret tamquam ingenio suo liberiorique agendi modo aptiores ? Quid ? si naturalis quaedam instabilitas, aut novas adeundi plagas novaque visendi curiositas quaedam impelleret ? Quid ? si species quaedam rerum non ordinariarum, quas missionarios experiri ut plurimum contingit, et quae admirabilitatis aliquid habent, alliceret ? Quis non videt haec et his similia, partim vana, partim etiam prava, neminem non modo impellere ad missiones expetendas non debere, sed ne in partem quidem venire posse huius deliberationis ? Quare, si quis forte aliquid huiusmodi in suo illo missionum desiderio, penitius animum perscrutatus deprehendat, illud, quicquid est, retundat omnino et excludat necesse est, ut eo solum fine missionem exoptet, qui tanti muneris proprius est ac solus verus ac sincerus evangelici operarii scopus. Hanc enim intentionis puritatem si in omni vita, et in omni actione nostra procurare a sancto parente nostro iubemur, *ut sincere in omnibus Deum quaerere* eique soli placere studeamus, quanto magis id necessarium est in deliberatione tam gravi, quaeque suis periculis carere non potest ?

16. Ita quidem a natura comparati sumus ut, quae rariora sunt aut minus communia, ea fere suspiciamus, ea demiremur, ad ea rapi nos quodammodo sentiamus. Cum itaque Patrum nostro-

Ab omni rerum insolitarum cupidine aliena ;

rum in missionibus labores, certamina, pericula legimus vel audimus, capi nos huiusmodi rerum desiderio mirum non est. Scilicet etiam ignavum quemque historiis bellorum, obsidionum, proeliorum, tempestatum, naufragiorum, veluti spectaculis quibusdam teneri ac delectari usu venit. Verum ea quae lectu et auditu iucunda sunt, quam gravia sint ac molesta experientibus cogitemus necesse est ; et profecto intellegemus, nisi Dei et animarum verus purusque amor ad talia ac tanta subeunda invitet atque impellat, non esse quod nobis de divina vocatione ad exteras illas missiones blandiamur.

Num iam nunc quaerat Dei gloriam studio orationis et puritate conscientiae,

17. Quod si quis uno moveri se amore Dei illique placendi desiderio sentiat ; videat velim quomodo, iam nunc, hunc ipsum Dei amorem exerceat, quantumque ponat studium ut in omni vitae suae ratione Deo placeat ; quam facilitatem agendi cum Deo in oratione et in omni cum eo communicatione in se experiatur, quam fidelis sit in suis spiritualibus de more exercitiis studiose et constanter obeundis, quam cautus sit in custodienda omni mentis et cordis munditie, cum, quod praecipue iuxta prophetae verbum ab homine *requirat Dominus*, illud sit : *sollicitum ambulare cum Deo suo.*

Mich. 6. 8.

Proximi salutem exercitio caritatis et patientiae;

18. Si vere animas iuvandi studio incensum se existimet, videat item quam libenter nunc labores ad hunc finem suscipiat, quanta caritate ac pa-

tientia ferat quae in communi vita interdum occurrere molesta solent, quam facile aliorum se ingenio accommodet, quam pacifice contradici sibi aut etiam aegre sibi fieri patiatur, qua alacritate, miseris praesertim, egenis, sordidis hominibus, in carcerum ac nosocomiorum squalore ac paedore, adesse ac ministrare consueverit.

19. Unus quisque enim ita sibi persuadeat, virtutem ad missionum opus necessariam nequaquam ita ut penulam ad iter capessendum momento indui posse. Quare, si quis neque cum Deo familiariter agere in oratione, neque cum fratribus suis patienter ac pacifice degere, nec ferre incommoda aut tolerare fortiter adversa didicerit, et tamen ad missiones expetendas rapiatur, hic merito illa prophetae verba sibi dicta existimet: *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis ?* Si in hoc tuo vitae genere, non adeo incommodo in collegiis, molestiam accipis, si labores moderatos et ipsa horarum apta distributione leviores aegre toleras, si exiguos istos paupertatis effectus, qui vix hoc nomen merentur, si fratris tui verbulum fortasse minus officiosum vel vultum subtristem horres: quid demum tibi ipse pollicearis, ubi inter continuas aerumnas ac labores cum hominibus fortasse barbaris omnique ferme humanitate destitutis versari continget? Tene illa expetere, illa desiderare, qui haec levia, quae illorum comparatione nulla sunt, vix ac ne vix

Ut praestare possit foris, quae sibi domi comparaverit,

Ierem, 12. 5.

quidem sustines ? Tene velle firmissime Deo inhaerere ; tibi ipsi relictum, arte cum Deo coniunctum vivere, cui in praesenti vitae genere cotidiana incitamenta, adiumenta, exempla vix sufficiunt ? *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis ?*

Fiducia in Deo non temere fretus,

20. Neque tamen eo haec dicta velim, ut quisquam qui sibi sancta illa desideria immissa sentiat, ab iis fovendis deterreatur, quod se etiamnum imperfectum agnoscat. Scio, Patres Fratresque carissimi, fiducia in Deo fretos, non propria virtute, missiones adiisse quotquot eas cum animarum fructu ac Dei laude obierunt. At certe virtutis perfectae studium verum atque efficax strenuamque eius exercitationem, ut praeparationem ad tantum opus suscipiendum omnino requiri, etiam atque etiam moneo et obtestor.

Et in sui abnegatione maxime exercitatus.

21. Longum esset, Patres ac Fratres carissimi, omnia virtutum praesidia singillatim percensere, quibus vel disponi animos vel muniri necesse est eorum qui longinquas missiones expetunt ; et mihi de hoc argumento agenti longius iam excurrit oratio, quam ipse mihi initio proposueram. Ad unum omnia referri possunt, ad veram scilicet sui abnegationem, ad generosam sui victoriam ; in qua ut rerum summam omnibus communiter nostris a sancto patre nostro positam fuisse, tum ex Constitutionibus, tum ex dictis factisque eius constat ; ita certe iis qui apostolatus ministerium in lon-

ginquis missionibus cogitant, haec eadem sui victoria, haec sui abnegatio non communi modo necessaria est.

22. Quicquid est, Patres ac Fratres carissimi, quod nobis in hoc nostro vitae genere inque nostris cum proximo ministeriis proponimus, ab illa semper intima persuasione inchoandum, ut illud Christi : *sine me nihil potestis facere*, et illud sancti praecursoris eius, *non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo,* alte animis nostris infixum geramus ; et nihil, omnino nihil effecturos nos ex nobis certa fide credentes ac sentientes, ad divinam opem nos et implorandam, et qua possimus ratione etiam promerendam comparemus. Certe quidem Deus, qui ad hoc vitae institutum nos vocare dignatus est, cuius scopus proprius esset in animarum salutem impense incumbere, pro eo quo gloriam suam prosequitur zelo sanctissimo, proque illo amore quo amat animas, hinc quidem iuvari illas ac salvari cupit ardentissime, inde vero pro ea fidelitate qua vocatos a se vocationique suae oboedientes prosequitur, paratus est adiuvare, ne fine nostrae vocationis nobilissimo sibique acceptissimo frustremur. Quod ergo nostrum est, in eo paene totum est, ut quicquid in nobis impedimenti esse possit, amoris proprii atque mundani, id primum omni studio removeamus ; quo scilicet remoto, mox pro beneplacito suo illis nos donis cumulabit, quibus

Tunc enim aderit Deus, qui nos vocavit, si vocationi fideles sumus, Ioan. 15. 5. Ioan. 3. 27.

Ioan. 15. 16. instructi *eamus*, et *fructum afferamus*, et *fructus noster maneat.*

Sive ad exteras Missiones destinemur, sive consuetis ministeriis occupemur in Europa.

23. *Non est abbreviata manus Domini.* Omnibus haec ad extremum dicta sint, Patres ac Fratres carissimi, sive quos divina bonitas ad exteras missiones vocabit, sive quos in hac Europa nostra consuetis in ministeriis consistere volet ; neutris enim, quocumque demum in loco, quocumque in officio, deesse occasio bene de Deo merendi

Is. 59. 1. umquam poterit. *Non est abbreviata manus Domini.* Et quod olim per hanc suam familiam in gloriam Nomimis sui operari dignatus est, id eum etiam his luctuosissimis temporibus effecturum certo confidamus, si modo nostrae vocationis memores, optimique parentis nostri praeceptis inhaerentes, instrumenta nos apta divinae manui praebuerimus. Sit nobis, quaeso, alte impressa animo gravissima illa et multa consideratione digna sententia, quam sanctum patrem nostrum frequentur in ore habuisse non ignoratis ; *paucissimi sunt, qui intellegant, quantum Deo volenti in ipsis operari ipsi impedimento sint, quantumque Deus in nobis et per nos effecturus esset, nisi a nobis ipsis impediretur.* O ergo si nos quotquot sumus divinae manui plane movendos regendosque committeremus ! O si quisque saepe illud Christi verbum sibi dictum serio cogitaret :

Ioan. 4. 10. *si scires, si scires donum Dei !* Heu ! quam multa fortasse talenta inoperosa iacent, quam multae

gratiae infructuosae! Quam multae fortasse animae non perirent, si omnes *boni aemulatores* esse- 1. Pet. 3. 13.
mus!

Ad hanc fidelitatem stimulet nos miseranda orbis christiani condicio.

24. Videte, quaeso, Patres ac Fratres carissimi, miserandam orbis christiani condicionem. Videte Ecclesiae sanctae necessitates, pugnas, calamitates, non ab apertis modo hostibus impugnatae acerrime, sed etiam a tam multis qui se filios profitentur, novitatum amatoribus afflictae, turbatae, laceratae. Videte crescentem in dies morum corruptelam, videte spiritum vertiginis passim hominum ingenia corripientem et omnia veri bonique dictamina labefactantem. Videte ut dux impiorum per innumerabiles sceleris sui ministros, triplicis concupiscentiae iniectis laqueis et catenis, miseros mortales, summos, imos, in barathrum superbiae et in effrenem licentiam sub specioso libertatis nomine detractos, in omne vitiorum genus praecipites rapit. Quam multa crimina, quam multi errores, veluti *fluctus feri maris, despumantes suas con-* Ep. Iud. 13.
fusiones, perrupto omni non modo sacrarum legum, sed honestatis etiam naturalis aggere, late quaquaversum exundant, omniaque devastatum ruunt! Eritne quisquam nostrum, quem tantorum malorum labes, tanta animarum Christi Iesu sanguine redemptarum pernicies non tangat, non commoveat, non urat? Quod si eo res devenit, ut in humanis quidem praesidiis nulla spes suppetat, et iam dudum optimus quisque cum pio rege Iosa-

2 Paral. 20. phat exclamare cogatur: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*: nonne tamen simul intellegemus, Patres ac Fratres carissimi, si quid opis per nos afferendum est, contraria contrariis omnino esse opponenda, superbiae scilicet humilitatem, effrenis libertatis cupiditati religiosam oboedientiam, mundi fastui spiritum paupertatis, voluptatum libidini Crucis Christi ejusque mortificationis amorem? Haec arma nostra spiritualia; haec interna dona, *ex quibus vim et efficaciam ad exteriora promanare ad finem nobis propositum oportet.* His Patres nostri instructi proelia Domini proeliati sunt et vicerunt; his et nos vincere in bono malum contendamus, eius sequentes vestigia, qui non aliis et ipse armis certavit et vicit, ae triumphans suis illam
Ioan. 16. 33. suavissimam vocem ingeminat: *Confidite, ego vici mundum.* Itaque id unum solliciti, ut ne qua in re desimus gratiae Dei, exspectemus, et
2. Par. 20. 20. *videbimus auxilium Domini super nos; — et*
Phil. 1. 6. et 2. 13. *qui coepit in nobis opus bonum, ipse perficiet pro bona voluntate sua. — Et quanto aliquis se artius Deo astrinxerit et liberaliorem erga summam maiestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias*

et dona spiritualia uberiora recipienda. Fiat, fiat.

Omnium vestrum SS. Sacrificiis ac precibus me commendo.

RR.. PP. ac FF. in Christo carissimi.

Romae, die III. Decembris, M. DCCC. XXXIII. S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo sacra.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS

DE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM S. P. N. STUDIO ET USU

Usus Exercitiorum S. P. N. efficacissimum est instrumentum ad renovationem spiritus in Soc. 1. Cor. 9 16. Rom. 12. 8.

1. Saepe ac multum cogitanti mihi, Patres ac Fratres carissimi, immo vero assidue animo volventi *(necessitas enim mihi incumbit ;* quippe cui per Apostolum dicitur : *qui praeest, in sollicitudine)* assidue, inquam, animo volventi quanam maxime ratione in renata paucis abhinc annis ac sensim adolescente Societate spiritus ille, vel exsuscitari ubi opus sit, vel conservari, foveri, promoveri possit, qui eius olim tum primordia tum incrementa tam laeta reddidit ecclesiae Dei, tam fru-

ctuosa ad innumerabilium hominum salutem ;
Luc. 1. 17. illud iam dudum occurrebat, nihil fore *ad convertenda corda patrum in filios*, ad filios, inquam, patribus reddendos quam fieri posset simillimos, aptius atque efficacius, quam Sancti Patris nostri Exercitiorum spiritualium diligens studium et accuratum usum. Etenim cum primos illos patres nostros, et qui eos dein subsecuti sunt, non alia re magis quam horum Exercitiorum opera in alios plane viros mutatos fuisse constet ; perque ipsos, alios deinceps atque alios, iisdem hisce spiritualibus Exercitiis excultos, e vitiorum laqueis expeditos, non virtutis modo verum etiam eximiae sanctitatis studio incensos fuisse, et in concepto semel ardore spiritus ad mortem usque per multos labores et aerumnas perseverasse, quid est quod iisdem Exercitiis nos rite utentes non eundem spiritus fructum in nobis fidenter exspectemus ? Equidem, Patres ac Fratres carissimi, dum hoc argumentum, quod dudum meditabar, tractandum apud vos suscipio, brevi compendio ad omnem vocationis nostrae perfectionem, ad omnium vitiorum et imperfectionum victoriam, ad omnium virtutum exercitationem efficacissime vos adhortari mihi videor ; atque ita existimo, si studium admirabilis libri sancti patris nostri, si diligentem et accuratum eius usum vobis persuasero, renovationem spiritus in universa Societate laetissimo nostrum omnium profectu consecuturam.

2. Ac de Exercitiorum quidem laudibus, de eorum excellentia atque efficacia apud vos disserere, Patres ac Fratres carissimi, supervacaneum existimo. Donum ea esse singulari Dei beneficio Sancto Patri nostro Ignatio concessum, et per illum Societatis proprium, nemo vestrum ignorat. Ab his potissimum ipsum hunc Societatis parentem suam illam hausisse eximiam sanctitatem, in his Societatis formandae ideam divinitus eum concepisse, haec socios ei peperisse in Christo, in his proinde conceptam fuisse Societatem, ex his natam, his adolevisse, his praecipue altam ac sustentatam fuisse ; haec unum ex praecipuis esse praesidiis, quibus ad duplicem vocationis nostrae finem, ad propriam scilicet salutem ac perfectionem, et ad salutem ac perfectionem proximorum coniti debeamus ; et quaecumque Societas adhibet ad finem suum consequendum media, in omnibus suis ministeriis, in omnibus operibus zeli, ex his eam haurire vim et efficaciam debere, in comperto est. Quod si Societas hisce Exercitiis in primis parentem suum acceptum referre debet, his eius primos socios, (quales quantosque viros !) his constitutiones suas, caelestis plane sapientiae opus, his se totam suaque omnia, non est profecto quod pluribus verbis demonstretur, quanti eorum tractatio momenti sit ad Societatis nostrae conservationem et incrementum.

Ex his enim nata est Societas st conservata.

3. Et vero tractantur illa a nostris, et prout

Quae si ho-

diedum, licet aeque frequenter, at non eodem fructu tractemus,

constitutiones legesque nostrae praescribunt, tractantur frequenter. Per solidum mensem in Tirocinio primum singuli, iterumque per mensem integrum post studia peracta in tertio probationis anno; quotannis item per octo vel decem dies iisdem ex praescripto vacamus omnes. Eorum usus etiam apud externos ita iam communis est, ut passim in omnibus fere monasteriis, in ephebaeis, in scholis, ad populum etiam publice tradantur, ea frequentia qua fortasse numquam magis. Ast fateri vel inviti cogimur, licet fructus quidem salutaris exsistere numquam non soleat, raro tamen iam Exercitia eos producere effectus eximiae illius sanctitatis, quae olim vix non perpetuo eorum tractationem consequebatur. Atque ut de aliis qui Exercitiis spiritualibus excoli solent nunc non agamus; de nobis ipsis, Patres ac Fratres carissimi, hic mihi sermo est. Neque enim est quod ita nobis blandiamur, ut non plane videamus longo nos intervallo distare ab eximia illa patrum nostrorum virtute, quam in annalibus nostris legimus et admiramur. Ut enim, quae Dei misericordia est, recti bonique desiderium vigeat passim in omnibus, idque ipsum hisce spiritualibus Exercitiis potissimum debeamus, non est tamen quod hac quacumque bonitate vitae contenti esse possimus, si vocationis nostrae altitudinem consideremus, si formam nobis in constitutionibus propositam contemplemur. Viros enim non com-

Ut olim maiores nostri.

muni quodam modo, sed eximie spirituales et insigniter orationi deditos, et, quod maioris est momenti, viros abnegationis perfectae, perfectae mortificationis, zeli perfecti, qui animo vere magno et generoso expugnantes omnem carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani affectum, Christum quam possint proxime sequantur, Christum unice ament, unice spirent, Christum imitari per aerumnas ac ludibria, per mille mortes ardenter exoptent, quales olim prodiisse plerosque ex Exercitiis spiritualibus accepimus, rariores iam esse, non sine intimo dolore nec sine pudore fateri debemus. Magna illa et praeclara et heroica in codicibus legimus frequenter, oculis cernimus rarius, nec fere nisi in paucis.

Amplioribus fortasse Dei donis ornati:

4. Neque vero is ego sum qui ab omnibus omnia praestari aut posse aut debere existimem. Scio, Patres ac Fratres carissimi, non eandem gratiae mensuram omnibus tribui, nec sine praesumptionis periculo futurum, si nobis omnia imitanda proponeremus quae in patribus nostris fuere eximia, quos ut *primitias spiritus habentes* largiore manu divina bonitas donis suis cumulaverat. Immo vero praeclare nobiscum agi arbitrabor, si, ut in illis servis suis Dominum *mirabilem praedicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriari* possimus. Sed tamen si nobis *centesimum ferre fructum,* ut patribus nostris, datum non est; num *trigesimo* aut etiam decimo contentis esse

Rom. 8. 23.

Matth. 13. 23.

nobis licet, cum fortasse *sexagesimum* saltem ferre daretur, si conatum intenderemus ?

Saltem ipsius libri S. P. studium et usus in nobis vigeat,

5. Itaque sic existimo ac plane sentio, si spiritualia Sancti Patris Exercitia a nobis magis accurate usurparentur, maiora nos incrementa spiritus veraeque sanctitatis absque dubio capturos. Quod autem dico, ita intellegi velim, ut ipsius libri Sancti Patris nostri studium et usum in nobis magis vigere summopere cupiam.

Posthabitis ceteris exercitiorum libris, quae minus S. P. sensum assequuntur,

6. Multi sane, Patres ac Fratres carissimi, multi prostant libri titulum Exercitiorum spiritualium praeferentes, qui fuse Exercitiorum Sancti Patris argumenta pertractant. Sed nimirum, qui, dum vacat Exercitiis, huiusmodi libris utitur, praesertim si ipsius libri Sancti Patris cognitionem et usum habeat nullum, is magis fere lectione pascit intellectum, quam meditatione veritates illas intime penetrat; cum tamen is sit praecipuus Exercitiorum fructus, ut sublimes illae veritates rite perceptae, animo alte defixae inhaereant, inque omni vita ad earum normam actiones nostrae omnes exigantur. Quid ? quod plurimi ex illis, qui Exercitiorum conscripsere libros, mentem Sancti Patris Ignatii vix obscure assecuti sunt. Quid ? quod plerique nec sensa Sancti Patris nec verba servarunt. Quod utinam saltem fecissent semper omnes ac solum superaddidissent quaedam quisque de suo ! Sed multi sua plerumque sensa sensis Ignatii substituerunt, et in multis scilicet vim Exercitiorum

enervarunt, ut vere dici possit in tanta huiusmodi librorum copia: *inopes nos copia fecit*, et sacer ille ignis veluti sub cinerum cumulo obrutus ac paene deperditus iaceat.

Et quorum lectio non est illud Exercitium quod S. P. a nobis requirit,

7. Quam multi ergo etiam inter nostros, qui cum huiusmodi libros Exercitiorum tempore adhibere soleant, exiguum ac fere non nisi transitorium capiunt ex Exercitiis fructum! Quam multi qui numquam librum ipsum Sancti Patris usu gustuque probavere! Quam multi vix eum, ut ita dicam, de facie norunt! Et aliqui fortasse ne regulas quidem illas memoria et usu tenent, quas partim *Annotationum*, partim *Additionum* nomine sanctus parens noster praescripsit, et in quibus ille maximam semper vim ad fructuose meditandum posuit, et posuere quotquot recte Exercitia tractarunt. Ergo illud plerumque evenit, ut qui libris illis quos modo dicebam exercitiorum tempore utatur, lectione magis quam meditatione in sacro secessu occupetur; ut, quae absque multa mentis et cordis applicatione percurrit, sine multa quidem animi defatigatione, sed etiam sine magno fructu percipiat; ut denique id fere agat, quod ii plerique qui diffusos audiunt de veritatibus illis sermones: legentium enim et audientium hic ferme eadem est ratio, quae longe certe ab Exercitiorum spiritualium usu, qualem Ignatius intellexit, abest. Ille quidem, quid sint Exercitia spiritualia in ipso libri sui limine explicaturus,

similitudine utitur exercitiorum corporalium, quae agere illi scilicet dicuntur *qui ambulant, iter faciunt, currunt.* At vero qui solum audit, qui legit quae ab aliis fuse per modum meditationis proposita sunt, et ita se exercitia spiritualia facere existimat, similis mihi videtur illi qui dum alios ambulantes, iter facientes, currentes, multa quiete sedens spectaret, se exercitia facere corporalia diceret, cum id de iis solum qui ipsi ambulant, ipsi iter faciunt, ipsi currunt, vere dici posse nemo non videat.

Sed potius refertur ad exercendos alios ;

8. Poterunt ergo plerique illi Exercitiorum spiritualium libri utilitate sua non carere, si quis illis extra exercitiorum tempora utatur, si eos identidem pro lectione spirituali assumat, si eos adhibeat dum ad populum dicendum est, ut inde apta ad auditorum animos illuminandos et excitandos argumenta depromat : sed dum quis exercitiis spiritualibus vacat (non iam de illitteratis, de rudioris ingenii tironibus loquor, sed de iis potissimum qui magistri divinae huius artis esse debent, id quod omnibus sacerdotibus nostris commendatum est), equidem unicuique auctor sum ut ipso Sancti Patris libro potius quam alio quovis utatur. Quod si quis, propter nimis exiguum vel potius nullum eius libri usum adhuc factum, sibi ieiunum fore nimis et aridum existimet, eius se studio ex animo dedat, et experimentum semel faciat velim, et profecto plura latere sub paucorum

Dum contra, S. P. documenta sequentes, nos ipsos exercemus.

verborum cortice reperiet quam prima specie videbatur ; illudque ei continget quod plerisque cordate idem opus aggressis contigisse experti novimus, qui abundantiam rerum in eo tantam, Deo scilicet piis conatibus aspirante, invenerunt, ut nullum alium deinceps librum pro exercitiis spiritualibus praeter ipsum illum Sancti Patris requirerent, et quotiens eo uterentur, totiens novam inde se luminis practici copiam magno suo bono percepisse profiterentur.

Hunc in finem divino suggerente spiritu a S. P. conscriptus liber, continet ; 1. Cor. 2. 4.

9. Atque utinam omnibus vobis, Patres ac Fratres carissimi, studium in primis, tum usum admirabilis huius libri persuadere possem ! Epistolae angustiis prohibeor equidem quominus singillatim thesauros ingentes in eo contentos enumerem et exponam. *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, sed in virtute Dei, Ignatius, litterarum etiam tum plane expers, quae divino Spiritu suggerente didicerat, primum sibi tum aliis servare ac, Deo animum eius manumque regente, chartae tradere constituit.

1°. Methodos orandi facillimas et efficacissimas.

10. Methodos orandi facillimas itemque efficacissimas docet, quibus utentes quam plurimos, etiam illitteratos Fratres adiutores, horas integras, nullo taedio, fructu maximo, orationi impendere consuevisse novimus. Et vero quid facilius quam animi facultates, memoriam, intellectum, voluntatem, certo servato ordine, ad veritates fide cognitas applicare ? Quid item facilius, quam vitae

passionisque Christi Iesu mysteria per contemplationem distinctam personarum, verborum, actionum meditari ? Quid ad sui cognitionem, ad vitiorum suorum emendationem aptius utroque illo examine, quod tanta verborum simplicitate a sancto parente propositum, tam facile ab omni homine, qui modo bonae sit voluntatis, in praxim reduci potest? Iam vero si praecipua vitae spiritualis documenta, quae in libro Sancti Patris admirabili ordine tradita sunt, attingere velim, finem non inveniam.

2°. Praecipua vitae spiritualis documenta ordine admirabili,

11. Quid enim ego de sublimi illa philosophia dicam, quae in ipso quod primum proponitur *Fundamento* continetur, quaque Sanctus Pater docet hominem in rebus suis rerumque creatarum usu, non affectu quocumque, sed ratione duci, ut, quid demum sit, *hominem esse*, et *ut hominem decet agere*, intellegat? Quid de peccatorum gravitate cognoscenda ac detestanda in utroque de peccatis exercitio ? Quid de praeclara illa de regno Christi meditatione, ubi iam non hominem qualemcumque, sed christianum erudit et ad maiora provocare incipit ? Quid de duobus vexillis, ubi apostolicae vocationis finem et media et excitamenta sane potentissima, non magis menti intellegenda quam oculis ipsis spectanda proponit ? Quid de eligendarum rerum cognitione, deque animi dispositione, quam tum descriptis tribus humilitatis modis, tum propositis tribus hominum

classibus seu tentat et explorat, seu suavissime simul et efficacissime provocat et excitat ad aemulanda charismata meliora? Quid de caelesti illa sapientia ac prudentia, qua omne bonum desiderium cum propriae imbecillitatis cognitione ita semper coniungit, ut divinae gratiae auxilium, et ad cognoscenda quae recta sunt, et ad eadem voluntate amplectenda, necessarium esse assidue moneat semperque eam postulare, et qua ratione postulanda sit doceat? Quid vero dicam de quibusdam ignem spirantibus sententiis, quibus refertus est aureus iste ac divinus plane liber, quasque in plerisque exercitiorum spiritualium libris, quod incredibile videatur, frustra requiras?

3° Sententias ignem spirantes,

12. Quo in genere ut unum alterumve exemplum afferam, quid quaeso ad sui ipsius cognitionem propriaeque miseriae atque indignitatis sensum aptius quam quae a Sancto Patre cogitanda, meditanda et animo volvenda proponuntur: dum vel *animam nostram in hoc corpore veluti ergastulo constrictam, hominemque ipsum in hac miseriae valle inter bruta animalia exsulantem* repraesentat; vel per quosdam veluti gradus meditantem deducens, cogitare iubet *quid sit homo unus ad ceteros homines omnes comparatus; quid deinde mortales vel omnes comparati ad Angelos ac Beatos; quid postea Angeli ac Beati omnes et quicquid est creaturarum, comparatum ad Deum Creatorem; quid* proinde, *quan-*

Ut in meditatione de triplici peccato,

tulus, quam fere nihil, *unicus homuncio* ad illam supremam Maiestatem; atque inde iubens meditantem descendere ad considerandam primum *corporis foeditatem*, deinde *animi pravitatem*, cogit eum tandem concludere nil aliud denique sese esse, nisi *ulcus quoddam* et *apostema*, atque adeo pestilentem orbis *luem* ob commissa peccata?

In eiusdem colloquio,

13. Quid iterum suavius et ad inflammandos animos erga piissimum redemptorem potentius, quam cum in colloquio, quo tremendam illam de triplici peccato meditationem concludit, *Christum e cruce pendentem* iubet veluti *coram spectare; ac deinde ex nobis ipsis quaerere, cum ipse Dominus tanta nostra causa faciat ac patiatur, quid tandem illo dignum nos egerimus, quid agamus pro illo, quid agere debeamus in posterum?* vel cum item in contemplatione de Christi nativitate cogitare iubet *qui* tandem *summus ille Dei Filius in extrema nascatur paupertate, ut demum vitam illam, tot inter aerumnas, in fame et siti, in aestu et frigore, per iniurias et ludibria transactam, in crucis patibulo consummet; et haec omnia propter me?*

Et in contemplatione de Christi Nativitate.

Itaque omnes familiarem nobis reddamus huius libri usum,

14. Praetermitto alia his similia quam plurima. Verum haec, cum praesertim in conspectu Dei, animo iam ad compunctionem per ipsum sacrum secessum et praecedentia exercitia composito, considerantur, quem, quaeso, non commoveant, non feriant? cuius cor non urant, non inflamment?

Iterum dicam : experiatur quisque, velim, et serio se huius libri studio dedat ; et si quem umquam huius suscepti studii paenituerit, me dati parum opportuni consilii incuset, non repugnabo. Profecto dolendum maxime sentio, et vero etiam pudendum, quod liber hic sancti parentis multis etiam ex nostris ita parum cognitus sit, ut *liber* fere *clausus* ipsis habeatur. Ergone thesaurum hunc tantum possidebimus veluti in terra defossum ? Ergo praeclarissimum hoc caelestis harmoniae organum in manibus nostris mutum erit, sine voce ac mortuum, quod qua ratione tangendum sit, ut sonos suos edat, ignoremus ? Ergo praestantissimis hisce *armis spiritualibus*, ut ea Sanctus Pater vocabat, instructi, *ingredi* ad pugnam *non poterimus*, quia *non usum habemus ?* Studeamus, quaeso, Patres ac Fratres carissimi, studeamus diligenter, insignem hunc, divinum hunc Exercitiorum librum intellegere ; eiusque usum familiarem nobis reddamus ; neque enim absque diligenti studio usuque frequenti eius intellegentiam assequemur. Quod cum omnibus nostris sacerdotibus commendatum esse cupio, tum praesertim superioribus, rerumque spiritualium praefectis, qui suae curae commissos, in hac scientia Sanctorum acquirenda, non sibi relinquere, sed ducere ac dirigere debent ; tum vero omnium maxime tironum magistris, et instructoribus tertiae probationis : cum inter utriusque probationis *experimenta*

ab Instituto praescripta, illud sit, sin minus semper tempore, at certe dignitate ac necessitate *primum*, ut exercitia spiritualia integra a singulis qui probantur fiant. Et sane ex his discendus orandi meditandique modus et usus cotidianus; ex his examinandae conscientiae ratio petenda, et methodus exstirpandi vitia et acquirendi virtutes; ex his omnis vitae nostrae spiritualis documenta certa ac tuta, ex his regulae ad inimici seu apertas tentationes, seu tectas artes ac fraudes cognoscendas ac superandas, ne quis forte specie boni deceptus a vero bono divellatur; ex his denique omnis vitae nostrae vocationisque ratio potissimum petenda est; nec umquam futurus est aliquis verus Societatis filius, numquam eius spiritum habebit, nisi hinc, e Sancti Patris inquam Exercitiis, hauserit.

Et studium, non speculativum, sed practicum,

15. Neque enim studium libri Sancti Patris eiusque usum dum tam multis verbis commendo, studium eius, ut aiunt, mere *speculativum*, commendare me, vos ipsi, credo, satis intellegitis. Absit, Patres ac Fratres carissimi, ut librum hunc manibus assidue versantes, ac tantae admiratione sapientiae capti, eum veneremur tantum, laudemus aliisque commendemus. Absit, ut, quem ad modum de Ioannis Baptistae admiratoribus Christus Dominus aiebat, quod *ad horam* eius splendore delectati essent, quin tamen ex eius praedicatione verum cepissent fructum, ita nos, pulcherrimis

Ioan. 5. 35.

Sancti Patris documentis capti ac delectati, manum operi admovere in nobismet ipsis neglegamus. Quis enim nescit, omnem hic fructum ab applicatione pendere? Quae quidem omnis practica est, seque in universam vitae nostrae rationem, et in omnes actiones nostras, et in actionum omnium modos, in intima demum sensa omnia et cogitationes omnes sese diffundat necesse est; cuius proinde vis et efficacia tam late patet, ut terminum in his invenire non sit, neque adeo dicere umquam possimus: *sufficit.*

Intellegentes omnem eius doctrinam referri ad propriam abnegationem,

16. Illud vero praecipue animadvertamus oportet, ac prae oculis semper habeamus, in verae perfectaeque abnegationis propriae studium omnem spiritualium exercitiorum doctrinam resolvi. Hoc enim qui non intellegat, periculum est ne, ut in constitutionum nostrarum, ita in exercitiorum studio vehementer erret, eoque perniciosius quo propter sapientissima vitae documenta doctior sibi ac spiritualior videri posset. Spiritualium enim rerum intellegentia, nescio quomodo, animis interdum illudit, ut iam vere spiritualem se esse quis existimet, propterea quod in rebus spiritualibus versatus optime sibi videatur; quae, si qua alia, tentatio periculosissima est.

In qua totus est,

17. Ad propriam itaque abnegationem omnia demum referuntur, idque ex universo Exercitiorum libro manifestum est. Non tradit Beatus Pater sublimis cuiusdam orationis et singularis unionis

cum Deo modos aut praecepta. Ad hanc docet quidem animos disponere ; at dispositionem omnem praecipue in illa quam dixi abnegatione sui constituit. Quis Exercitiorum finis ? Audi ex ipsa libri inscriptione : *ut homo se ipsum vincat vitamque suam disponat absque ulla affectione quae recte ordinata non sit.* Qua vero ratione vita omnis recte ordinabitur ? Nempe, proposito nobis fine puro purissimo unius Dei gloriae nostraeque salutis. Hoc in *fundamento*, hoc in *electionibus*, hoc passim ubique repetit, inculcat. Quomodo vero id assequemur, ut tam recte, tam pure agamus ? Si tollamus quicquid in nobis ipsis impedimenti est. Et quodnam illud ? Quicquid propriae est voluntatis, quicquid est amoris proprii et mundani. *Hoc sibi quisque persuadeat*, inquit, *tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius et proprii commodi affectione sese abstraxerit.* In hoc tam constanter insistit Beatus Pater per totum libri decursum, ut, et ubi *de victu* recte *temperando* agit, et ubi de *paenitentiarum* usu determinando, et ubi doctrinam tradit de *electione*, et ubi de *vitae reformatione*, et ubi de *eleemosynarum distributione*, idem diversis licet verbis assidue ingerat : *eo melius futurum, quo longius ab amore nostri ipsorum recedamus.* Ad hoc in meditatione *de regno Christi*, ad hoc in altera *de duobus vexillis*, ad hoc in proponendis *tribus*

hominum classibus, tribusque humilitatis modis, admirabili arte nos erudit, et invitat, et impellit ; ubique naturae repugnantiam impugnare docet ac superare. Quod si ex animo, si strenue, si constanter agamus, et vitam omnem recte ordinabimus, et virtutum possessionem facile consequemur, et vero etiam ad unionem cum Domino beatissimam nosmet ipsos, eius opitulante gratia, disponemus. Hac, non alia via, patres nostri, quod sane notatu dignissimum est et ex annalibus nostris constat, hac, inquam, via patres nostri, qui primis illis temporibus ad religiosam in Societate vitam non aliis fere institutionibus nisi exercitiis spiritualibus instruebantur, vi et animo in illis concepto, cum se abnegationi propriae generose exercendae dedissent, brevissimo plerique tempore ad eximiam vitae perfectionem eluctati sunt, et fructus in Ecclesia Dei fecerunt uberrimos, quibus nos etiam nunc, post unum, alterum, tertium saeculum, gaudemus et fruimur. Scilicet hoc illi vitae spiritualis axioma, in exercitiis intime perceptum, alte impressum animo gerebant suoque confirmabant exemplo : *quantum quisque a se ipso recedat, tantum appropinquare Deo ;* et *cor, quo magis vacuum sit amore proprio, eo magis Dei spiritu repleri.*

Quem fructum ex eo collegerunt Patres nostri,

18. O Patres mei ac Fratres dilectissimi, si spiritum Dei habuerimus, si vere spirituales fuerimus, quam bene nobis, quam bene Societati erit

Et nos ipsi, in suo quisque gradu, colligemus,

universae ! Quae pax, quanta unio animorum inter nos ; quanta alacritas ad laborandum pro gloria Dei et animarum salute, et ad patiendum etiam quaecumque adversa quanta promptitudo ! Quam bene fluent nobis omnia ! Quanto illa ipsa externa ministeria, quae pro nostrae vocationis ratione tractamus, nobis ipsis primum, tum aliis plurimis uberiores afferent utilitates ! In ipsa litterarum scientiarumque tractatione, quam procul aberunt contentiones, aemulationes, praeoccupati in particularibus propriisve opinionibus animi, aliaeque huiusmodi miseriae, quae et intellectum obscurare solent, nec studiorum minus progressui quam virtuti ac perfectioni nocent plurimum ! Erit in superioribus zelus disciplinae sine asperitate, suavitas non remissa ; erit discretio, erit prudentia, simplex tamen semper et ab omni specie odiosae illius, et quam omnes merito detestamur, politicae longissime remota. Erit in subditis oboedientia integra, prompta, hilaris, constans, perfecta, exsecutionis, voluntatis, et iudicii etiam, qualem cupit maxime Beatus Pater in suis. Denique universa Societas vero suo vigentique spiritu efflorescet, qualem illam Sanctus Pater Ignatius iuxta formam, non terrena, sed caelesti sapientia inventam ac descriptam condidit.

Si haec sancta Exercitia diligenter adhibeamus, et

19. Quapropter oro vos, Patres ac Fratres carissimi, per Sancti Patris Ignatii reverentiam, cui, post Iesum et Virginem Matrem, nos nostraque

debemus omnia ; per amorem Societatis, cuius incrementa et successus, non a quibuscumque naturalibus aut humanis praesidiis, non a splendore doctrinae aut eloquentiae, non ab hominum quorumcumque favore, sed ab eius vero in nobis conservato renovatoque spiritu pendent ; per salutem ac perfectionem cuiusque propriam, quae nobis omnibus summopere cordi esse debet, quippe quibus in hac vocatione bonis piisque christianis esse profecto non sufficit ; per Ecclesiae sanctae necessitates tantas, quibus aliquam a nobis afferri opem suo iure mater optima postulat et exspectat ; per animarum pretiosissimo Christi Iesu sanguine redemptarum salutem, quibus iuvandis sacramentum in hac Christi ducis militia diximus : Oro vos atque obtestor, ut tam praeclarum, tam efficax ad tanta bona consequenda subsidium, quod nobis in Sancti Patris exercitiis traditum est, et studiosa complecti mente, et diligenter adhibere, documentaque in iis tradita ad effectum usumque perpetuum et cotidianum in vobis ipsis deducere, quanta possitis industria et conatu, ad patrum nostrorum imitationem, satagatis. Et quoniam non in industriis nostris nostrisque conatibus, sed in divinae gratiae auxilio potissimum huius tanti boni consequendi spes sita est, iuxta ipsorum exercitiorum doctrinam, divina haec auxilia studiose et ardenter petamus ; ad Virginem scilicet gratiae Matrem confugientes, et per Mariam ad Iesum

in usum deducamus,

Divinae gratiae auxilia, per Mariam ad Iesum, et per Iesum ad Deum Patrem accedendo, flagitantes.

mediatorem Dei et hominum, et per Iesum denique ad Deum Patrem benignissimum accedentes, petamus, postulemus, flagitemus certa fiducia impetrandi. Neque enim timenda repulsa est in tam iusta petitione, modo ne ipsi nobis desimus.
Matth. 20. 21. Etenim, si peteremus *sedere ad dexteram vel sinistram in regno* eius, si quaecumque speciosa aut minime ad finem nostrum necessaria postularemus, respondere nobis posset Dominus, ut olim filiis Zebedaei : *nescitis quid petatis*; at dum id ab eo efflagitamus, quod ipse maxime a nobis requirit, et sine quo ei placere non possumus dum nostrae conscii inopiae misericordiam et opem imploramus, dum denique non aliud petimus nisi
Luc. 11. 13. *spiritum bonum* : *dabit* utique *petentibus se* misericors ac benignus *Pater noster caelestis ;* ac bonus hic spiritus, verus inquam spiritus Societa-
Ioan. 4. 14. tis Iesu, *fiet in nobis fons aquae salientis in*
Sap. 7. 11. *vitam aeternam, venientque nobis omnia bona pariter cum illo.* Quem ut et mihi, qui omnium maxime illius egeo, concedere Dominus dignetur, vestris me SS. SS. et orationibus enixe commendo.

Reverendi Patres ac Fratres carissimi.

Romae, XXVII. Decembris, M. DCCC. XXXIV.

Vestrum omnium servus in Christo,

IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

IN ANNUM SAECULAREM

1. Instans quadragesimus huius saeculi annus, qui tertium a confirmata per Paulum III. Societate saeculum claudet, novumque Deo propitiante Societati aperiet, illud a nobis omnino postulat, PP. et FF. carissimi, ut novo quodam ardore ad spiritus etiam renovationem animum ac studium nostrum intendamus. Quamvis enim huiusmodi renovatio sit omnis temporis, nec modo singulis annis ac mensibus saepius, sed etiam cotidie, et, ut Scriptura loquitur, *de die in diem*, studium sese renovandi in unoquoque, qui religiosam perfectionem sectetur, vigere ita debeat, ut in dies cum Apostolo, *quae retro sunt obliviscens*, in virtutis stadio *ad anteriora se extendat*, negari tamen non potest, esse quaedam tempora quae ipsa per se ad subiciendos bene currentibus stimulos, et ad ignavum quemque, nedum e somno si forte dormitet, sed vel si quis mortuus sit, excitandum plurimum valeant. *Ecce nunc tempus*

Instans annus saecularis postulat a nobis renovationem spiritus;

Ps. 95. 2.

Philip. 3. 13.

2. Cor. 6. 2.

Ephes. 5. 15. *acceptabile,* inclamabat Apostolus aliquando, *ecce nunc dies salutis ! Surge qui dormis, et exsurge a mortuis !* Huiusmodi vero tempus esse prae ceteris annum saecularem, cum nec vos, PP. ac FF., dubitare existimem, et equidem ita omnino esse persuasum mihi habeam, minime praetermittendum esse duxi quin de hoc argumento aliquid litterarum darem ad universam Societatem. Verum cum plures habeamus Praepositorum Generalium *de renovatione spiritus* egregias epistolas, quae non sine fructu legi identidem consueverunt, et quas hac occasione relegi valde cupio, illud potius mihi assumendum esse visum est, ut, quae et quanta sint incitamenta, quae hoc maxime tempore, quo novum saeculum Societas exorditur, ad renovationem hanc procurandum stimulare nos debeant, veluti coram vos alloquens exponerem.

De qua cum plures extent Praep. Gen. epistolae,

Nunc considerandа veniunt incitamenta huic tempori propria :

In primis conspectus proxime elapsi saeculi :

2. Et in primis aequum esse videtur, ut, conversis tantisper retro oculis in saeculum ultimo elapsum, spectemus, PP. ac FF. carissimi, Societatis hisce postremis temporibus vicissitudines multas et magnas, vel per summa lineamenta adumbratas ; hic enim conspectus et ipse maximam profecto vim habet ad animos nostros excitandos.

Initio exhibens florentem ubique Societatem,

3. Erat Societas ante hos annos centum, cum tertium saeculum ingrederetur, florens vigensque, ut alias semper, litterarum, doctrinae, eloquentiae laude ; christianae iuventutis institutionem multis in locis sola sine aemulis, in aliis nulli fere alteri

religiosae familiae secunda, occupabat successu optimo ; animarum zelum erga omnis generis et condicionis homines ; non Europae solum regionibus fere omnibus, catholicis aeque et acatholicis, sed et in ceteris mundi partibus etiam remotissimis interque infideles exercebat, commendatione sui maxima nec minore fructu ; et, quod caput est, inter hominum plausus ac favores, sincerae pietatis ac sanctitatis studium ita in ea vigebat, ut, si, quod humana fert condicio, in tanto sociorum numero (censebantur enim supra viginti milia) imperfecti homines utique deesse non poterant, paucissimi tamen essent in tanta multitudine, qui aliquando vitae aliqua morumve pravitate, dolente matre optima Societate, offenderent, plurimi in quavis provincia vitae sanctitate eminerent, suavissimumque Christi odorem longe lateque diffunderent. Ceterum acerrimum Societati ubique cum erroribus ac vitiis certamen ardebat ; in Ecclesiae sanctae defensionem, in auctoritatem romanae sedis tuendam strenue incumbebat ; in detegendis novis erroribus, qui pullulare iam coeperant, quique nati erant ad sacra omnia primum, tum ad principum regumque solia convellenda, remque publicam omnem perturbandam, vigil excubabat ; iisque debellandis, vel certe comprimendis, vocem, calamum, consilium, studium, industriam, operam omnem impendebat. Itaque auctoritate et gratia apud Romanos Ponti-

fices ceterosque Episcopos, apud principes ac populos, passim ubique pollebat maxima. Videbatur itaque Societas insigne quoddam scientiarum, virtutis, ac pietatis domicilium. Videbatur templum quoddam augustum gloriae divinae et animarum saluti per orbem terrarum, qua late patet, apertum. Quis umquam existimasset fieri posse, ut paucos post annos, rerum omnium inexspectata conversione facta, hoc tam praeclarum, hoc inquam, tantae pulchritudinis tantaeque utilitatis publicae aedificium ingens, quod mole sua stare videbatur, crebris ictibus pulsatum, convulsum, tandem quassatum corrueret ? Et tamen, quod incredibile dictu videbatur, brevi, Deo ita permittente, accidit ! Ut scilicet intellegant omnes, nec scientiae virtutisque laudem, nec res bene gestas, nec merita quamvis immortalia, neque ex his natum favorem hominum quantumvis potentium, satis esse ad sustentandam quamcumque humanam institutionem, nisi Deus, Deus ipse servatam velit ; Dei solius omni tempore nitendum esse misericordia et auxilio ; utque nos prae omnibus mortalibus discamus, experientia docti, quod docet fides, nec nostra nec quorumcumque hominum opera Deum eiusque Ecclesiam indigere ; dicamusque cum Psalmista singuli pro se quisque, et pro Societate universa universi : *Conserva me Domine, quoniam speravi in te,* in te solo ; *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Sed mox omnimoda clade afflictam,

Ps. 15. 1.

4. Ergo saeculi illius de quo loquimur quarto lustro necdum exacto, iam prima clades illata est Societati in eo regno, quod olim omnium primum vixdum natam exceperat, eamque exinde amantissime complexam foverat semper studiosissime ac liberalissime, quodque suae illam gloriae quodammodo sociam domi forisque in remotissimas usque Indias asciverat. Quae plaga quam fuerit gravis, quam dura, quam dira etiam atque crudelis, satius est tacitos nos praeterire. Fuit vero illud *initium dolorum*, qui mox ingravescentes, sibique invicem instar fluctuum saevi maris succedentes, seque invicem impellentes, intra alia tria lustra, non amplius, Societatem universam funditus everterunt ; ut vel ipsa supremi Pastoris, Christi in terris Vicarii, auctoritas et potestas, cui defendendae nata Societas erat, non modo illi tuendae par non fuerit, sed et ipsa, diu licet reluctata, postquam nova etiam Constitutione Apostolica eam defendisset, probasset denuo atque laudasset, tandem tamen vi et impetu inimicorum, non dicam fracta, sed certe debilitata in hoc certamine, victas adversariis dare manus, ac Societatem hostium suorum odiis permittere coacta fuerit, ne quid scilicet gravioris detrimenti Ecclesia Dei caperet. Quae autem et quanta eo tempore mala Societas universa passa sit, rebus omnibus exspoliata, domiciliis suis eiecta, impetita calumniis, contumeliis et *opprobriis saturata*, Thren. 3. 30.

Primum in Gallia,

Matth. 24. 8. Deinde ubique ;

1. Cor. 4. 13. *purgamentum huius mundi facta et omnium peripsema*, tacitus item praeterire malo ; ac potius quae, in tanto miseriarum quo Societas mergebatur pelago, Dei benignitas et misericordia eminuerit, id quod maxime ad animos nostros pie movendos et ad fervorem vel in frigidissimo quoque pectore excitandum valere debet, pro meo instituto persequar. *Non enim humiliavit ex corde suo et abiecit* omnino Societatem nominis sui Dominus Iesus ; sed, vel in ipsa illa memoranda ac miseranda clade, plurima eius et insignia exstiterunt in Societatem beneficia, quae grato animo nos recolere par est.

Non tamen a Deo destitutam ; cuius benignae Providentiae significationes sunt ;

Thren. 3 33.

1°. Societatis innocentia numquam antea clarius manifestata,

5. In primis enim numquam clarius patuit Societatis innocentia, quam cum eversa fuit. Tam multae tamque atroces calumniae, quibus iam dudum impetebatur, quibusque diluendis vix ac ne vix quidem dabatur locus, numquam evidentius confutatae fuerunt, quam tum, cum, ea oppressa ac suppressa penitus, eius intima quaeque patuerunt oculis omnium vel inimicissimorum. Tunc nimirum Ecclesiae hostes, deposita larva, de Societatis abolitione tamquam de praeclaro negotio a se tandem confecto, veluti parto triumpho sibi gratulati sunt ; nec dubitarunt multiplex litterarum commercium, quod secretissimum habuerant, typis evulgare, ex quibus omnis ratio diuturnae in Societatem conspirationis, et potentium adversariorum consilia, et artes adhibitae, et fraudes,

luce palam apparuerunt. Cumque Societas tamquam publicae tranquillitati principumque auctoritati inimica traduceretur, eoque potissimum nomine exstincta esset, factum est, ut non nisi ea eversa illae demum subsecutae sint rerum publicarum regnorumque eversiones, quarum ad haec usque tempora nondum finis, quasque dum Societas stabat florens et incolumis vel frustra, vel omnino non tentandas fuisse, et improbi saepe haud obscure fassi sunt, et probi ac sapientissimi homines non vanis inducti argumentis existimarunt. Profecto si quis eas tragoedias, quae non ita multo post Societatis ruinam acciderunt, consideret, in iis ipsis malis, quae Ecclesiam Dei et omnia quidem regna terrasque omnes, sed illas prae ceteris in quibus gravius et crudelius afflicta Societas fuerat, afflixerunt, luculentam Societatis apologiam contineri fortasse non immerito dixerit. Sed haec quidem Societatis cladem subsecuta sunt.

2° Ipsa suppressio Passioni Dominicae, vel certe martyrio simillima.

6. In ipsa clade duo memoranda maxime occurrunt, PP. ac FF. carissimi, quae, si sapimus, et Societati maxime gloriosa fuisse, et nobis omnibus maximo esse solacio debere, singularis denique fuisse Dei in Societatem benignitatis et amoris argumenta maxima existimabimus. Et quaenam sunt illa ? Scilicet, quod in primis, cum Iesu nomine insignita Ducem suum sequi se non solum in vitae ratione, sed et in cruce ferenda profiteretur, in illa de qua loquimur clade ea passa est,

quibus duci suo ac regi Christo Iesu videretur quam simillima. Ac semper quidem illa, quam gratiam Ignatius Pater sibi sociisque enixe supplex a Deo petiverat, inde a primis suis exordiis, *gloriari in Cruce D. N. I. C.* potuit ; cui obtrectationes, et calumniae, et contumeliae, et maledicta, ad imitationem divini exemplaris numquam scilicet defuerunt. At certe crucis Christi particeps numquam alias ita fuit ut in illa extrema ruina ; in qua calumniis non impetitam solum sed oppressam, non lacessitam iniuriis sed plane obrutam, si martyrium quoddam illam subiisse quis dixerit, nihil dixerit absonum a veritate historiae. Hoc itaque in primis Societati aiebam gloriosum in oculis Dei, nobis solacio plenum. Alterum est quod in illa clade socii de se praebuere spectaculum Deo, Angelis et hominibus.

Galat. 6. 14.

3° Sociorum vita exemplaris post suppressionem.

7. Quid enim in illa temporum acerbitate Patres illi ac Fratres nostri ? Quanta illos in tantis calamitatibus Dei benignitas et gratia sustentavit, ut rebus omnibus exuti, in exsilium eiecti, hominum ludibrium facti, tamen quam in Societate vivendi rationem didicerant, plerique in saeculo retinuerint, ipsaque illa inculpatae vitae ratione manifestum fecerint, non potuisse perversam esse matrem quae tales filios genuisset atque educasset ! Calicem Domini sui, calicem ignominiarum ac dolorum biberunt usque ad faeces ; contemptum et opprobria, quae olim inter meditandum

adamare Christi exemplo didicerant, mira in tantis aerumnis constantia pertulerunt; *fidem* interea *suam Deo numquam mutaverunt*, neque imminutus fuit eorum pro gloria Dei zelus, neque a bene de Ecclesia merendo destiterunt; quin etiam ex divulsis illis ac dispersis Societatis membris praecipui ferc exstiterunt, teterrimis quae subsecuta sunt temporibus, romanae sedis ac religionis sanctissimae defensores. Exiguumne hoc existimabimus Dei beneficium tertio hoc Societatis saeculo in illam collatum, quod, vel exstincta Societate, spiritus tamen Societatis in sociis illis exstinctus non fuerit? Et haec quidem et alia multa, quae longum esset singillatim persequi, fuere gravissimae illius calamitatis solacia et levamina. Ad laetiora iam divinae in Societatem hoc eodem saeculo protectionis ac providentiae plane singularis argumenta consideranda transeamus. Tob. 2. 18.

8. Quam enim everti altissimo semperque adorando consilio permisit Deus, non tamen ita eversam, non ita penitus exstinctam voluit, ut non aliqua eius pars exigua, non aliqua eius scintilla servaretur. Itaque mirabili eius providentia factum est, ut, cum ubique terrarum Societas exscinderetur, in extremo septentrione portio quaedam eius minima, quaeque fortasse totius Societatis erat ut loco ita et animis humillima, certe minus mundo cognita, ac fors hoc ipso nomine potissimum Deo curae erat, salva utcumque consisteret. 4° Mirabilis Societatis conservatio in angulo Europae,

Non ego hic miros eventus referam, qui Societatis ibi conservationem comitati sunt ; et quomodo non semel ea ipsa quae ad disturbandas exiguas illas reliquias machinabantur Societatis hostes, maxime ad eas certius ac melius conservandas, Deo mirabiliter disponente, profuerint. Narrabunt haec aliquando Societatis annales ; mihi vel commemorare singula longum esset. Verum illud omittere non possum, quod, cum uno, non amplius, anno ante Societatis universae abolitionem, regionis illius accessione ad imperium Rossiacum facta, pauca illa domicilia in tuto quodammodo collocata fuissent ; uno, non amplius, anno post restitutam ab immortali Pio VII Societatem, vexari illa in imperio Rossiaco coeperit, coacta tum maxime ex illius imperii metropoli exsulare. Ut illud non obscure significare voluisse Deus videatur, sua providentia factum fuisse, ut ibi tantisper Societas veluti deposita lateret, ubi, *in silentio et in spe* futurae quondam resurrectionis, *salutare suum exspectaret.*

Is. 30. 15.

Gen. 49. 18.

5° Eius restitutio

9. Hic vero, ubi ad illud tempus iam ventum est, quando Societas ad novam vitam e suis ruinis resurgere singulari Dei beneficio visa est, quos animi sensus in nobis excitari, quas bonitati divinae reddi gratiarum actiones, quos omnibus nobis addi stimulos, illius recordatione beneficii, ad illum de quo agimus novum spiritus fervorem procurandum necesse est, PP. ac FF. carissimi ! Quanta

fuit illa Dei benignitas, quae misericordia in Societatem, cum post inaudita post hominum memoriam bella, post convulsam et conquassatam Europam universam, bonorum plausu maximo, nequiquam frementibus impiis, Societas ad pristinam vitam revocata fuit!

Primum tacita in Alba Russia et dicione Parmensi,

10. Ac Pius quidem VI iam dudum vivae vocis oraculo, cum aliud non sinerent illa tempora, patres nostros, quod in Alba Russia, ubi Breve suppressionis promulgatum numquam fuerat, constantes in sua vocatione persisterent, probaverat; idem, sub sui Pontificatus finem, aliquod etiam Societatis instaurandae initium fieri in Parmensi dicione, angustos inter fines, timide cauteque permiserat: dederat hoc piissimo et Societatis amantissimo principi. Et haec quidem initia aurora quaedam Societati post longam noctem visa fuerant.

Mox publica in Imperio Rossiaco, in Siciliae Regno, et ubique.

11. At Pius VII cum primum Societatem in imperio Rossiaco datis Apostolicis litteris sub ipsa sui Pontificatus exordia confirmasset, cum paulo post Siciliarum regno concessisset ut Societas et ibi restitueretur, tandem ut, nulla terrarum orbis parte excepta, redintegraretur concessit, neque concessit modo, sed ut omnino fieret ardentissimis Pontifex optimus votis postulavit, omnique studio principes populosque ut eam redivivam exciperent foverentque hortatus est, suoque praeivit exemplo benignitate ac liberalitate maxima; quin etiam hanc restituendae per univer-

sum orbem Societatis fuisse inter primas curas, quas sibi post longum exsilium in sedem suam restituto suscipiendas et opere exsequendas omni mora posthabita existimaret, Pater Sanctissimus profiteri palam in illa sua Constitutione Apostolica non dubitavit. Fuit profecto haec postrema pars tertii saeculi Societatis divinis beneficiis cumulatissima ; quae licet enumerare omnia non vacet, illud non praetermittendum, quod intra paucos annos duos ex filiis quondam suis Societas ad Beatorum honores evectos vidit, quorum alterum etiam hoc anno sollemni pompa, Urbe et orbe congratulante, inter Sanctos relatum conspeximus. Ita scilicet Dominus *habitare fecit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem !*

Ps. 112. 9.

6° Eius inter tantas vicissitudines incrementa.

12. Quae porro, inter horum temporum perpetuas licet perturbationes, tantas inter rerum vicissitudines, incrementa Societas ceperit, sine magno solacio cogitari non potest. Et quaevis quidem provincia hic merito sua sibi memoria recolet ; romana se in plurimas ex antiquis suis sedibus veluti postliminii iure revocatam gaudet, ac in Urbe praesertim tria sua praecipua domicilia, quae singula proprio sibi sancto, quondam incola, nunc patrono, Ignatio Patre, Aloysio Scholastico, Stanislao Novicio, gloriantur, restituta gratulatur sibi, atque una cum domiciliis tam multa simul illorum Sanctorum suorum monumenta, in tantis temporum iniuriis conservata et illaesa, sanctitatis

dulcissima pignora pariter et potentissima excitamenta.

13. Haec tertii saeculi Societatis fata dum recolimus tam varia, tristia, laeta, et in omnibus elucentem singularem Dei in eam benignitatem, qui *humiliat et sublevat, deducit ad inferos et reducit*, quique, *dum irascebatur, misericordiae recordatus*, vel in ipsa clade non defuit, et in conservandis eius reliquiis paterna cura vigil astitit, et in restituenda tandem mirabilem se exhibuit, et post eius restitutionem protegere eam et fovere, interque ipsas tempestates ac procellas cymbam hanc Societatis, Petri navis eiusque fortunarum sociam, servare ac provehere non destitit ; haec, inquam, omnia dum recolimus, quaenam, quaeso vos, PP. ac FF. carissimi, sensa esse nostra debent ? Haud dubium, quin haec tria debeant esse praecipua.

Porro haec fata Societatis tria in nobis sensa excitare debent : 1. Reg. 2. 6. 7. Hab. 3. 2.

14. Primum est, ut Deo optimo maximo de tanta in Societatem indulgentia ac benignitate gratias maximas agamus, tum propter eius ipsius gloriam, tum propter ipsam Societatem, tum denique quod nos in partem tantorum beneficiorum vocare dignatus sit ; utque hinc etiam nostrae huius vocationis, tam multis nominibus a divina pietate commendatae, summam aestimationem et amorum foveamus. Fuit quidem tempus, cum admissio in Societatem donum esset rarissimum, quod procul quaesitum ibant, quos Dei vocabat

1.° Gratum animum pro praeterito.

gratia. Sunt etiam nunc in Societate superstites, qui ad eam accesserunt, cum illa vix ducenta Sociorum capita numeraret. Iam per multas regiones diffusa Societas est, et numerus sociorum ultra tria milia excrevit. Videte, ne cui vestrum tantum Dei donum vilescat, minusve pretiosum videatur, quod iam quaesitu minus difficile factum sit ac vulgo communius.

2.° Fiduciam in futurum.

15. Alter sensus ex praeteriti saeculi recordatione, fiduciae esse debet magnae in Domini bonitate, fore scilicet, ut, *qui coepit opus, ipse perficiat,* est enim totum opus eius ; ut *qui* Societatem *e tot malis ac periculis eripuit,* speremus *quoniam et adhuc eripiet, et ex perceptione praesentium munerum firma* nobis *fiat exspectatio futurorum ;* si tamen ipsi nobis divinaeque bonitati non desimus.

Philip. 1. 6.

2. Cor. 1. 10.

3.° Sollicitudinem et curam assiduam in praesenti.

16. Atque hic tertius est sensus, PP. ac FF. carissimi, quem ex iis quae de Societatis elapso saeculo rebus commemoravi, excitari in nobis omnibus vehementer desidero, sollicitudinis nempe et curae assiduae, ut, tantis Dei muneribus in matrem Societatem collatis non ingrati, digne vocatione nostra ambulemus, atque ita divinis circa Societatem atque adeo circa nos ipsos consiliis quam fieri possit fidelissime respondeamus.

Hanc curam ut renovatione spiritus praestemus, en triaincitamenta :

17 Et quoniam gratiarum actio praeteritum tempus, spes autem ac fiducia futurum spectat, et utrumque potissimum respicit Deum, a quo praeterita accepimus, futura speramus, quod vero

nostri muneris est, totum est praesentis temporis, totumque nostrum est; de hoc aliqua mihi dicenda supersunt, ut quae sint nostrae partes probe intellegamus, ac nostri officii memores, in illud, renovato fervore, acri studio incumbamus. Videte, quaeso, PP. ac FF. carissimi, quam multa sint hoc tempore quae fervorem hunc a nobis postulent et exigant, eiusque studium unicuique nostrum persuadere debeant.

18. In primis restituta Societate revixit impiorum hominum in illam odium; antiquae calumniae novis coloribus adornatae in vulgus sparguntur; voce, scriptis, libris, libellis, ephemeridibus, quarum veluti diluvium quoddam orbem inundat, proscindimur cotidie. Sunt etiam plurimi homines minime mali, qui praeiudiciis occupati semper mala de nobis suspicantur et omnia nostra in deteriorem partem interpretari consueverunt. Haec quidem nos tolerare patienter, neque indignari, neque his commoveri necesse est neque mirari *quasi novum aliquid nobis contingat* : *in hoc* enim *positi sumus*. Verum, si quid umquam istiusmodi homines reperire possint in nobis, quod Societati maculam inurere, eius operam vel impedire vel retardare possit, quanto illud studio arripi ab ipsis existimatis ? Quanta ergo vigilantia nobis opus est, quanta nostri ipsorum custodia, ne qua detur ipsis vera criminandi occasio ? Quanta necessitas caute ambulandi, ut non modo a malo,

1.° Adversariorum recrudescentes impugnationes.

1. Pet. 4. 12.

1. Thess. 3. 3.

1 Thess. 5. 22. Tit. 2. 8. sed vel *ab omni specie mala abstineamus* nos, ut *qui ex adverso est nihil habeat malum dicere de nobis ?* Nostra enim vita non est ut privatorum hominum, non est in abscondito ; in oculis omnium versatur ; ministeria nostra ferme omnia publica sunt ; et, ob praeconceptas de nobis sinistras opiniones, etiam ea quae plerique alii licere sibi existimant, quaeque alii facere vel inobservati vel impune possunt, ea nobis vitio continuo vertuntur, exaggerantur ; et, consueto illo quantumvis iniquo iudicio, *crimine ab uno disce omnes*, quod unus nostrum aliquis forte peccet, id universae Societati tribuitur. Si verum quaerimus, gratia haec est Dei, quae nos ita admoneri officii et in officio semper contineri studiosissime intendit. Sed videndum nobis etiam atque etiam est, PP. ac FF. carissimi, ut verbis utar principis apostolorum, *quomodo conversationem nostram habeamus bonam* inter tot adversarios, qui nos nostraque observant omnia, quique plures fere sunt quam nos ipsi plerique suspicamur ; — ut ergo illi ipsi *ex bonis operibus nos considerantes glorificent Deum in die visitationis ; — ut bene facientes obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam. Haec est enim gratia,* inquit idem Apostolus, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis ? sed si bene facientes patienter sustinetis ; haec est,* addit eodem loco ad

1, Pet. 2. 12. seq.

Ibid.

solacium nostrum, *haec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis. Et quis est qui vobis noceat si boni aemulatores fueritis? Nam et si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Hactenus S. Petrus, tum ad solacium, tum ad exhortationem nostram. Atque haec quidem adversariorum odia, malevolorum suspiciones a nobis postulant. Quid vero piorum hominum ac bene in nos affectorum voluntas et amor?

2.° Piorum hominum ac bene in nos affectorum voluntas et amor.

19. Mihi quidem videtur hoc tempore, in renata et paulatim crescente Societate, illud fere accidere quod in aedificatione secundi templi Ierosolymis contigisse in sacra historia legimus. Ex bonis illis Israelitis, cum laudarent Levitae Deum, et sollemni illo cantico confiterentur *Domino ; quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius*, erant qui laetitia exsultarent, erant et qui amare flerent. Seniores, qui viderant templum prius, sanctitate, magnificentia et gloria ad miraculum usque augustissimum, comparatione facta cum eo quod iam e ruinis exsurgere cernebant, dolore scilicet ob ea quae perdita videbant excruciabantur, atque hunc dolorem novi templi fun-

1. Esdrae 3. 11.

Ibid. 12. datio nequaquam satis temperabat. *Qui viderant templum prius.... et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Contra, qui primum illud numquam viderant, illis magnum quid et eximium novum templum videbatur; itaque sum-
Ibid. mopere gratulabantur sibi, *vociferantes laetitia elevabant vocem; nec poterat quisquam,* ait sacer textus, *agnoscere vocem clamoris laetantium, et vocem fletus; commixtim enim populus vociferabatur clamore magno.* Simile quid in hominum piorum iudicio de Societate nostra, qualis nunc est, contingere video. Sunt qui miro favore nos nostraque laudent atque magnificent, qui nostra omnia ad caelum extollant; sunt et qui contra nos omniaque nostra ad ima deprimant, nihil esse censentes quod nos novi homines agimus. Et in illis quidem nimius erga Societatem favor, in his nescio quod frigus animos occupat. Illi nimio amore peccant, hi fortasse in diiudicandis rebus nostris non satis discreti sunt. Nos vero, PP. ac FF. carissimi, has inter voces tam dissonas, inter haec tam diversa de nobis iudicia quid? Medium quidem tenere inter utrorumque sententiam, fortasse verius, erit procul dubio nobis opportunius; ut neque ob illum favoris excessum nobis blandia-
Is. 3. 11. mur, cum scriptum sit: *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et vias gressuum tuorum dissipant;* neque tamen ob aliorum minus aequam de nobis opinionem animo

cadamus. Sed utrorumque de nobis iudicia illud certe efficiant in nobis necesse est, ut illorum de nobis vel existimationem vel exspectationem non penitus frustrare conemur. Quid enim, quaeso, si languide, si tepide,si neglegenter ea quae vocationis nostrae sunt agamus? Si Societas, non ita pridem renata, in ipso suo veluti adulescentiae flore senescere videatur? Si exspectationem illam tantam, a bonis omnibus conceptam ex patrum nostrorum gestis, quorum memoriam nec temporis diuturnitas neque criminationum et calumniarum atrocitas oblitterare potuere, non modo a nobis non aequatam, id quod ne sperare quidem possumus, sed omnino frustratam videant? Eia, Fratres, ne *infe-* 1. Mach. 9. 10.
ramus crimen gloriae nostrae, quae alioqui non nostra est, sed Ecclesiae sanctae, Deique ipsius gloria, cui procurandae nos totos devovimus, et cuius est opus, non nostrum, quicquid ex nostro Instituto agimus et urgemus.

20. Cogitate, quaeso, Ecclesiam matrem piissi- 3.° Ecclesiae necessitates, et spes de nobis conceptae,
mam Societati suas necessitates commendare, suos et dolores pandere, et spes etiam conceptas ostendere. Hinc enim illa vulnera sua commonstrat, et acerbissimis doloribus dilacerari sinum suum amare conqueritur ; tantam errorum colluviem, tantam morum corruptelam in populo christiano serpentem ; *dispersionem lapidum sanctuarii*, multorum scilicet multis in locis illorum ipsorum, qui *forma gregis* esse deberent, offensiones et 1 Pet. 5. 3.

scandala, multorum quin etiam perfidiam, qui pastores esse cum deberent, *lupi rapaces* facti sint, et *dispergant oves, et mactent, et perdant, et perimant;* tanta christianae iuventutis pericula, cui laquei ubique tendantur, ut moribus simul et fide corrupti, bis mortui, bis involuti retibus et catenis daemonis, rapiantur in perniciem. Inde vero solacia etiam sua, ac spes Ecclesia dulcissimas ostendit ; multorum quos ipse communis pravitatis excessus revocare ad meliora consilia videtur ; multorum qui, diu ab sinu suo haeresi vel schismate avulsi, iam ad matrem oculos reflectunt, et ad Ecclesiae unitatem ac veritatem regredi parant ; multarum etiam gentium, in pluribus terrae partibus, quae *regiones* suas offerunt *albas iam ad messem.* Illi itaque dolores sui ut leniantur. hae spes suae ut aliquando implcantur, Ecclesia sancta etiam a Societate nostra auxilium postulat et exspectat.

Mach. 7. 15. Ioan. 10. 10, 12.

Ioan. 4. 35.

Expositae a Pio VII. in Bulla restitutionis.

21. Neque vero ignoratis, PP. ac FF. carissimi, quid sibi ille alter parens noster Pius VII proponeret, quid sibi de Societate polliceretur, cum eam in orbem universam restitueret. Per illam, *in tantis rei publicae necessitatibus, salutaria auxilia sibi a Deo singulari providentia suppeditari;* per illam *in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocatus,* in Societatis hominibus *expertos et validos remiges sibi offerri ad frangendos pelagi, naufragium*

et exitium quovis momento minitantis, fluctus non dubitabat. Ita ille sentire se palam in illa sua constitutione profitebatur.

Exspectationi satisfaciemus, si apta nos reddamus instrumenta in manu Dei,

22. Equidem fateor, PP. ac FF. carissimi, ad tantas spes de nobis a Sanctissimo Pontifice conceptas, pudore me et confusione totum perfundi. Quis enim ego sum ? Qui sumus nos, PP. ac FF. dilectissimi ? Haec talia ac tanta exspectari a nobis, a nobis praestari umquam posse ? Certe quidem si nos ipsos viresque nostras consideremus, nulla profecto spes in nobis inesse posset huic tantae exspectationi respondendi. Sed enim cum Dei hoc opus sit, numquid *abbreviata manus Domini* Is. 59. 1. *ut salvare nequeat, vel in multis, vel in paucis ?* 1. Reg. 14. 6. Et qui tanta tamque admiranda pro Societate facere dignatus est, nonne quantulacumque opera nostra uti se velle satis manifeste declaravit ? Ille sane instrumentis, quibus voluerit, utitur ad ea quae suae voluntatis et gloriae sunt exsequenda. Hoc ergo restat unum, ut, quod in nobis est, nos disponamus ad Dei dona recipienda, et in eo omne studium fervore novo ponamus, ut *instrumenta* reddamur apta divinae manus.

Quae similitudo instrumenti propria est S. P. N.

23. Et quoniam haec ipsa est propria Sancti Patris nostri similitudo, in constitutionibus non semel, et saepe alias usurpata, ut tamquam *instrumenta divinae manus* ad eius gloriam et ad animarum salutem esse nos debere intellegamus ; in hoc ego iam sistam, et ad hoc vos unice adhortabor, PP. ac FF. carissimi.

Docentis quibus mediis nos disponamus erga Deum et proximum,

24. In primis videte, quaeso, quid in hanc rem scriptum nobis reliquerit sanctus parens in decima parte Constitutionum, ubi ex professo agit *de modo quo conservari et augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit.* Audite eius verba, non audienda solum aut legenda, sed unicuique serio meditanda. Haec ergo ibi habet §. 2. " Ad conservationem et incrementum non solum corporis, id est eorum quae externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi praefigit, auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt quam quae illud disponunt erga homines. Huiusmodi est probitas et virtus, ac praecipue caritas et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum, ad gloriam eius qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito. Videtur itaque in universum curandum esse, ut omnes qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, et spiritualium rerum studium incumbant, ac in huiusmodi maius momentum quam in doctrina, vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum

oportet. „ Tum subiungit § 3. “ Hoc iacto fundamento, media illa naturalia, quae Dei ac Domini nostri instrumentum in proximorum utilitatem disponunt, in universum ad conservationem et incrementum totius huius corporis conferent : si tamen et addiscantur et exerceantur sincere ad solum Dei obsequium ; non ut illis fiducia nostra innitatur, sed potius ut divinae gratiae, iuxta summae providentiae suae ordinem, per haec cooperemur ; qui ad gloriam suam tam dona naturalia quae ipse ut creator, quam supernaturalia quae ut gratiae auctor donat, vult referri. Et ideo media humana, vel per industriam acquisita, ac praecipue doctrina exacta et solida, et modus eam proponendi populo in contionibus et lectionibus, et forma agendi cum hominibus eosdemque tractandi, diligenter curanda sunt. „ Haec sanctus parens.

Excolendo strenue talenta nostra, sed maius momentum ponendo in rebus spiritualibus.

25. Ergo ut *instrumenta* idonea simus iuxta S. P. mentem, sunt quae nos disponere debeant erga homines, et sunt quae erga Deum. Sunt itaque necessaria talenta litteris ac doctrina exculta ; idque eo magis hoc tempore, quo plura in hoc genere homines, difficiliores fere ac fastidiosiores quam umquam, requirunt in iis muneribus quae Societatis maxime propria sunt. Quare in his acquirendis et excolendis diligenter, pro muneris et loci ac temporis opportunitate, nec studium cuiquam nec industria desit necesse est ; immo vero

magni haec esse momenti ad vocationis nostrae finem consequendum unusquisque sibi persuadeat. Talentum quisque suum fideliter ac strenue exerceat. Et quamcumque bonarum litterarum scientiarumque humanarum partem si quis de Societate cum insigni profectu tractare possit, ne omittat, *sincere tamen ad solum Dei obsequium*, ut S. P. monet, idque hisce temporibus tanto magis, quanto videmus plures cotidie litteris et scientiis eiusmodi ad religionis detrimentum abuti ; ut desiderandum vehementer sit et omnino necessarium, ne ulla scientia ex iis quae in mundo in pretio habentur, ab hominibus religiosis intacta relinquatur. Verum inter haec studia simul illud mente teneamus, id numquam memoria excidat necesse est, maioris esse momenti ea quae instrumentum cum Deo coniungunt ; cum constet, ad finem supernaturalem, qualis est vitae huius nostrae finis rerumque nostrarum omnium, media naturalia nullo pacto satis valere per se posse. Ergo si quis umquam litteris ac scientiis ita se dedat, ut in rerum spiritualium studio tepescat, is illud sibi dici cogitet quod vel de caelo monitus quidam a S. Patre nostro dicitur : *Petre, Petre, plus de virtute, minus de scientia.* Omnes vero illam saepe revolvant mente sententiam gravissimam, quam idem parens noster et in ore frequenter habuisse accepimus, et in epistolis eius legimus saepe repetitam : *paucissimos esse qui*

intellegant quantum Deus in ipsis et per ipsos operaturus esset, si sese illi totos, ut divinae manus instrumenta, regendos atque gubernandos permitterent.

Tales ut simus,

26. Eritne quisquam inter Societatis filios tam ignavus, tam vecors, qui non optet ardenter ut Deus in ipso et per ipsum praeclara operetur ? Itane quisquam vocationis suae *ad Maiorem Dei Gloriam* immemor vivat ? Ergo qua ratione *instrumentum* se Deo exhibere debeat, unusquisque serio cogitet, quod utinam non iam paucissimi ex nobis, sed plurimi, sed omnes intellegant !

Insistendo in eadem similitudine,

27. Et *instrumentum* quidem qualecumque duplici modo ab artifice gubernandum est, quorum alter ad illud praeparandum et aptandum, ut instrumentum idoneum fiat ad opus, alter ad ipsius instrumenti usum pertinet ; et uterque hic modus ad rem nostram aptissime referri potest.

Praeparationem instrumenti efficiat mortificatio ;

28. Ut instrumentum aliquod praeparetur, videte, quaeso, quam variis modis illud tractari et probari soleat, ut ferme sine ferro et igni instrumentum nullum reddi aptum possit. Haud aliter et nos intellegamus, si *instrumenta* esse Dei velimus, ad omnia nos paratos esse debere, quo illam suscipiamus formam quam summus ille artifex requirit in iis quorum opera uti ad gloriam suam constituit ; id quod item absque igne et ferro, absque multa, inquam, mortificatione frustra speres. Quod si de electis omnibus illud pulchre

In Off. Ded. Eccl. canit Ecclesia : *Scalpri salubris ictibus et tunsione plurima fabri polita malleo* : — quid, quaeso, de iis existimandum qui non electi solum, sed electorum duces et antesignani esse debent, quales nos esse vocatio nostra postulat ? Haec ergo prima sit animi nostri dispositio, si *instrumenta divinae manus* esse cupimus, ut Deo nos generose offeramus ab ipso gubernandos, parati ad ea omnia toleranda, per quae nos purgare primum, tum exacuere ad virtutem dignabitur. Et quando ipsi nos segniores fere vel delicatiores deprehendimus, ad amoris proprii et cupiditatum aeruginem voluntariis castigationibus extergendam, ne recusemus, FF. mei dilectissimi, divinae manus operam, et omnem tribulationem divinitus immissam ut instrumenta reddamur suae gloriae, non modo patienter, sed etiam libenter admittamus. Et hoc quidem de instrumenti praeparatione.

Usum dirigat oboedientia ; 29. Iam de usu quid dicam ? Constat utique, instrumentorum proprium esse, ut eorum usus non ab ipsis, sed ab artifice pendeat ; illa adhiberi se, et quando is voluerit, et ubi voluerit, et in quo opere ipse voluerit, necessario patiantur. Hoc ergo est alterum quod S. P. nobis commendat, cum nos hortatur ut nos Deo totos, ut *instrumenta divinae manus*, regendos ac gubernandos permittamus, scilicet simplicis oboedientiae docilitas. Et vero quid fiat, si non ad artificis voluntatem quisque se accommodet, sed sibi ipse

occupationes, ministeria, loca, officia eligere, sibi usurpare vel aperte vel occulte satagat ? Sperarene ille poterit instrumentum se fore divinae manui aptum ? Quid, quaeso, profecturum te speres, Frater, si invito Deo agere quicquam aut operari praesumas ? Si, quem Deus adulescentulis regendis, vel scholis docendis adhibere statuit, tu contionari vel missionarium agere omnino velis ? Quae spes boni operis faciendi absque divinae manus ductu ? Quam felix contra, quanta spes amplissimae frugis ei qui, perfectae oboedientiae sectator, *fidelissimae caritati* divinae, iuxta pulcherrimam S. P. N. phrasim, se permittit ! Hunc nimirum ad omnem locum et officium aeque omni tempore paratum, seu praeesse aliis, seu subesse iubeatur, (quoniam hoc non magis quam illud in Societate agitur ex oboedientia,) in omni loco et in omni munere, non *caritas* solum Dei creatoris ac Domini, sed et *fidelitas*, qua bonitas illa homini propter sui amorem oboedienti quodammodo obstricta est, in omni labore de laboris fructu certum reddit ac securum. Tales nos esse si studuerimus, PP. ac FF. dilectissimi, erimus idonea divinae manus instrumenta ; atque haec divina manus uti opera nostra ad tam multa, quae a nobis hisce temporibus postulantur, agenda et felici successu paragenda non dedignabitur.

30. Quod ubi fiat, et fieri iam ex parte negare sine ingrati animi nota non possemus, eadem

Fructum colligat et servet humilitas,

haec *instrumenti* similitudo et ratio humilitatem semper servare docebit ; cuius rei mentionem in extremam harum litterarum partem incidere non invitus patior, quod humilitatem maxime omnibus commendatam vehementissime cupiam. Quid enim-vero instrumentum, quod quidem ex se ipso nihil agit, nullum opus ne inchoare quidem, nedum perficere aptum est, quid *securis*, quid *serra*, quoniam utroque symbolo Scripturae utuntur, absque manu artificis ? Ita ergo nos, si *instrumentum divinae manus* esse nos intellegimus, nihil nos posse, sive parvum sive magnum illud sit, sine auctore Deo, non modo ratione ac fide intellegamus et credamus, sed intime sentiamus necesse est. Vae enim nobis, si putemus aliquid nos esse, cum nihil simus ! Et vero, quod multa saepe bona vel non succedant, vel in ipso successu insperate abrumpantur, nihil dubitandum quin plerumque *in causa sit superbia, vel quae iam adsit, vel quam affuturam* Deus videat, nisi bonum illud opus impediatur. Neque meus hic sensus est, PP. ac FF. carissimi, sed S. Bernardi, licet in alio argumento. Equidem hanc maxime ob causam non raro praeclara quaedam, ab hominibus etiam Societatis felicissimis coepta initiis, disturbata fuisse ac disturbari cotidie valde timeo. Est enim *Deus zelotes, et gloriam sum alteri non dabit.*

Is. 10. 15.

S. Bern. serm. 54. in Cant.

Exod. 20. 5.
Is. 48. 11.

Exemplo Pa- 31. Videmus tam multos olim ex patribus nostris,

de re publica litterarum et christiana insigniter meritos, in quibus maiorne sanctitas an doctrina fuerit non immerito dubitaretur (adeo in utraque excellebant), quos neque scientia inflabat, nec principum virorum favor, aut populorum admiratio extollebat, neque rerum praeclare gestarum magnitudo; nihil scilicet sibi tribuebant, omnia Deo, cuius se esse mera instrumenta vere humiles agnoscebant. Nobis, si cetera desint, quae in patribus nostris fuere eximia ac plane admiranda, at certe bona voluntas et cor *plenum*, ut loquitur Apostolus, et praesertim humilitas ne desit; ut, si in patribus nostris *mirabilem* se ostendisse Deum fateri cogimur, in nos *misericordem* fuisse aliquando nostri posteri gloriari queant. Hoc sit nobis praecipuum, PP. Fratresque carissimi, non altum sapere, non magni aestimare quae agimus; ac si grandia praestemus ac nihil non mereamur, ne primas nobis deferri partes velimus, aut *benefici vocari* ab hominibus gestiamus; cum contra piorum beneficiis vivamus ac sustentemur, et ipsum hoc beneficium sit, quod operam nostram adhibere homines non recusent, beneficium, inquam, tum illorum qui nostra utuntur opera, tum praesertim Dei, cuius instrumenta sumus aut esse certe debemus, cuiusque, si omnia fecerimus quae dicta sunt nobis, *servi inutiles sumus*. Equidem ita plane sentio, si humiles fuerimus, nihil non a Deo nobis et Societati sperare; sin

trum nostrorum.

Coloss. 4. 12.

Luc. 22. 25.

Luc. 17. 10.

minus, nihil non timere nos posse ac debere, tum nobis tum Societati universae.

Denique spes nostra sit in solo Deo.

32. Ergo in tantis necessitatibus nostrorum temporum, in tanta quae excitata est de Societate exspectatione, sit spes nostra in sola Dei bonitate ac misericordia, humili prece imploranda: *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam. Ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. — Spera in Domino, et fac bonitatem,* ait psalmista, *subditus esto Domino, et ora eum; et ipse faciet. Ipse faciet,* qui tam multa et magna hucusque pro Societate fecit; simus tantis beneficiis non ingrati, et *ipse faciet* ut nova et maiora mereamur accipere; praebeamus nos totos illi regendos et gubernandos; conemur, quantum in nobis est, exhibere nos *instrumenta divina manui* non inepta; et *ipse faciet*, ut, quem ad modum olim, ita his calamitosis temporibus, haec minima Societas Iesu Ecclesiae solacio sit, fidelibus auxilio, suo Sacratissimo Nomini, super omnia laudabili et benedicto, honori et gloriae. *Potens est* enim *omnia facere superabundanter quam petimus aut intellegimus*, ut Apostoli verbis fiducia item plenis concludam, *secundum virtutem, quae operatur in nobis*, secundum gratiam scilicet vocationis nostrae.

Is. 62. 1.

Ps. 37. 20.

Ps. 36, 3, 7.

Ibid. 5.

Ephes. 3. 20.

Conclusio.

33. Hac itaque humili fiducia laeti in Domino quartum saeculum Societatis ingrediamur; et sic

agamus annum saecularem, ut splendoris quidem ac pompae nihil admodum haec nostra sollemnitas habeat; neque enim aut nostra humilitas, aut temporum quae vivimus calamitates, id ferunt; sed intensiore studio nostrae in primis perfectionis, tum copiosiore procurando animarum quaestu, hic annus ab omnibus aliis annis distinguatur. Quam in rem quid praestari in universa Societate cupiam, brevi distinctius ad provincias perscribetur.

Interea SS. SS. precibusque omnium vestrum, PP. ac FF. carissimi, me impense commendo.

Romae, XXVII Decembris, M. DCCC. XXXIX.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

QUAE PRAESTANDA OMNIBUS

COMMENDANTUR HOC ANNO SAECULARI

Quod nuper in Encyclicis commendavimus, ut nostri omnes anno saeculari novo studio fervorem excitent, id ut assequamur, non est quod nova praescribantur, sed potius ut exsecutionem urgeamus eorum quae in Instituto praescripta sunt, et ut, quae a Patribus nostris excogitatae sunt industriae, in opus deducantur.

In primis unusquisque persuasum habeat,

optimum Societatis statum a se ut a ceteris omnibus sociis pendere ; in hoc enim consistere, ut suas unusquisque partes fideliter ac strenue exsequatur ; omnibus proinde ac singulis veluti in solidum hanc curam incumbere ; fere ut in musico concentu omnes et singuli ad perfectam harmoniam conspirent necesse est, cui vel unus si desit, praesertim si ex praecipuis, si dissonum sonet, chorus omnis turbatur.

Ergo commendamus enixe, primum quidem superioribus, cum ab horum gubernatione vix non totum pendeat, dein patribus gravioribus, tum ceteris omnibus, ut aliquid temporis identidem, saltem semel in hebdomada, sumat unusquisque ad perlegendas accurato studio regulas tum summarii Constitutionum et communes, tum proprias officii sui ; et si minus in singulis, in praecipuis saltem considerandis ista tria revolvat animo : 1.° Quid sit illud quod praescribitur. 2.° Quam aptum illud sit, quam conveniens ad finem. 3.° Quam accurate illud a se observatum sit. Et in illo veluti speculo se quisque consideret ac reformet. Ea vero, circa quae praecipue consideratio uniuscuiusque versari deberet, sunt fere sequentia.

1.° Qua sit conscientiae puritate ; — qua cura culpas etiam leviores vitare soleat ; — est enimvero conscientiae puritas primus gressus in via perfectionis.

2.° De intentionis item puritate ac rectitudine in rebus agendis, in munere explendo, in actionibus singulis.

3.° An spiritu *fidei*, ut decet, agatur in vitae suae ratione, et speciatim in oboedientia, in qua nisi vivatur ex fide, fieri non potest ut oboedientia sit, qualem S. P. N. a filiis suis postulat.

4.° In corporis commodis curandis an non aliquid nimii sit : — impedimentum certe non adeo rarum in hominibus Societatis, ob quod nec sibi quis nec proximo proficit ut deberet ac posset.

5.° Qua claritate agat cum Superioribus. — Quomodo observet quae de ratione conscientiae reddenda Constitutiones praescribunt, cum sit hoc unum ex substantialibus Instituti.

6.° Qua diligentia obeat munus suum. — An forte in rebus alienis diligentior sit quam in propriis officii sui.

Denique videat : *Erga Deum*, quomodo se habeat in oratione, in examinibus, in omni communicatione cum Deo. — *Erga superiores*, qua sit reverentia, et etiam caritate. — *Erga fratres*, quo animo sit, quomodo dilectionem et unionem animorum servet ac foveat. — Qua patientia in alienis defectibus ferendis ; — et speciatim quo animo sit erga socios alterius nationis vel alterius provinciae, seu praesentes seu absentes. — *Erga externos*, quo zelo sed simul etiam qua discretione,

qua prudentia cum illis loquatur et agat. — An zelus sincerus sit et universalis, quique miserabiliores homines non modo non refugiat, sed hos praecipua caritate complectatur.

Haec et quae sunt alia eiusmodi *coram Deo* diligenter quisque consideret, deque iis sese examinet, et imperfectum suum lugeat, et ad emendationem suam serio incumbat. Nemo satis se fecisse existimet ; sed illud potius cogitet, si fructum aliquem tulisse sibi videatur, hunc duplicandum, multiplicandum eo uberius, quo animum ipse suum instantius excoluerit.

Quod si cui videatur, id quod saepe a quibusdam obtendi solet, deesse sibi tempus ad legendum et considerandum ita per otium omnia illa nostro statui propria, impendat huic lectioni et meditationi partem illius temporis, quod cotidie ex regula dari ab unoquoque debet lectioni spirituali, — deque iis ipsis identidem meditationem faciat matutinam, — haec in cotidianis examinibus per partes expendat et examinet, — et ad aliquod eorum etiam examen particulare applicet. Lectio certe Constitutionum S. Patris Nostri, ipsarum inquam Constitutionem non Summarii tantum, Ordinationum item Generalium et Instructionum, si fiat, non per modum studii speculativi, sed eo animo ut videamus quid desit nobis, non poterit non esse vere spiritualis lectio et ad profectum valde opportuna. Quam equidem sacerdotibus nostris omni-

bus, sed superioribus praesertim et patribus spiritualibus enixe commendo.

Omnium vero maxime exercitia spiritualia hoc anno ab omnibus ut quam accuratissime fiant oro atque obtestor. Iuvabit relegere encyclicam nostram de hoc argumento paucis abhinc annis missam. Quam una cum Exercitiorum libro novis curis edito si multis non inutilem fuisse gaudemus, multis tamen incognitam remansisse et alicubi in angulo aliquo domus vel bibliothecae delitescere etiam nunc, dolemus sane, et hanc aliquorum neglegentiam non possumus non moleste fere.

Quod attinet ad uberiorem animorum fructum hoc anno per nostros procurandum, praeter frequentiores quantum fieri poterit sacras excursiones seu missiones, et usum exercitiorum item spiritualium, quippe quae *arma* nostra sunt potentissima (id quod recentissima horum non minus quam priorum temporum experientia comprobavit et cotidie comprobat), pro opportunitate promovendum ; *omnibus domibus vel collegiis nostris illud commune sit, ut tempore quod quovis in loco videbitur commodius, exercitia tradantur populo per octiduum vel saltem per triduum, quod dein decantato cum aliqua sollemnitate hymno* TE DEUM LAUDAMUS, *concludatur.* Pro qua sollemnitate, quae celebrari poterit in Europa quidem a die 27 septembris usque ad huius anni finem, extra Europam vero usque ad 27 septembris

anni proxime secuturi, a Sanctissimo Domino Nostro Indulgentiam Plenariam impetravimus pro nostris et omnibus fidelibus qui rite confessi et sacra communione refecti templum nostrum vel oratorium eo die devote visitaverint.

Denique omnes peculiari modo hoc anno Societatis universae statum et incrementum, praesertim vero eius profectum in spiritu vocationis suae, tum in SS. Sacrificiis, tum in orationibus Deo commendent cotidie; ut tum sibi omnes ac singuli, tum Ecclesiae bono, fideliumque auxilio quam plurimum proficiant Qua occasione, meminerint etiam atque etiam, cultum SS. Cordis *Iesu* et *B. V.* sine labe conceptae in se et in aliis promovere; cum ex multis argumentis non obscure colligamus, ab nostrorum studio ac diligentia in hoc duplici cultu solide exercendo et in aliis promovendo, omne bonum nostrum et Societatis incrementum, ad Dei maiorem gloriam, magna ex parte pendere.

PRO SOLIS SUPERIORIBUS

Quae omnibus in communi hoc anno saeculari praestanda commendamus, ea superioribus praecipue commendata cupimus, quorum etiam zelo committitur, ut ea fieri curent in suis quique domibus vel collegiis. Iuvaretque si de aliquo ex argumentis quae attingimus, haberentur exhor-

tationes domesticae, vel etiam spirituales *collationes*, quarum utinam usus inter nostros, iam rarus admodum, ad antiquam frequentiam, saltem inter scholasticos et fratres coadiutores, revocaretur.

Quae vero superioribus peculiaria sunt, sunt fere sequentia.

Consideret Superior,

Quam serio gubernationi animum applicet ; — quam generose taedia, quae in isto munere vel ex rebus, vel ex personis non raro obrepere consueverunt, superet.

An officii sui regulas legat identidem, et quo sensu, quo fructu.

Gubernatio sua sitne *spiritualis*, — *suavis*, — *exacta*.

Spiritualis. Curetne oratione ac bonis desideriis totam domum seu collegium velut umeris quibusdam sustinere ; — habeatne semper ob oculos finem vocationis nostrae, omisso privato quolibet sensu vel affectu ; — et an ex hoc spiritu gubernare nostros studeat, non rationibus humanis aut politica quadam prudentia. — An praeclara illa, quae in Instituto habemus de *exsecutione, de curandis animi morbis*, etc. teneat mente, vel certe consulat ubi opus est, et opportune adhibeat.

Suavis. An curet forma gregis esse ex animo, vitata omni specie dominationis, vel affectatae gravitatis seu auctoritatis affectatae. — An subditos,

non patres modo, sed omnes, etiam fratres coadiutores, nam et hi *fratres* sunt nostri, benigne excipere, benigne audire, benigne alloqui soleat. — An in reprehendendis vel puniendis defectibus modum et ordinem servet in regulis praescriptum. — An officialium munera non usurpet ipse sibi, ac si velit ipse per se agere omnia. — An consultores audiat libenter, et in rebus decernendis non ita proprio sensu ducatur, ut consultorum sententias solum veluti pro forma, ut aiunt, exquirere videatur.

Exacta. An non sit nimium amans pacis suae, malitque potius ignorare suorum defectus quam illis debitis remediis occurrere. An quae minora videntur in ordine domestico, in religiosa disciplina defectus, non parvi faciat, sinens ita sterni viam ad graviora. — An *considerationi* superioribus praescriptae tempus suum ac studium tribuat, quae quidem vel sola orationi coniuncta optimum in Societate superiorem efformaret.

Iuverit denique legere et meditari, et saepe mente revolvere Ecclesiastici cap. 32. primos praesertim versiculos.

Et haec quidem paucis innuisse sufficiat.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE SOCIETATIS PROGRESSU ET PERICULIS

Scripturo de Societatis progressu et periculis

1. Quod iam dudum meditabar, Patres ac Fratres carissimi, quodque ob temporis angustias nimis iam diu distulisse mihi videor, id nunc tandem, confectis postremae Congregationis triennalis negotiis, et patribus provinciarum procuratoribus ab Urbe dimissis (quamvis etiam nunc parum aut nihil otii suppetat), exsequi tamen omnino neque ultra differre statui ; ut aliquid scilicet litterarum darem ad universam Societatem, quibus sensa mea de Societatis felici progressu cum omnibus vobis communicarem, et, quae in hac nostra quotannis crescente familia mihi animo obversantur, pericula timenda indicarem, quo ab illis diligentius nobis cavere, Deo adiuvante, coniunctis studiis ac viribus conemur.

Ipsa eius incrementa eam sollicitudinem creant,

2. Cum enim videam, utique non sine solacio, hisce postremis annis Societatem incrementa cepisse et capere in dies non mediocria, maiora certe quam vel desiderare, vel sperare ausi essemus,

cum sociorum numero, tum domibus et operibus non parum auctis et ampliatis; iam dudum magna sollicitudine pro meo munere animum urgeri sentio, ne, dum procedit et crescit Societas, si forte non crescat virtute ac spiritu, neque ex constitutionum norma procedat, male illi incrementum, male processus vertat, et aliquando *extrema gaudii luctus occupet.*

Prov 1.4. 13.

Quam omnibus Sociis communem esse cupit.

3. Quam quidem sollicitudinem meam communem mecum habere omnes nostros vehementer desidero; neque eos tantum, qui seu provinciis, seu collegiis ac domibus praepositi, praecipuo quodam modo in partem sollicitudinis meae vocati sunt, verum omnes omnino, unumquemque pro gradu suo; quoniam omnes unius corporis membra sumus, cuius sanitas et incrementum, ut omnibus, si tamen viva eius membra sumus, necessario cordi esse debet, ita ab omnium et singulorum procedendi modo certa quadam ratione dependet.

Tanta enim illa sunt, ut ex ipsis oriatur timor multiplex;

4. Est sane, PP. ac FF. carissimi, quod admiremur divinam clementiam, et ad grati animi sensa dulcissima erga benignissimam Dei misericordiam fovenda excitemur, dum tanta Societatis incrementa in hac temporum nostrorum iniquitate consideramus. Cum enim in tanta rerum publicarum perturbatione, in tanta piorum amicorum multis in locis impotentia et depressione, in tanta adversariorum multitudine et potentia et audacia, miraculi instar videri possit, quod Societas nostra vel

subsistat, suisque in sedibus saltem imminuta conservetur, omnem sane spem cogitationemque nostram excedit, quod illam tot inter impedimenta et obstacula progredi neque tardo gressu videamus, crescentem quotannis non exiguo Sociorum numero et multiplici operum ad Dei gloriam susceptorum accessione. Verum haec ipsa incrementa Societatis, ut ex una quidem parte merito nobis solacio sunt, ita ex altera parte curam nostram provocare et sollicitudinem exacuere debent, ne qua in re divinae bonitati nostraeque vocationi desimus. Mihi quidem certe ex his tantis Societatis, hisce praesertim temporibus, incrementis, timorem exoriri fateor (est enim amor timore plenus), ac timorem multiplicem. Plura enim mihi ex tam rapidis progressionibus pericula, nisi diligenter caveamus, et gravia sane pericula imminere posse existimo. Scilicet:

5. Ac primum quod occurrit periculum mihi magnopere timendum, illud est ne, sive ut tot ac tanta iam suscepta opera sustentemus, sive ut nova quae multis in locis offeruntur ac fere importune obtruduntur suscipiamus, cogamur quodammodo vel inviti faciliorem reddere petentibus quibuscumque Societatis ingressum, ac pluribus aliquando pateat porta, quibus clausa esse deberet. Profecto si susciperentur inepti vel indigni, et ita suscepti retinerentur, et retenti ad vota post biennium nuncupanda, quantumvis exigua spe pro- 1°, Ne sine delectu admittantur candidati

Vel inepti, vel indigni,

fectus, admitterentur, nemo non videt qualis brevi tempore in Societate colligenda foret quam S. Pater vocat hominum *turba,* quamque ille nullo modo ei convenire declarat ; futura scilicet ad confundendam et perturbandam, non ad iuvandam et promovendam Societatem. Etenim si vel ipsa hominum quorumcumque, etiam optimorum, multitudo incommodis carere non potest, cum semper, qualescumque simus, homines simus et *filii hominum,* quorum quisque humanum nihil a se alienum esse existimet necesse est, atque adeo defectus et miserias, naturae nostrae labili ac fragili inhaerentes, pro multitudine hominum multiplicari necessitate quadam pronum est, quid fieret, si nec delectus ille haberetur quem constitutiones requirunt, et numerum facere plus aequo cordi esset ? scilicet impedimenta, non adiumenta conquirere dicendi essemus ; cum non raro vel unus non recte ambulans multorum bene progredientium profectum vel prorsus impediat, vel certe multum retardet. Neque omittam illud etiam detrimentum animadvertere, quod ex nimia hac facilitate timendum merito est, quod scilicet ex aliquorum, qui tanta vocatione indigni vel ad eam inepti sunt, admissione, fieri facile potest ut alii, qui ad Societatem vere vocati se sentiant essentque aptissimi, ab eadem petenda absterreantur ; quod merito ex iis quae vident dubitare incipiant, an Societas vere etiam nunc ea sit quam

Cum summo detrimento, tum Societatis,

Ignatius condidit, qui magnum haberi delectum in admittendo volebat, magnosque enimvero et generosos animos ad hanc suam militiam postulabat.

Quod praecipue Nostris cavendum ;

6. Ergo non praepositos modo Provinciales, Rectores, et Noviciorum Magistros, sed et quotquot vel consultores vel examinatores sunt candidatorum, et confessarios, et omnes omnino nostros (quoniam nemo fere est, cui non aliquando aliquis suum Societatis ingrediendae desiderium manifestet), omnes, inquam, etiam atque etiam monendos existimo, ne mox veluti invento thesauro gaudeant ; sed videant in primis an ille qui Societatem postulat, talis sit qui eidem ad maiorem Dei gloriam vere utilis esse possit ac velit, et praesertim an ad virtutis perfectae stadium ingrediendum animo sit bene dispositus et comparatus. Qua in re nemo se umquam decipi sinat falsa caritatis specie, quod utile futurum videatur ei, qui petit, admitti. Non solum enim caritas erga Societatem, utpote universalior, particulari huic longe anteire debet ; sed experientia etiam constat, ne illorum quidem ipsorum plerumque qui non recte dispositi admittuntur, verum procurari bonum, quando illi serius ocius, ingenti suo non minus quam Societatis damno, Societatem ultro deserunt, aut inviti deserere cogendi sunt.

Tum illorum ipsorum qui sic admittuntur.

2.° Ne ad munera Societa-

7. Alterum periculum priori affine ex operum multitudine, tristi sane necessitate, enasci video ;

tis adhibeantur Nostri non formati,

quod scilicet, ut illis susceptis suscipiendisque quomodocumque satisfiat, adhibendi non raro sint ante tempus aliqui, et fortasse non pauci, qui necdum satis ad vitam nostram informati sint. Quod certe ubi fiat, versabuntur illi in gravissimis Societatis ministeriis cum suarum animarum ipsiusque vocationis amittendae discrimine, et Societatis incomparabili detrimento, et famae apud externos, et gloriae Dei et salutis animarum iactura. Ita scilicet multa dum fient, saepe non multum fiet, quod ad tot ac tantas res gerendas nec animorum praeparatio nec vires sufficiant.

Ut iam fortasse magno cum Societatis damno accidit,

8. Atque utinam, Patres Fratresque carissimi, utinam haec quae attigi pericula, quibusdam in locis solum cavenda pericula dicenda essent, nec potius detrimenta iam ex parte suscepta et lugenda ! Etenim si ex tot tantorumque operum et operarum multiplici labore, multis in locis fructus colligi non paenitendos magno animi nostri solacio videmus, non desunt tamen alicubi, qui suis in officiis, seu superiores, seu subditi, non illam ponant industriam et sollicitudinem, non illa virtutis solidae documenta exhibeant, quae in Societatis hominibus et Deus et mundus ipse exspectat ; qui quae in regulis seu communibus omnium, seu propriorum officiorum praescripta sunt, vel non satis cognoscere, vel non satis cordi habere videantur ; non desunt fortassis aliqui operarii minime *inconfusibiles*, qui ab illis quos

2. Tim. 2. 15.

reprehendit Apostolus, parum solliciti se discernere, *quae sua sunt* magis quam *quae Iesu Christi* *quaerere* videantur ; qui ferme, quae placent libenter quidem suscipiant, quae minime placent aversentur, declinent, studiose variisque artibus ubi tale quid incidat sese excusent, et fortasse aliquando, cum *nolle* se dicere vel non audeant vel erubescant, *non posse* se, simulate etiam dolentes conquerantur. At his postremis, si qui essent, equidem illa gravissima Sancti Spiritus verba seria meditatione ponderanda proponerem : *Si dixeris* : *vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intellegit, et servatorem animae tuae nihil fallit ; reddetque homini iuxta opera sua.* O Patres mei Fratresque carissimi, quantum erubescere nos et confundi et humiliari necesse est, dum ista cogitamus ; et simul quid supremus dux et caput Societatis Christus Iesus, quid post eum Societatis conditor Ignatius, quid patrum nostrorum exempla ab Societatis hominibus postulent ac iure suo requirant, consideremus. *Filii* enim *Sanctorum sumus !* Ne, quaeso, ne quisquam nostrum sibi de se rebusque suis placeat ; sed an Deo et Christo, an Ignatio Patri, totque eius dignis olim in terra filiis, in caelo nunc sociis, sua placeant, frequenter cogitet et meditetur, seque ad meliora semper aemulanda cum divina gratia, excitet atque inflammet.

Philip. 2. 21.

Reparabili tamen si, qui tales sunt, se ipsi excitent.

Prov. 24. 21.

Tob. 2. 18. et 8. 5.

9. Et quoniam sermo incidit de defectu prompti- 3.° Ne in So-

cietatem introeat spiritus libertatis et independentiae,

tudinis oboedientiae, quae, ut omnes novimus, in Societate virtus est characteristica, qua totum eius corpus continetur, et qua omnium nostrum, non subditorum modo, verum etiam superiorum quorumcumque, ipsiusque etiam Praepositi Generalis vita omnis et actio consistit et regitur; aliud periculum, quod sane gravissimum hac in parte, ex praesentium temporum vel calamitate vel insania, impendere Societati, nisi multum vigilemus, video, non possum non indicare,.

A postrema Congregatione generali notatus,

10. Qualis sit hac nostra aetate dominans in mundo spiritus, nemo est qui ignoret. Ille nimirum spiritus, de quo postrema Congregatio generalis Decr, XXVII. superiores omnes etiam atque etiam monendos existimavit : *ut mundi spiritum*, inquit, *qui superbiae spiritus est, omnis subiectionis impatiens, undique, his praesertim temporibus, irrumpentem, omni conatu a nostrorum animis arceant ac repellant ; eique spiritum nostri Instituti, qui praecipue in humilitate et oboedientia consistit, strenue opponant.*

Qui iam in mundo vel a pueritia omnes inficit

11. Enimvero spiritum istum *libertatis* seu potius licentiae et *independentiae* ita mentes hominum, summorum, infimorum, omnisque adeo aetatis occupasse videmus, ut vel in pueritia plerique iam hac veluti peste afflati appareant. Talis namque miserando fato esse non raro solet prima domestica educatio, quo in illa tenera aetate puer

proterviorem se et impudentiorem exhibet, eo ingeniosior, eo amabilior ab imprudentibus parentibus laudari et celebrari consuevit. Itaque adulescentes et iuvenes, praeceptorum suorum ac moderatorum dicta, facta, discutere, iudicare, condemnare, parati semper. Provectiores aetate, etiam inscitissimi quique et de vulgo homines, de rebus publicis, sacris, profanis cognoscere, deque illis disceptare, et supremos etiam magistratus, etiam praesules et pastores Ecclesiae libere carpere, non modo vitio sibi minime vertunt, sed hoc sibi velut suo iure usurpant.

12. Iam vero in hac eadem, ita dixerim, atmosphaera licentiae et dissolutionis etiam nos vivimus; hanc eandem auram *independentiae* etiam nos haurimus ac respiramus. Quam erga timendum, ne nostrorum etiam animos aliquando commune hoc malum inficiat! Quod si accidat umquam, quomodo stabit salvaque manebit inter nos religiosa oboedientia ? Quicumque ad nos accedunt Societati nomen daturi, ex hoc mundo, qualis nunc est, ad nos veniant necesse est. Quam vero difficile, quem a teneris unguiculis habitum contraxerunt, maiores suos eorumque dicta factaque omnia examinandi ac diiudicandi pro libitu, eum ut Societatem ingressi deponant ; nisi virtute et generosa sui victoria veterem consuetudinem et naturam edomantes, alia prorsus, non iam mundi, sed Evangelii sensa concipiant.

In cuius aura et nos vivere cogimur,

Et qui propterea nimium facile serpit inter nostros iuvenes,

13. Gravissimum profecto hinc periculum Societati eiusque vero ac genuino spiritui imminere, nemo non videt. Et vero iam non nullae aliquando auditae querelae de isto spiritu *libertatis* et *independentiae* inter iuvenes praesertim nostros serpente, quorum aliqui superiorum suorum dispositiones in colloquium inducere, ad crisim revocare, libere improbare non vereantur ; qui si forte in studiis litterarum, in librorum delectu, in scientiarum tractatione, non praescriptam studiorum nostrorum rationem, non traditam a professoribus et moderatoribus normam, sed suum ingenium propriamque libidinem, perinde ac si lege nulla aut regula astricti essent, sequi ratione aliqua sinantur, unice bonum sibi beatumque putent ; qui altius etiam assurgentes, non quae ad se ipsos tantum, sed et quae ad collegii in quo degunt, ad provinciae, ad universae etiam Societatis gubernationem pertinent, incredibiliter sibi sapientes, discutiant iam et diiudicent. Quid, quaeso, Patres, Fratresque carissimi, quid fiat de Societatis oboedientia, si (quod avertat Deus) pestilens iste spiritus inter nos invalescat ? quid de Societate fiat universa, si talem spiritum retinentes ac foventes iuvenes nostri scholastici, hoc animati, ad sacerdotium, ad gradum, ad professionem ascendant, ad Societatis ministeria, in scholis, in cathedris, in gubernatione etiam aliquando adhibendi ? Agent scilicet

Cum subversione spiritus oboedientiae,

istiusmodi homines in officiis sibi demandandis, in ministeriis, non iam ex regularum praescripto, non *iuxta proprium modum nostri Instituti*, ut constitutiones et regulae loquuntur, sed nimirum *modo* quisque *suo ; suo modo* docebunt, *modo suo* et contionabuntur et sacras missiones obibunt. Quod si quando istorum aliquis etiam ad gubernandum admoveatur, gubernabit scilicet domum sibi commissam *modo suo*, *suo modo* administrabit omnia ; spiritualia, litteraria, temporalia, omnia pro ingenio mutabit, destruet, aedificabit ; aget ut dominus, non ut superior religiosus, cui certa agendi norma praescripta in Instituto sit, qui et ipse *sub potestate* sit *constitutus*, ut oboediens ipse oboedientiam exigat, cui consultores additi sint quorum consiliis iuvetur ; sed ipse sibi scilicet et consilium erit, et institutum, et omnia. Matth. 8. 9.

14. Ergo omnes moneo et adhortor et per Christi Iesu viscera obtestor ut invigilemus nobis et Societati, et caveamus sollicitudine quanta possumus maxima, quisque pro gradu et condicione sua, a malo teterrimo, quod vel solum, si mundi iste spiritus inter nos serpere sineretur, si cresceret, si, quod avertat Deus ! praevaleret umquam, ad nos perdendos et ad Societatem funditus evertendam sufficeret. Et totius Societatis pernicie ;

15. Iuverit meminisse, PP. ac FF. carissimi, Societatis vocationem ad instar militiae esse et militiae propriam condicionem recordari. Videte, Quae cum instar militiae sit, militum potius neces-

sariam oboedientiam aemulari debet,

quaeso, etiam hoc ipso tempore quo ea quam dicunt *libertas* et *independentia* tanto in honore est, et ipsarum rerum publicarum quarundam veluti fundamentum et praesidium habetur, videte, ut in illis etiam regionibus ubi maxime homines his nominibus gloriantur, in militia tamen eam nec admittunt umquam nec admittere possunt ; ut in pace aeque ac in bello, qui militiam sequuntur, seu sponte sua seu coacti milites, omnes, summi, infimi, duces non minus quam gregales,oboedientiam servare,oboedientia contineri et regi pergunt. Itaque istos non obaudivisse dicto, imperium detrectasse, vel etiam illud discutere voluisse, grande piaculum, delictum capitale semper habitum fuit, et habetur, et habebitur necessario semper.

Praesertim cum simus milites voluntarii Christi ducis.

16. Iam quid nos, qui non qualescumque et quomodocumque humana condicione milites sumus, sed vocatione divina nostraque libera electione, summo Dei beneficio, *milites Christi* sumus, et *sub Christi vexillo Deo militamus*, quid nos, inquam, de oboedientia sentire par est ? Ergo vexillum hoc nostrum perpetuo nos oboedientiae admoneat, quippe qui ducem sequimur Christum, *qui factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc, inquam, *Christi vexillum* oboedientiae nobis necessitatem absolutam persuadeat, et quam turpe, quam probrosum nobis sit, quam universae huic Christi

Philip. 2. 8.

cohorti perniciosum in oboedientia nos deficere intellegamus.

17. Venio denique ad alia pericula, alterius plane generis, extra nos et extra Societatem posita, ad pericula scilicet persecutionum et eversionum, quae aliquibus in provinciis, hoc ipso tempore quo haec scribo, extrema omnia Societati minantur. Hic vero ego, PP. ac FF. carissimi, in primis fateor libenter, mihi quidem nullum maius solacium in hoc meo munere reperiri, quam cum video perdurare semper et magis etiam in dies exardescere hominum impiorum in Societatem inimicitias, et odia, et furores. Quid enim ? parcite mihi ; dicam enim quod sentio, et spero equidem absque cuiusquam offensione. Mihi in hoc meo munere satisfactum esse, fieri non potest ut dicam umquam aut cogitem. In iis enim quae recte per nostros geruntur (et geruntur sane non pauca et passim per orbem fere universum), non nisi debitum denique nostrum explere censendi sumus, *servi* semper *inutiles* ; at vero quae minus recte habent, quaeque mihi, prae quocumque alio in Societate, aut ignorare aut non considerare pro officii debito non licet, ea animum pungant semper et excrucient necesse est, quod longe semper nos abesse videam ab ea perfectionis forma pulcherrima, quae nobis a sancto parente nostro, ad nobilissimum vocationis nostrae finem consequendum, ad maiorem Dei gloriam per nostram propriam perfectionem et

Haec interna pericula si vitabimus, adeo non dolendum erit de externis,

Ut, quamvis lugeamus imperfectum nostrum,

Luc 17. 10.

proximorum salutem propagandam, proposita est. Itaque multa semper mihi desideranda relinquuntur, semperque dolendum est et gemendum, dolendumque etiam porro fore intellego et gemendum, dum vivam. *Ante te*, Domine, *omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam.* Haec est et esse debebit mea perpetua ad Deum oratio.

Ps. 37. 10.

Is. 62. 1.

Ex iis ipsis confidere possimus, nos etiamnum veros esse Iesu socios.

18. Verumtamen cum haec inter Societatem videam a Christi Deique et Ecclesiae hostibus ita semper impeti et oppugnari, ut in illam primum semper insurgant, illam sibi disturbandam, disiciendam, disperdendam, evertendam etiam funditus, si daretur, existiment, animos addi mihi maerenti sentio, et intellego minimam hanc nostram infirmam licet et imperfectam Societatem, esse tamen veram nunc Ignatii Patris filiam, in qua scilicet patrum nostrorum, si minus opera, at spiritum certe vel ipsi adversarii agnoscant et reformident. Undenam alioqui, Deus bone ! ita ego tacitus mecum, undenam ob paucorum religiosorum hominum adventum vel praesentiam tanti timores, tales tantaeque tragoediae ? quorsum illud tam indefessum impiorum hominum studium, tantus labor, tanta opera impensa, ut in tot cotidie libellis et ephemeridibus declamationes et calumniae in Societatem ad nauseam usque repetantur et novis coloribus inducantur ? Hoc certe

magnum mihi solacium, haec singularis gloria nostra coram Deo, Patres Fratresque carissimi, hoc divini favoris in nos documentum videtur certissimum et argumentum, quod per eius misericordiam nos etiam hisce temporibus non sumus de mundo ; *Si* enim *de mundo fuissetis*, inquit Dominus, *mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Ceterum, ne mundi minas et odia nimium timeamus, illud etiam adiungit: *confidite, ego vici mundum.* Quae verba fiduciae plena cum illa ipsa nocte protulerit, qua iamiam ad passionem et ad mortem ibat, quid, quaeso, sub eius vexillo timendum cui vel crucifigi et mori vicisse fuit ?

Joan. 15. 19.

Joan. 16. 33.

19. Sed quia in hisce externis periculis quaedam etiam sunt nostrarum partium, haec ego paucis vobis proponere, et his finem dare huic epistolae constitui.

In quibus periculis nostrarum partium est,

20. Valida itaque tempestas irruit in nos variis in provinciis, est *enim* nobis *contrarius ventus.* Videamus, quaeso, quid olim Christi discipuli fecerint, cum ventis adversis et procellae fluctibus eorum navicula iactaretur. In iis enim, quae ipsi fecerunt, fere contineri video quae mihi videntur potissimum his in adiunctis commendanda.

Imitari Christi discipulos adversis fluctibus iactatos in navicula, Matt. 14. 24.

21. Primum, quod omnes ubique nautas naturalis prudentia docuit, vela certe collegerunt discipuli, ne ventis furentibus exposita navem

1° Colligendo vela per prudentiam in agendo ;

vel everterent, vel in scopulos, in litora confringendam conicerent. — Hanc ego prudentiam ita imitari debere nostros existimo, ut tempestatibus iactati calumniandi materiam adversariis, quantum salvo officio fieri postest, subtrahant, caveantque ne quam praebeant causam adversariis, vel praetextum acrius Societatem et aliqua iuris specie impugnandi. Enimvero incredibile est quam oculati sint adversarii nostri in rebus nostris omnibus et actionibus observandis, quin etiam vias investigant explorandi quid vel in familiari sermone a nobis forte proferatur, ut, si qua detur, quamcumque mali speciem arripiant et occasionem sumant vehementius in nos insurgendi. Quod si annales nostros consulimus, paucas fortasse inveniemus Societatis clades graviores, in quibus non aliqua alicuius e nostris imprudentia memoretur, quae quamvis plerumque sine culpa, ansam tamen aliquam vel praetextum aliquem praebuisse malevolis videatur. Aliquando certe vel unius hominis minime mali, sed imprudentis, dictum aut factum Societati damna gravissima intulit, cum detrimento utique gloriae divinae et salutis animarum irreparabili. Scilicet, si quid ab aliquo imprudenter agatur, recta intentio excusationem quidem habere poterit apud Deum; sed tristes imprudentiae effectus neque impedire bonus animus neque tollere potest. Ergo *provideamus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus ; quo-*

Rom. 12. 17.
Ephes. 5. 16.

niam dies mali sunt ; ab omni specie mala, in dictis, in factis, *abstineamus nos, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*, nihil saltem quod verum sit aut veritatis speciem habeat, quantum fieri potest ; ut dum *omne malum dicant adversum nos, mentientes* dicant quem ad modum Christus ait, ubi in persecutionibus ferendis beatitudinis summam constituit. Zelum ipsum discretione temperemus. *Caritas Christi urget nos*, inquit Apostolus ; quae quidem verba, tantum abest ut zelum quemvis etiam indiscretum suadeant, ut potius, si proprium graeci textus verbum, quo Apostolus usus est, consideremus, frena zelo adhibenda esse doceant, pro rerum, hominum, temporumque ratione, modo laxanda scilicet, modo contrahenda. Illud certe tenendum, ut zelum quisque exercere studeat, non qualemcumque, sed *secundum scientiam ;* maximeque superiorum consiliis regi se ac dirigi sinat, qui non immerito latina voce *moderatores* dicuntur, quorum sit modum ponere suis eorumque zelum moderari, et vel exstimulare, vel coercere, ut non modo ne parum fiat, sed etiam ne quid nimis.

1. Thess. 5. 21. Tit. 2. 8. Matth. 5. 11. 2. Cor. 5. 14. Rom. 10. 2.

22. Alterum quod in tempestate discipuli fecerunt, illud est, ut maxime coniunctis viribus communem salutem procurare sategerint. Certe si aliquando orta fuit *contentio* inter illos, ut homines imperfectos, conquirentes inter se ac

2° Coniunctis viribus remigando per caritatem ; Luc. 22. 24.

disceptantes *quis eorum videretur esse maior*, contentioni locus in iactata nave non fuit, ubi de omnium salute agebatur. — Ita, Patres Fratresque carissimi, externae impugnationes intimae inter nos unionis vinculum artius astringant necesse est. Et beata sane tempestas, cuius fructus exsistat perfectior inter nos caritas ! Si umquam alias, his temporibus maxime *idem sapiamus, idem dicamus omnes*, ut nobis ex Apostoli verbis Sanctus Pater Noster commendat, et quo magis extrinsecus impetimur, eo magis nobis invicem adhaereamus coniuncti. Nihil ad sustinendos sine damno nostro adversariorum impetus opportunius, nihil ad nostrum solacium in adversis efficacius, nihil ad salutem et victoriam obtinendam potentius ; ut contra nihil ad augenda pericula nostra funestius, nihil inimicis nostris optabilius quam animorum aliqua inter nostros ipsos dissensio. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt*, exsultantium inimicorum vox est. Contra, *Frater*, inquit Sapiens, *qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Quod si vel duo soli intime coniuncti urbi munitae et inexpugnabili comparantur, quid de tam multis in una domo, in una provincia, in una Societate artissimo caritatis Christi vinculo unitis non sperandum ?

Philip. 2. 2. et 3. 16.

Osee. 10. 2.

Prov. 18. 19.

3° Laborando remis per humilitatem;

23. Tertium est, quod fluctibus iactati discipuli, cum ventorum impetu non modo provehi non possent, sed illos declinare quantum poterant

cogerentur, *laboraverint in remigando ;* ministerio scilicet maxime laborioso et humili insudabant. — Et nos, Patres ac Fratres carissimi, ubi ab adversariis nos gravius vexari, fors etiam impediri a celebrioribus ministeriis contingat, labori pro animarum salute nihilo minus insistamus humiliter ; bene mereri de omnibus, de pauperibus praesertim et miserabilibus hominibus, alacri studio curemus ; humiliora minusque speciosa ministeria libenter admittamus et exerceamus strenue ; et quoniam immortalis memoriae Pius VII, cum Societatem restitueret, eius homines *validos* fore *remiges* speravit, videamus ut ne spes tantas frustremus. Nulla melior, nulla eloquentior dicteriorum omnium et contumeliarum et calumniarum quae in Societatem iactantur confutatio, quam quae factis, rebus inquam bene gestis, optime de omnibus etiam inimicis merendo conficitur. Marc. 6. 48.

24. Denique discipuli, in tanta necessitate constituti, Dominum ac magistrum suum, vel in puppi dormientem excitantes, vel in monte procul absentem desiderantes votisque omnibus vocantes, a quo etiam nonnisi coacti discesserant, ab ipso salutem exspectarunt et consecuti sunt. — Eadem ratione nos, Patres Fratresque carissimi, prudenter agentes, caritate invicem coniuncti, et pro opportunitate proque viribus humiliter ac strenue laborantes, fiduciam nostram omnem col- 4° Excitando et desiderando Magistrum per fiducialem orationem.

Luc. 1.49. 2. Cor. 1. 10. locemus in Domino, *qui potens est ; qui a tantis periculis* Societatem *eripuit et eruit ; in quo speramus quoniam et adhuc eripiet.* Ille licet obdormiscere interdum videatur, reipsa tamen *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël ;* licet aliquando se abscondat et procul abesse videatur, quod inimicorum vim et furorem non reprimat, tamen invocatus prece humili, *in tempore opportuno dicet : ecce adsum. Confidite et nolite timere. Dominus illuminatio nostra, et salus nostra, quem timebimus ? Dominus protector vitae nostrae, a quo trepidabimus ?*

Ps. 120. 4. Ps. 31. 6. Is. 58. 9. Marc. 6. 50. Ps. 26. 1.

Conclusio. 25. Igitur, Patres Fratresque carissimi, quae nostrarum sunt partium diligenter agamus. Interna illa quae supra commemoravi pericula caveamus, et externa haec non erit quod nimium formidemus ; *quia nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.* Veri ac genuini simus Patris Ignatii et Societatis Iesu filii, vel certe tales esse omni cura, omni etiam nostri ipsorum victoria conemur ; Deo nos et Christo toto corde, non verbis aut sterili affectu, sed vere, sed generose, animo, voluntate, vita et factis vocatione nostra dignis, cotidie offeramus. *Probemus* corda nostra, *nosmet ipsos tentemus,* iuxta Apostolum. *Quis nos separabit a caritate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ?... In his omnibus superamus, propter eum, qui*

2. Cor. 13. 5. Rom. 8. 35.

dilexit nos. Haec si vere, si ex animo dixerimus, Christi Iesu si vere fuerimus, dicemus cum fiducia quod discipuli in mari : *Domine non est tibi curae, quia perimus ?* Et unusquisque nostrum pro se fidenter ingeminabit : *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae. — Tuus sum ego, salvum me fac.* Et vere salvos faciet suos benignissimus Iesus, et *exsurgens imperabit vento et mari, et fiet tranquillitas magna,* ac tandem, in suo obsequio modicum aliquantulum iactatos et exercitatos in portum beatae aeternitatis deducet. Amen. Luc. 10 40. Marc. 4. 38. Ps. 115 16. Ps. 118. 94. Matth. 8. 26.

Omnium Vestrum Sacrificiis et Orationibus me impense commendo.

Romae, XXIX Ianuarii, M. DCCC. XLV.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS

DE PRAESENTI CALAMITATE

1. Sub anni hujus initium, cum ad universam Societatem de felicibus eius incrementis scriberem, In praesenti calamitate

afferenda solacia et hortamenta.

pericula simul quae provinciis quibusdam imminere videbantur haud obscure indicabam, Patres Fratresque carissimi. Nunc vero, cum iam non pericula solum, sed damna non levia sane subeant provinciae Galliae, quae florere maxime coeperant, et operibus ac fructibus zeli non in Europa modo, sed et in Asia, et in America et in Africa tam bene de Ecclesia deque animarum salute merentur, non possum quin omnes vos iterum alloquar, quo non solum animos omnium in partem vocem illius quam illi carissimi fratres nostri patiuntur calamitatis, sed etiam quae consolari possint afferam, et simul ea omnibus addam hortamenta, quae si pronis animis excepta in opus deducantur, et praesentibus malis remedium afferri, et maiora posse praecaveri spero et confido in Domino.

1. Cor. 10. 13. *Fidelis* enim *Deus*, qui, modo nos ipsi fideles fuerimus, *non patietur* nos *tentari supra id quod* possumus, *sed faciet etiam cum tentatione proventum.*

Solacio sunt Ecclesiae praesidum amor in Soc. et prudentia,

2. Et solacio quidem merito esse omnibus debet, quod Sanctissimus Dominus noster, qui Societati se amantissimum parentem exhibere non cessat, quantumvis importunis precibus sollicitatus, et incredibiliter pressus, nihil tamen eorum quae in Societatis Gallicae damnum ac perniciem instantissime postulabantur concesserit ; immo vero diserte negaverit se ullo pacto auctoritatem suam interponere aut posse aut velle in Societatis destructio-

nem, quam scilicet auctoritatem nonnisi in aedificationem se habere omnem sanctissime profitebatur. Neque vero alia fuit omnium Patrum Cardinalium, qui in consilium vocati fuerunt, sententia. Quod si nihilo minus quaedam capta fuere consilia, quae sine gravibus quidem incommodis exsecutioni mandari non possunt, et ipsa tamen ex sincero amore Societatis eiusque in Gallia conservandae studio unice profecta fuisse certo constat. Visum fuit scilicet prudentiae esse ac discretionis, ut in tanta tempestate nostri in Gallia aliquorum commodorum iacturam facerent, quo naufragium quod minitari videbatur effugerent. Itaque consiliis ducti, quibus nostris hominibus repugnare nefas est, sponte ea sustinent religioso obsequio, ad quae ferenda vix ac fortasse ne vix quidem cogi potuissent inviti.

Et Sociorum in Gallia religiosum obsequium.

3. Atque hoc religiosae oboedientiae, Ignatianae scilicet virtutis, documentum, quod nostri in Gallia praebent, non minimum et etiam solacii simulque optimae spei haud inane fundamentum. Cum enim prudentia, ex Sancti Patris nostri sententia, non eorum sit qui iussa faciunt, sed eius qui imperat, profecto quo gravior res est de qua agitur, et quo maior est iudiciorum de re quae in deliberationem venit discrepantia, eo procul dubio maius est religiosi obsequii meritum apud Deum, cuius scilicet voluntatem ita manifestatam, quantumvis grave nobis accidat, amplectimur. Quod

ubi facimus, illa Dei ac Domini nostri *fidelissima caritas*, ut idem Pater noster loquitur, certissime diligentibus se omnia, etiam quae maxime videntur mala, in bonum convertet, et faciet de tenebris lucem splendescere, famulosque suos per vias etiam obliquas, etiam contrarias, deducet ad finem maioris gloriae suae. *Cogitationes* quidem *mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae ;* at Patris caelestis *providentia gubernat* universa, *attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.* Cui cum nostri in Gallia socii in re praesenti oboedientes sese committant, est profecto quod bene sperent et confidant, pervulgato Spiritus Sancti promisso innixi : *Vir oboediens loquetur victoriam.*

Sap. 9. 14.

Ib. 14. 3.

Ib. 8. 1.

Prov. 21. 28.

Hortandi autem sumus :

4. Iam quid porro et illis et nobis agendum maxime existimem accipite.

1. Pet. 5. 6.

1°. Ut humiliemur sub manu Dei ;

In primis illud Petri praeceptum : *Humiliamini sub potenti manu Dei*, nobis dictum hoc maxime tempore putandum est. Neque enim nos decet, homines Deo deditos et religiosis praeceptis institutos, ita adversariorum odiis eorumque artibus et machinationibus ea quae nobis eveniunt tribuere, ut a causis secundis non continuo ad causam primam, ad Deum, sub quo et in quo et illi et nos *vivimus et movemur et sumus*, usque et usque oculos convertamus. *Si erit malum in civitate*, ait Propheta, *quod Dominus non fecerit ?* Ergo Dei manum in omni adversitate cernamus et adoremus et sub illa humiliemur necesse est.

Act. 17. 28.

Amos. 3. 6.

5. Ita, Patres mei Fratresque carissimi, humiliemur, inquam, necesse est. Quod enim in primis ipsis, quas sub huius muneris mei initia dabam ad Societatem, litteris instantissime commendavi, quod saepius deinceps, immo semper fere repetivi, id nunc maxime inculcandum et instantius quam umquam censeo. *Eadem*, dicam cum Apostolo, *eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Quod, iam saepe commendatum, Philip. 3. 1.

7. Video enim et animadverto semper aliquos e nostris hoc monito indigere. Dum enim alii Societatis filii, qui multa praeclara agunt, ubi fructus uberes laborum suorum colligunt, verae virtutis studiosi Petrum in illa mirabili piscatione stupentem imitantur, et ex animo, ut par est, ingeminant : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ;* alii interdum, qua nescio vanitate dicam an stultitia, sibi nihil non deberi honoris et existimationis putant, eo solum nomine quod de Societate sint, quamvis ipsi fortasse vix non otiosi ac desides. Videntur, qui tales sunt, gloriam *Socii Iesu* solam adamare, onera vero huius tanti nominis refugere ; nec meminisse, in celebri illa visione, S. Patri nostro, supplicanti ut cum sociis admitti in Iesu Societatem mereretur, Iesum *cruce onustum* apparuisse, precibusque Ignatii, *ita ut erat cum cruce*, annuisse : quo intellegeremus, in hac quidem vita in *Socii Iesu* nomine, non gloriam, non honorem, sed crucem, sed Etiamnum aliquibus certe inculcandum est, Luc. 5. 8. Qui frustra Soc. gloriam sibi arrogant,

labores nobis propositos esse debere. Verum hominibus in solida virtute parum confirmatis omnia, etiam optima quaeque et sanctissima, in vanitatis ac spiritualis cuiusdam superbiae pabulum convertuntur.

Grato quidem animo memorandam,

7. Equidem et maiorum nostrorum virtutes, et praeclara etiam sociorum nostri temporis facta, et piorum hominum in Societatem benevolentiam, et improborum odia, vexationes, persecutiones, Societati decori esse et honori maximo, et ego sentio atque haec grato erga Deum animo saepe recolere ad solacium gestio. Sed tamen, nisi caveamus nobis et apostolici effati meminerimus:

2. Cor. 10. 17. *Qui gloriatur, in Domino glorietur : non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est ;* nisi ex alienis bonis ipsi tanto magis humiliemur in nobis, ex bonis illis facile mala nobis et universae Societati culpa nostra parabimus.

Sed humilitate conservandam ;

8. An vero, ita saepe ego mecum dum ista cogito et pertimesco, an fieri potest ut deesse nobis putemus quo humiliemur ? Quid ? patrum nostrorum gloria filios inflabit, tantorum tantillos ? Bonorum aestimatio, impiorum odia ? ast utrique in nobis spiritum Societatis inesse existimant. Hunc illi amant, hi oderunt ; qui si desit in nobis (deerit autem profecto, ubi deerit vera et sincera humilitas), pro amore illorum, pro horum odio, contemptum scilicet utrorumque merebimur.

Quae quanta

9. Deus bone ! quantum confundi nos et humi-

liari, si vel parum sapimus, necesse est, si, quae nostra a nobis vocatio postulat, si, quae forma vitae nobis in constitutionibus patrumque exemplis proposita est, cum iis quae in nobis reperimus, ubi tamen aliquando in nosmet ipsos descendimus nosque non dissimulanter inspicimus, conferamus ? Ubi, ita ego mecum, ubi in me inque aliis mei similibus, illud erga Deum orationis assiduae intimaeque cum eo communicationis studium ardens ? Ubi erga proximum zelus indefessus, incommodorum non patiens modo, sed amans, et in ea libentius opera effusus, maxime ubi sic postulet oboedientia, quae minus habeant speciosi apud homines ? Ubi erga nos ipsos, humilitatis, vel, ut rectius dicam, humiliationis amor, et paupertatis et mortificationis et omnis crucis Christi ? Atque haec erat patrum nostrorum gloria ; haec sola nostra esse gloria potest, si veram quaerimus, non inanem neque mundanam.

sit oportet, si nos cum Constitutionibus et Patrum exemplis conferamus !

10. Dicam quod sentio, Patres Fratresque dilectissimi, neque nunc primum dicam, dixi enim et hoc alias. Ego sic existimo : si vexetur Societas multis in locis, odio illam Christi ac Dei vexari manifestum est ; atque hoc ex capite gloriosum sane nobis est vexari : ita enim omne docet Evangelium, neque ullus maior honor cogitari potest quam qui Apostolis contingebat, ut *propter Christum purgamenta huius mundi* essent, *omnium peripsema*. Simul tamen minime dubitandum

Vexationum duplex causa : odium impiorum, et nostrae culpae.

1. Cor. 4. 10, 13.

esse arbitror, quin multa nobis accidant iusto iudicio Dei, ob mea, ob aliorum ex nostris peccata et defectus, et praesertim quidem ob defectum humilitatis.

Posteriorem humiliter agnoscentes, remedium malis afferemus ;

11. Quo ex capite vexationes quaecumque, quam inique inferuntur ex parte hominum, tam iuste immittuntur ex parte Dei ; quem eo severius castigare nostras culpas aequum est, quanto sanctior est vita quam profitemur. Itaque nostri illi, qui aliis in locis, in Gallia modo, *patiuntur propter iustitiam*, digni habiti tanto honore, fortasse nobis auctoribus patiuntur, ob culpas nostras. Ita porro nos existimare, nostrumque imperfectum lugere, et saltem humiliari et confundi coram Deo, ut iustum et aequum esse sentio, ita maxime, si quicquam aliud, hoc utile fore ac salutare, tum nobis singulis, tum universae Societati, omnino persuasum habeo.

Matth. 5. 10.

Nam Deus humilibus dat gratiam. Eccli. 3. 20.

12. Nullum equidem malorum nostrorum remedium praesentius, nullum efficacius invenire est. Non enim fallitur Dei promissio : *Humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Et quidem humiliare se in bonis, naturae humanae difficilius ; facilius in malis. Verum *in omnibus*, inquit, *humilia te.* Fructus autem humiliationis certus et numquam fallax : *et coram Deo invenies gratiam ;* gratiam illam, qua sola indigemus et quae sola tueri et salvare nos et Societatem nostram poterit. Neque enim est quod in ulla alia re fidu-

ciam nostram collocemus : non in hominum quorumcumque favore aut benevolentia, nam et hominum gratia fallax et *vana salus hominis* ; Ps. 59. 13. non in virtute nostra neque in benefactis aut meritis, quae et pauca sunt et Dei ipsius dona, qui profecto bonorum nostrorum non eget. In sola itaque eius gratia et misericordia spes nostra omnis sita est, si firmam ac solidam quaerimus. Quae gratia cum humilibus et vere ac sincere humiliantibus se promissa sit, ad humilitatem, Patres Fratresque carissimi, ad humilitatem, corde et animo et in omni verbo et facto sectandam serio aliquando incumbamus. Stat enim aeternumque stabit Iesu Christi verbum, quod numquam praeteribit : *Qui se exaltat, humiliabitur ; et qui* Luc. 14. 11. *se humiliat, exaltabitur.*

13. Neque tamen quae de humilitatis necessitate dixi, ita velim intellegi, ut in hac nostra miseria et infirmitate consideranda haerendum nobis esse existimemus ; sed ex illa ad Deum assurgentes, qui est *adiutor in tribulationibus*, ad orationem, inquam, in qua nostra sunt arma nostraque defensio, recurramus. Ait autem Sapiens : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.... et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Et est enimvero tempus tribulationis tempus ad orandum aptissimum. Eccli. 35. 21.

2.° Ut ex humilitate nostra assurgamus ad Deum per orationem, Ps. 45. 2.

Sit autem oratio nostra humilis nostrarum confessione culparum, sit fervens ex intimo sensu nostrae necessitatis.

Humilem nostrarum confessione culparum,

14. Sit, inquam, in primis humilis. Nam si, iuxta Ecclesiasticum, *sapiens*, cum *aperiet os suum in oratione*, ante omnia *pro delictis suis* Eccli. 39. 1, 7. *deprecabitur;* si David in afflictione positus, licet Ps. 118. 69. *multiplicatam esse super se iniquitatem superborum* Ibid. 67. dicat, ante tamen dixerat; *Priusquam* Ibid. 78. *humiliarer, ego deliqui;* licet *superbos* sentiat *iniuste iniquitatem fecisse in se,* tamen prius Ibid. 75. culpam suam fatetur: *Cognovi,* inquit, *Domine, quia aequitas iudicia tua, et in veritate tua humiliasti me;* si ita non modo David paenitens, sed etiam sanctissimus atque innocentissimus Daniel, Dan. 9. 23. *vir desideriorum*, in principio orationis suae Ibid. 20. *confitebatur peccata sua, et peccata populi sui*, aequum sane est ut et nos ab accusatione nostri ipsorum orationem nostram auspicemur.

Et ferventem ex intimo sensu necessitatis nostrae,

15. Sit deinde oratio nostra fervens ex intimo sensu nostrae necessitatis. Quem quidem sensum, ut verum fatear, omnes passim preces, quas cotidie fundere ex Ecclesiae praecepto solemus, et exprimere et supponere mihi videntur. Quis enim psalmos davidicos plerosque, eos certe qui ad precandum pertinent, dum attentus recitat, non intellegit voces esse *satagentis*, ut S. Augustinus observat, *solliciti, in tribulatione positi?* Quid item consuetae Ecclesiae preces? Quid illud in sollemni precatione totiens repetitum *miserere, miserere?* Quid illa invocatione, primum ad Virginem Matrem, tum ad omnes et singulos sanctorum

angelorum caelitumque choros incessanter ingeminata: *Ora, ora pro nobis?* Quid illa ad Agni thronum deducta supplicatio, et per omnia vitae mortisque eius mysteria obsecratio, ut *liberet nos, liberet ab omni malo?* Quid haec et cetera omnia, quae precando cotidie usurpamus, nisi animos supponunt in miseriis, in necessitatibus, in angustiis, in tribulationibus constitutos?

Et quidem totius Societatis.

16. Sane orandum nobis est, Patres Fratresque carissimi, et multum orandum, et humiliter et ferventer orandum; neque pro iis tantum fratribus nostris quos manus Domini iam tetigit, sed et pro universa Societate; nam quae in uno nunc regno fiunt, etiam tum in Helvetia, tum alibi, vel iam tentari vel tentatum iri non est dubitandum. Communis omnium causa agitur, et communis debet esse omnium oratio.

Quare praescribuntur preces, praeter ordinarias,

17. Equidem neminem esse in Societate existimo, qui non preces fundat, Sacrificia offerat, etiam praeter commune regularum praescriptum, pro praesentibus Societatis necessitatibus; cum nemo sit ad quem de Societatis vel periculis vel calamitatibus rumor saltem aliquis non pervenerit. Ne tamen meo desim officio, commendare impense orandi studium pro tot ac tantis necessitatibus praetermittere non possum. Cumque plura in mentem venirent, quae praescribi possent, ut oratio ex oboedientia vim et efficaciam maiorem acquireret, cetera cuiusque devotioni et filiali

amori, quo Societatem matrem prosequitur, relinquens, *unum Sacrum* a singulis sacerdotibus, et *unam Coronam* ab iis qui sacerdotes non sunt, quovis mense praeter consueta suffragia indici per proxime futuros sex menses, praescribendum duxi, pro nostris in Gallia praesertim et in Helvetia degentibus, proque universae Societatis incolumitate.

Quibus Deus exoretur;

18. Oremus, Patres Fratresque carissimi, pro tribulatis fratribus nostris, ut det Dominus vel conservet potius omnibus illis fortitudinem animumque generosum in cruce ferenda pro Christi amore, det animi pacem inter pugnas cotidianas, det constantiam, det spiritum pietatis conservare inter occasiones dissipationum, det *gratia stabilire cor*, ut *modicum passos ipse perficiat*, ipse *confirmet*, ipse *consolidet*; ceteros quoque nostros ubicumque degentes faciat *praeparare corda*, ut *in omnibus* ubique *glorificetur* Deus, et humili prece exoratus Societatem suam servare ac tueri dignetur, nobisque non *Romae* solum, ut olim Sancto Patri nostro promisit, sed ubique terrarum, vel inter quascumque impugnationes quorumcumque hominum, pro sua pietate *propitius* sit.

Hebr. 13. 9.

1. Pet. 5. 10.

2. Par. 19. 3.

Et unus dies ieiunii statuitur.

Tob. 12. 8.

19. Et quia *bona est oratio cum ieiunio*, precesque mortificatione fulciuntur et redduntur efficaciores, quod in *spiritu humilitatis et in animo contrito suscipere* precantes soleat Dominus, et benignius ac citius et plenius exaudire; aliquid

etiam paenitentiae praeter consuetum ut precibus adiungat, unumquemque vehementer exhortor in Domino, cum discretione tamen nec sine superiorum suorum licentia. *Unum diem ieiunii* celebrari ab omnibus cupio ; pro quo, ubi tempestive perferri hae literae poterunt, statui velim diem qui anniversarium diem confirmatae primum Societatis antecedit, scilicet vicesimum sextum huius mensis. Alibi vero diem designandum superioribus seu provincialibus seu localibus relinquo.

29. Ergo, Patres Fratresque carissimi, sit nobis tempus hoc tribulationis tempus gratiae et precum, sit renovandi spiritus omnibus nobis occasio et incitamentum. Oremus, et pro viribus ita agamus, ut persecutiones quas patitur Societas, quasque Sanctus Pater noster inter praecipua divinae bonitatis in Societatem beneficia numerare solebat, nostris hisce temporibus ne sint ob culpas nostras poenae potius divinae iustitiae. Sanctissimi parentis nostri monitis ac praeceptis quam possumus accurate ac fideliter obtemperantes, ipsum multa cum fiducia invocemus ; petamusque, ut illud sollemne suum precandi genus, quod in terris degens nos docuit, in caelis pro nobis exerceat, per Mariam ad Iesum mediatorem, per Iesum ad Dei misericordiarum Patris thronum accedat, supplicationesque suas nostris adiungens, has reddat oculis divinae maiestatis minus indignas. Oremus, ac de necessitatibus et periculis et persecutionibus Conclusio.

Societatis, minus et parcius cum hominibus, saepius et amplius et copiosius cum Deo et cum caelitibus loquamur. Quicquid demum accidat, omnem vitae nostrae rationem ita instituamus, id curemus, in id intendamus, ut grandis illa et magnifica Christi promissio nos non omnino indignos inveniat : *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in caelo.*

Matth. 5. 11.

Luc. 6. 23.

Cuius tanti boni tantaeque beatitudinis, tanti gaudii tamque copiosae mercedis, ut et ego vobiscum particeps esse merear, omnium vestrum precibus et Sacrificiis me impense commendo.

RR. PP. ac FF. in Christo carissimi,

Romae, XXI. Septembris M. DCCC. XLV.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE TEMPORUM NOSTRORUM ACERBITATE ET STUDIO PERFECTIONIS

1. Quod pro mei muneris debito iam non semel feci, Patres Fratresque carissimi, tum primis gubernationis meae annis, tum alias deinceps, ut in tanta temporum in quae incidimus acerbitate, occasione accepta ex iis, quae vel quibusdam in locis Societas patiebatur, vel quae graviora etiam merito exspectari vel timeri posse videbantur, consolandos vos et exhortandos omnes per litteras putarem, idem mihi praestandum esse nunc maxime existimo, cum, Deo ita permittente, maiore quam umquam alias violentia, idque vix non ubique terrarum, venenatis plane inimicorum telis impetimur. *Spiritus* enim *mendacii*, calamo innumerabilium scriptorum effusus, per ora omnium fere populorum ita versatur, ut iam dominari plane mundo videatur, et plebium animos contra Societatem nostram ita excitare, ut nihil iam sit

Inter atroces calumnias, quibus undique impetimur,

3. Reg. 22. 23.

non modo tam iniquum, tam nefarium, sed etiam nihil tam absurdum tamque incredibile, quod, ubi de nobis rebusque nostris dicatur, non et credibile, et veri simile, immo et verissime dictum apud plurimos, summos, infimos, habeatur. Non libri modo et libelli, maiore quam umquam alias numero, fabulis ignominiosissimis referti, omnibus fere linguis circumferuntur et passim avidissime lectitantur ; sed innumerabiles ephemerides cotidianis calumniis et contumeliis plenae, pro horum temporum effreni scribendi legendique licentia, in omnium manibus versantur, omnium oculis usurpantur, omnium mentes occupant, et in circulis, in conventibus, in officinis omnis generis sparguntur cotidie ; ut timeri possit ne aliquando pluribus in locis, quod alicubi accidisse dolentes meminimus, plebes caecae et illusae, in nos tamquam in humani generis hostes et pestes, tamquam in horrenda inferni monstra, in homines publica abominatione et exsecratione dignos, aliquando impetu facto insano furore desaeviant. Omnino in Societatis cymbam intumescit mare, feri fluctus assurgunt eamque operiunt undique, vix non fatiscimus sub tanta tempestate, naufragium certe tam taetra procella minari videtur in dies. Neque enim est quod nostra pericula verbis dissimulem, Patres Fratresque carissimi, cum detrimenta iam non levia passi simus variis in locis, iis etiam in regionibus in quibus minus videbatur tale aliquid

exspectandum ; et nisi Deus avertat, maiora merito timemus ; unde non raro consilii inopes, nullum humanum reperientes remedium, *hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum*, tanto quidem fidentius caeleste praesidium implorantes, quanto minus opis suppetit in humanis. 2. Par. 20. 12.

2. Attamen, Patres Fratresque carissimi, tot inter tantasque difficultates, solacia quaedam etiam non desunt, quae vos ignorare aequum non est. Solacium afferunt :

3. Solatur nos in primis plerorumque sanctorum Ecclesiae praesulum, plurimorumque etiam nunc piorum hominum constans favor et defensio, praeque onnibus sanctissimi pastorum principis, qui nuper divinitus Ecclesiae datus est Christi Vicarius, Pii IX, propensa in Societatem voluntas ; quem cum Societatis amantissimum iam dudum antea experti essemus, nunc ad pontificale solium evectum multo etiam magis illam protecturum defensurumque, pro suprema qua in terris pollet auctoritate, non speramus modo, sed certo confidimus. 1.° Ecclesiae Praesidum et bonorum favor.

4. Solatur deinde inter tot tamque multorum odia et acerbitates augescens aliorum Societatis operam expetentium desiderium et studium ardens ; ut adeo operariorum copia faciendo operi, quod multiplex passim offertur, desit. Accedit, quod magis etiam solatur, quod passim nostrorum hominum ministeriis ita favere divina bonitas di- 2.° Ministerii nostri a multis expostulatio.

gnatur, ut copiosiore fructu videatur velle nobis dolorem ex malevolorum inimicitiis conceptum lenire, et impiorum maledicta bonorum gratulationibus compensare.

3.° Missionum longinquarum successus.

5. Solatur etiam quae extra Europam in longinquis regionibus a nostris hominibus colligitur messis; quae cum in dies latior albescere videatur, plures semper operarios postulat; ex quibus dum non pauci strenue instantes operi immatura morte occumbunt, non deficiunt qui eorum occupare locum unice expetant. Quod certe apostolici spiritus, vivi semper in Societate et vegeti, argumentum, ut mihi et vobis solacio esse merito debet, ita spem etiam praebet in Domino et fiduciam, quantumvis iactatae, servandae tamen medias inter tempestates per Dei misericordiam Societatis.

4.° Praecipue beatitudo, quae in sustinendis persecutionibus consistit,

6. Verum haec quae dixi solacia cum humana videri possint, Patres Fratresque carissimi, venio ad illud quod praecipuum, maxime proprium est, et a Sancto Ignatio Patre Societati multis precibus et lacrimis impetratum a Deo, et filiis pro hereditate omnium pretiosissima relictum. Sane quod maxime apostolicum est et evangelicum et plane divinum, et ad quod praecipua quadam ratione in Societate instituimur, illud est, ut non theorice tantum pia meditatione cogitemus et admiremur, sed practice sentiamus et experiamur illam *beatitudinem*, quae in persecutionibus pro Christo sustinendis consistit.

7. In primis evidens est unicuique et explora- Quam evi-
tum, odium illud prope dixerim phreneticum, quo dens est, So-
mundus iste Societatem prosequitur, suam inde cietatem ex-
originem capere, quod Christum Iesum eius- periri:
que Ecclesiam odio habeat. Itaque dum male-
dicta in nos isti homines iactant, dum contra nos
mendacia quaevis incredibili impudentia conge-
runt, illud in nos agunt *ad litteram*, quo *beatos*
fore suos dixit Christus Dominus: *Beati estis cum* Matth. 5. 11.
maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et
dixerint omne malum adversum vos, mentientes,
propter me. Et iterum: *Beati eritis, cum vos* Luc. 6. 22.
oderint homines, et cum separaverint vos, et
exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum
tamquam malum propter Filium hominis.
Perpendite singula, Patres Fratresque carissimi;
et quam apte, quam proprio sensu ista nos expe-
riamur videte; et meditando singula, promissam
beatitudinem degustate, in iis praesertim verbis:
cum dixerint omne malum adversum vos men-
tientes,... et: *cum eiecerint nomen vestrum tam-*
quam malum, propter Filium hominis; quae
sane, singulari quodam privilegio Societatis, co-
tidie experimur.

8. Neque vero est quod hanc *beatitudinem* Neque enim
labefactari aut eripi nobis quodammodo existime- culpas qua-
mus, ex eo quod aliquando alicuius e Nostris vel lescumque
culpa aliqua, vel imprudentia, sive occasionem, nostras inse-
sive materiam contumeliis istis et calumniis ctantur im-
pii;

praebuisse videatur. Nam in primis quid est quod homines omnibus publice vitiis inquinati (loquor enim de praecipuis calumniarum auctoribus et inventoribus), si quem in aliquo nostrorum naevum deprehendant, hunc tam avide arripiant, amplificent, exaggerent, tantumque odium in illam qualemcumque culpam, et propter illam in universam Societatem, ad tragoedias usque excitent? Quid est quod homines, qui ipsi *laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis*, tanto tamque acerbo zelo in nostris hominibus vitium quodcumque persequantur, quod in se suisque non modo tolerabile ducunt, sed et ut laude dignum omnibus artis litterariae et pictoriae coloribus depingunt et exornant? Sed nimirum spiritum et nomen Societatis propter Iesu nomen et spiritum odio habent. Quid, quod ipsi non tam *nos* detestari se, quam Institutum nostrum, ingenue plerique profitentur? Atqui sanctissimum est Institutum nostrum, quod totum in Christi Iesu imitatione fundatur et continetur; nos vero qui homines sumus, labiles et fragiles, si aliquando a virtute deflectimus, ab ipso Instituto nostro deflectimus, cuius absolutam rationem si perfecte exsequeremur, essemus profecto omni ex parte perfecti; quamquam utique in hac mortalitate, in qua omnis perfectio non nisi inchoata haberi potest, in tanta praesertim hominum nostrorum multitudine, obtineri nequit, ut non

Prov. 2. 14.

Sed Societatis nomen propter nomen Jesu.

identidem aliquid ab aliquo peccetur. Verum qui Institutum nostrum odio se habere profitentur, peccata in nostris nullo utique iure reprehendere convincuntur, neque alio nomine istam larvam zeli pro virtute assumunt, nisi quod in nobis, qui Iesum nos sequi profitemur, Iesum ipsum odio habeant.

9. Iam quodnam, quaeso, maius ac divinius solacium, Patres Fratresque carissimi, quam *partem aliquam et societatem donari nobis cum Sanctis Apostolis et Martyribus*, partem, inquam, illius beatitudinis omnium sublimissimae, quam Christus, ut S. Augustinus observat, ultimo loco in illo celebri sermone suo posuit, tamquam supremam et perfectorum propriam, quamque proinde Apostoli in suis epistolis ubique magnifice extollunt, in qua unice gloriabantur ipsi et fidelibus gratulabantur. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini ;* ita Apostolus ad Philippenses. Et Petrus : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Et Iacobus : *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet ; ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Et iterum : *Exemplum acci-*

Hoc nullum nobis maius esse potest ac divinius solacium ;

Philip. 2. 29.

1. Petr. 4. 14.

Iac. 1. 2. seq

Ibid. 5. 10.

pite, Fratres, exitus mali, laboris et patientiae, Prophetas.... Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, et finem Domini vidistis. Et iterum Paulus, *spectaculum* se suosque *factos esse mundo et Angelis et hominibus* gloriatur : *maledicimur*, inquit, *et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus ... tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema.* An vero etiam nos nostrumque nomen non *purgamentum mundi et omnium peripsema*, dono Societati proprio, factum videmus ? Scilicet in hoc praeclarissima Christi imitatio, in quo capite suo *Catholica Mater Ecclesia edocta est*, ut Ven. Beda loquitur, *contumelias, et mortem ipsam non timere, magis magisque roborata, non resistendo sed perferendo, filiis suis ad gerendum certamen gloriam triumphalem inspiravit.* In hoc maxime divina elucet gloria, ut, sicut Unigenitus Filius die passionis suae, quam *beatam* vocare Ecclesia non dubitat, Patrem maiore honore affecit quam omnibus vitae suae laboribus et miraculis, ita servi eius patiendo magis quam agendo gloriam Dei promoveant ; facti scilicet hac ratione victimae divinae gloriae, in quo longe praeclarissima Christi imago et similitudo exhibetur. Quae cum ita sint, ista mundi in Societatem odia et contumelias in nostrum nomen iactatas, merito insignem gloriam esse nostram reputabimus, et praemium, coronam, qua vel

1. Cor. 4. 9, 12.

in hac ipsa mortali vita nihil maius, nihil pretiosius, nihil optabilius cogitari possit.

10. Verum, Patres Fratresque carissimi, haec ego dum mente pertracto, simulque in me et in meam miseriam et nihilum oculos reflecto, non possum non tanto bono me indignissimum sentire et profiteri, ac divinam bonitatem admirari et obstupescere, quae tanta me, una cum Societate nominis sui, dignatione prosequantur. Atque hunc sensum, Patres Fratresque carissimi, summopere cupio mecum vobis omnibus esse communem, idque nobis valde necessarium existimo. Timor enim aliquando me incessit, fateor, ne forte tanta gloria crucis Christi nos in nobis ipsis extollat et humilitatem, in qua numquam non defixos nos manere oportet, labefactet. Quod sane cavendum maxime. Nam in primis, quid magis absurdum quam illud ipsum, quod provehere nos deberet ad illum *gradum in vita spirituali tam pretiosum*, quem S. Pater *tertii modi humilitatis* nomine nos docuit, ipsum inquam, vanitatis ac superbiae spiritualis aut incitamentum aut alimentum fieri? Deinde, ut ab eodem parente nostro docti et instituti sumus, si gloriari nobis in Christi cruce licet, ita gloriandum, ut meminerimus, quicquid illud sit quod pati contingat, parum valde atque adeo nihil esse, si cum iis quae Christus passus est conferatur; ut adeo non nisi *aliquomodo* eum nos imitari, *aliquomodo* ei similes reddi posse, idque

Cum summa tamen humilitate suscipiendum,

semper cum nostra ipsorum abiectione, et praeter omne meritum nostrum fateamur. Denique infinitum discrimen, quod inter homines undequaque miserrimos et peccatores, et Christum Regem gloriae, cui aeternus debetur honor, intercedit, quantum deprimere nos ac rubore suffundere necesse est ? Quod si qui, vel amici imprudentes, vel male feriati inimici, causam nostram cum Ecclesiae causa ita communem faciunt, ut vel stulte, vel ad maiorem nobis creandam invidiam, Ecclesiae Dei necessarios nos esse fingant ; procul absit a nobis eiusmodi cogitatio, probe scientibus, Deo, cuius aeternis promissis Ecclesiae institutio innixa est, nullum hominem neque ullam hominum congregationem esse necessariam ; qui si cuius opera uti dignatur in Ecclesiae suae causa vel promovenda vel tuenda, insigne beneficium praebet, non meritum rependit, qui *potest etiam de lapidibus suscitare filios Abrahae ;* cui proinde, ut alias me dicere memini, unusquisque nostrum, et suo, et universae Societatis nomine, intimo animi sensu supplicandum est illis Prophetae verbis : *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Matth. 3. 9.

Ps. 15. 1.

Et vero ac efficaci perfectionis nostrae studio ;

11. Cum hoc verae humilitatis sensu, Patres Fratresque carissimi, ne quae aliis temporibus commendavi hic repetam, utque uno verbo com-

plectar omnia, verum et efficax perfectionis desiderium ac studium coniungamus.

Etenim si quid est quod et ad Deum nobis placandum, et ad hominum etiam voluntates nobis conciliandas valere possit, illud profecto est, ut vocationis nostrae, Patres Fratresque carissimi, memores simus, et ad perfectionis studium, in constitutionibus ac regulis nobis propositae, serio et constanter incumbamus. Hoc ego ante omnia, ut mihi, ita vobis omnibus cordi esse, tum ad singulorum, tum ad Societatis universae incolumitatem, summopere desidero.

12. Unusquisque enim nostrum, cum ad Societatem accederet, vocem Christi audivisse censendus est : *si vis perfectus esse.... veni, sequere me.* Ad hanc invitationem respondens quisque, voto Societatem ingrediens, secuturum se Christum professus est, ut in eius imitatione, harum constitutionum et regularum observatione, perfectionem consequeretur. Quare iam unusquisque serio se colligat, et in Dei conspectu quo animo sit ad illam perfectionem assequendam examinet, vigeatne in se etiam nunc illud desiderium, illa voluntas, quae vocationis suae principium fuit, vel certe esse debuit. Quod si illud elanguisse, si, quod Deus avertat, emortuum illud atque exstinctum in se reperiat, per Dei amorem, resuscitet gratiam illam primam quae sibi data fuerat, iis mediis quae in Societate abunde suppetunt. Hoc enim Dei

Quod voto promisimus,

Matth. 19. 21.

Et a nobis requirit

gloria, hoc cuiusque pax et salus, hoc Ecclesiae, hoc Societatis bonum ab unoquoque nostrum postulat atque exigit.

1.° Dei gloria,

13. Ecqua enim alia ratione illam quam Deo debemus gloriam rependere nos posse existimabimus, nisi iuxta vocationem qua vocati sumus ambulemus, nisi Dei voluntatem Instituti nostri legibus expressam exsequamur, et haec agendo ei placere per omnia et ante omnia studeamus ? Ad hoc utique in hac Societate vivimus, et, si hoc non agimus, quid agimus, et quorsum vivimus ?

2.° Nostra pax et salus, Ps. 29. 6. Matth. 11. 29.

14. In hoc nostra pax et salus. Nam *vita in voluntate eius*, inquit ; profecto non in facienda nostra propria voluntate. Ita demum *invenietis requiem*, inquit Christus, *animabus vestris*, ita *iugum meum suave et onus leve* reperietis, si *illud tollatis super vos, et, mites et humiles corde*, meum exemplum sequamini ; scilicet, si superbiam et sensualitatem et omnem amorem proprium, qui *corporis peccati*, quod Apostolus vocat, caput est et principium, constanti conatu reprimamus et expugnemus.

Rom. 6. 6.

3.° Ecclesiae bonum,

15. Hoc Eclesiae bonum requirit, in qua viri perfecti, ii quos Christus Dominus *sal terrae et lucem mundi* esse dixit, praecipua sunt non solum ornamenta, sed praesidia et veluti columnae. Hi sunt, qui in Ecclesiae corpore, veluti ossa solida, reliqua debiliora membra sustentant ; qui sicubi deficiant, ibi fidelium vulgus vix quicquam opis

Matth. 5. 13. 14.

habet reliquum quo se sustentet ; atque haud raro fit, ut deficiente vita spiritus in interitum miserrimum ruant. Quid ? quod vel ipsam fidem in vastissimis regionibus, seu Orientis, seu Septentrionis, tum maxime interiisse constat, cum sal infatuatum esset, cum, qui vitae sanctitate ceteros praeire debuerant, defecissent. Tanti est esse in Ecclesia qui perfectionem non vitae solum statu et condicione, sed factis omnique vivendi ratione profiteantur.

16. De Societate vero, Patres Fratresque carissimi, quid dicam ? Equidem sic existimo, nec quemquam fore qui non eiusdem sit mecum sententiae arbitror, Religiosorum Ordines omnes, et hos inter peculiari modo pro sua vocatione Societatem, a Deo constitutos in Ecclesia, ita conservari ac promoveri, si vocationi suae respondeant, si finem ob quem conditi sunt fideliter consequi studeant, verbo, si perfectionem sibi propriam vere ac sincere sectentur ; quam si neglegant, non esse cur eos Deus porro in Ecclesia sua conservet ; immo vero potius iusto iudicio illos interire patietur, et alios suscitabit qui religiosae perfectionis fructum ferant. Inscrutabilia sunt iudicia Dei, Patres Fratresque carissimi, quae adorare ac vereri summopere debemus. A sacris litteris discimus, hinc, ob unius non recte ambulantis culpas, in acerbas quandoque calamitates universam gentem incidisse ; hoc in Achan, hoc in David, in aliis ; 4.° Incolumitas Societatis.

inde, ob unius perfecti gratiam salvos saepe fuisse multos, ut in Noe, in Abraham, in Moyse, in aliis plurimis. Quod si hinc spes, inde timor ; videat unusquisque qui in Societate vivit, utrum consuetudine vivendi sua, praesidio Societati apud Deum sit, an vero nocumento. Profecto si in Societate, quod avertat benignissimus Deus ! oboedientia labefactata, si paupertas neglecta iaceret, si vanus humanae gloriae amor invalesceret, si spiritualium rerum cura neglegeretur, si regularum et constitutionum observantia deperiret, si langueret zelus animarum, quid, quaeso, Societas in agro Ecclesiae terram occuparet frustra ? Semen quidem frugiferum Ignatii spiritus in mundo consevit, quod in arborem crevit feracissimam. Quid vero, si, quod interdum nec sine confusione nec sine timore videmus, alii, qui de Societate non sunt, vel semel exercitiis Ignatii exculti, spiritum Societatis et zeli maiorem concipiunt quam aliqui qui in Societate vivunt, Ignatii Patris filii, in eius domo enutriti, eius documentis non semel, sed saepius, sed continenter instituti sine fructu ? Sane, qui eiusmodi sunt, vocationis suae obliti, ii tantum abest ut in persecutionibus, quarum occasione hasce scribo litteras, beatitudine illa quam perfectorum esse dicebamus gloriari possint, ut potius timendum vehementer sit ne, ubi calamitas aliqua in Societatem ingruat quae illos ipsos propius attingat, a vocatione sua deficiant, aliquando

futuri viles a Christi vexillo transfugae. Memores enim esse debemus, quod fortissima illa Iudith monebat, *quia sicut tentati sunt patres nostri...* Judith 8. 22. *et per multas tribulationes probati, Dei amici effecti sunt... et omnes qui placuerunt, Deo, per multos tribulationes transierunt fideles;* ita illi qui *tentationes non susceperunt cum timore Domini.. exterminati sunt... et perierunt.* Quam deplorabile foret, Patres Fratresque carissimi, quam pudendum, si, quod omnibus nobis salutis et gloriae sempiternae pignus esse debet, id aliquibus e Nostris occasio fieret dedecoris ac perditionis! Verumtamen, ut loquar cum Apostolo, *confidimus de vobis meliora et viciniora saluti:* Hebr. 6. 9. *tametsi ita loquimur.* Ita plane speramus et confidimus in Domino, fore ut in probatione fideles nostri omnes, eo etiam artius Christo duci sese devinciant, Societatem eo maiore caritate complectantur, vocationem suam eo ardentius adamare ac perfectius explere satagant, quo pluribus et gravioribus peti se in illa intellegunt maledictis hominum improborum et minis. Quem quidem fructum, fructum, inquam, maioris fervoris et caritatis et sollicitudinis, iam non paucos ex hisce vexationibus in dies colligere, non sine maximo solacio nostro videmus. Modo *ne simus* 2. Cor. 1. 9. *fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos,* qui Societatem exstinctam olim ad novam vitam revocavit: *qui* eam *de tantis periculis* Ibid. 10.

eripuit et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet.

Conclusio. 17. Quare, ut finem scribendi faciam, neque enim plura scribere temporis angustiae permittunt, illud unum superest, ut ad extremum ad orandum impense Deum eique supplicandum, per Ignatii Patris merita, per Immaculatae Virginis patrocinium, id quod iam sponte procul dubio facitis, Ps. 59. 13. vos etiam atque etiam adhorter, *quia vana salus hominis.* Mihi quidem, Patres Fratresque carissimi, ex quo acrius ac vehementius tentari et concuti res nostrae coeperunt, opportuna hisce temporibus illa visa est oratio, quae sex illis psalmi 118. versiculis comprehenditur, qui postremi sunt in hora tertia divini Officii, et cotidie a nobis quotquot sacerdotes sumus recitantur.

Cognovi Domine quia aequitas iudicia tua, et in veritate tua humiliasti me. — Merito unusquisque nostrum in principio orationis accusator sit sui. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Domini, sed in miserationibus multis. Itaque in spiritu humilitatis et in animo contrito, propter culpas nostras humiliati, suscipiendos nos esse speramus, confitentes peccata nostra, quia iustus est Dominus et rectum iudicium eius.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me ; secundum eloquium tuum servo tuo. — Pauperes

enim facti nimis et miseri, nec sine culpa nostra, imploramus misericordiam Domini, in qua sola speramus, qua sola ut consoletur nos indigemus ; eumque verbi sui humiliter admonemus, quo servo suo Ignatio olim promisit, se ipsi et sociis eius *Romae propitium fore.* Hoc verbum suum, ut adhuc fecit, ita porro explere dignetur rogamus.

Veniant mihi miserationes tuae, et vivam ; quia lex tua meditatio mea est. — In lege Domini meditantes die ac nocte, eiusque sanctissimam voluntatem, quam nobis constitutiones et regulae et vivus sanctae oboedientiae sermo ignorare non sinunt, fideliter exsequentes, miserationes eius cum fiducia exspectabimus et vivemus.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me ; ego autem exercebor in mandatis tuis. — Superbi inimici Ecclesiae Christi et Dei iniqua faciunt in nos, calumniis nos opprimentes, et laborant ut deleatur nomen nostrum, quia contrarii sumus operibus eorum. Tantum ne obliviscamur legis Domini, sed in illa fideliter et constanter nos exerceamus : ut illi confundantur petimus, non ut in furore suo arguat eos Dominus aut in ira sua corripiat eos, sed ut confundantur, ut iniqua spe perdendi nos frustrati, humilientur, et humiliati salvi fiant.

Convertantur ad me qui timent te, et quaerunt testimonia tua. — Sunt enim etiam inter illos,

qui ceteroqui Deum timent, quique fide et vitae officiique condicione causam nobiscum communem habent, qui, sive zeli aemulatione quae humana miseria est, sive praeconceptis olim adversus nos nostrumque Institutum opinionibus, quibus tam facile inde a prima aetate multi imbuuntur, sive etiam aliqua alicuius e nostris vel culpa vel imprudentia offensi, adversariis sese nostris, quod sane dolendum maxime est, adiungere quodammodo videantur : hi ut erga nos aequiores fiant precamur, quod summopere ad maiorem communis Domini gloriam et Ecclesiae utilitatem optandum est.

Fiat cor meum immaculatum in conspectu
Luc. 10. 42. *tuo, ut non confundar.* — Hoc denique *unum est necessarium*, Patres mei Fratresque carissimi, omnibus et singulis. Haec ergo suprema sit petitio nostra, hoc omnium ardentissimum desiderium et studium, ut in omnibus huius viae et vitae vicissitudinibus, inter adversariorum odia et calumnias et impetus, quicquid demum pro Dei beneplacito acciderit, immaculatos nos servemus, non modo exteriore vitae honestate et actuum omnium verborumque moderamine, sed in conspectu Domini, interioris virtutis prae ceteris studiosi, servemus in omnibus animi pacem, humilitatem, patientiam ; ne quis umquam odii vel aversionis aliusve inordinati animi impotens affectus cor nostrum afflet atque inficiat. Ita non confundemur in aeternum ;
1. Petr. 5. 10. sed sperantes in se *Deus omnis gratiae, qui vocavit*

nos in Societatem Filii sui Iesu Christi in aeternam suam gloriam... modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum.

Omnium vestrum SS. SS. et precibus me enixe commendo.

Romae ipso die SS. Nomini Iesu sacro I. Ianuarii M. D. CCC. XLVII.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

ERRATA

In hac altera editione, ut in Gandavensi 1847, pag. 11, n. 6, lin. 2, legitur *ad interiorem*. Probabilius legendum *ad interiora*.

pag. 237, n. 9, l. 8, lege *uteretur, nonne...*
» 293, l. 7, lege *praecipui fere...*
» 397, n. 14, l. 9, lege *amorem...*

060.2
J499
JESUITS

6472

AUTHOR
Epistolae praepositorum Generalium

TITLE Ad PP. & FF. S.J.
Tome II

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Hagemann	
	Roberts	
	Palm	
24/5/45	J. O'Brien	

6472